LINGUAM DISCITO LINGUA.

GRAMMATICA LATINA

SYNTAXIS ACCURATA

IN DIALOGUM REDACTA

MULTISQUE EXEMPLIS EXPLANATATA

A

D. THOMA ELSAESSER O. S. B.


MAREDSOUS.

JULES DE MEESTER

IMPRIMEUR-ÉDITEUR

Rue S. Alphonse, 7 & 9, ROULERS.

1910.



PRAEFATIO.

Mirum videatur, quod his nostris temporibus, cum vix ullo in ludo ingenuarum litterarum lingua latina ad docendum usurpatur, grammatica latina latine conscripta in publico proponitur. Cujus novitatis quid causam intulerit, amice lector, tibi paucis exponam.

In docenda grammatica, ut usum ad doctrinam adjungerem, experiendi causa initio quaedam, procedente vero tempore omnia fere quae ad syntaxim pertinent praecepta summatim litteris latinis mandata ediscenda curavi. Quod cum animadvertissem non solum in nimiam non incurrere difficultatem, verum etiam discipulos hac ratione semel assuefactos tum linguam latinam majore cum delectatione et studio curare tum ad loquendum ac scribendum fieri aptiores, in cogitationem incidi eandem rationem paulo accuratius elaboratam et aliis qui linguae latinae delectarentur exoptatam fortasse atque utilem esse posse.

Quod ad tractandam libri materiam dialogi forma sum usus, expertus scio quam aridum sit studium grammaticae plerumque angustae ac concisae, cum dialogus sua natura non solum ad delectationem sit natus, verum etiam ad explicandas res difficiliores maxime aptus.

Ceterum nihil mihi in consuetudine novanda sumpsi licentiae, nisi quod occasione oblata res utiles potius quam stricte ad grammaticam pertinentes quasi in transitu perstrinxi.

Quamquam praeterea partes syntaxis latinae omnes subtiliter persequendas esse putavi, majoris tamen momenti res velut usum pronominis reflexivi, consecutionem temporum, sententiam hypotheticam, conjunctiones et alia enodatius explicavi.

Frequentia denique, quae singulis praeceptis adjunxi exempla, maximam partem ex praestantissimis latinitatis auctoribus sunt deprompta.

Maretioli VII. Cal. Maj. 1910.

De materia hujus libri sub uno aspectu posita.

Cum sententia integra duabus ex partibus consistat necessariis, ex subjecto et praedicato, quorum utrumque amplificari potest, subjectum adjectivo vel substantivo i. e. attributo; praedicatum casibus nominis substantivi i. e. objecto, substantivo praeterea conjuncto cum praepositione, Infinitivo et adverbio, syntaxis in partes duas dividitur:

1. in praecepta, quibus traditur, quomodo nomine substantivo,

2. in praecepta, quae tradunt, quomodo verbo sententiae sit utendum.

I. DE NOMINE SUBSTANTIVO SENTENTIAE LATINAE.

II. DE VERBO SENTENTIAE LATINAE.

PARS PRIMA.

DE NOMINE SUBSTANTIVO SENTENTIAE LATINAE.

CAPUT PRIMUM.

DE CONVENIENTIA

1. Subjecti et praedicati, adjectivi et nominis attributivi.

Magister. Quae partes orationis subjectum sententiae latinae esse possunt, Adriane ?

A. Subjectum sententiae latinae plerumque est nomen substantivum, neque tamen raro adjectivum praeterea, numerale, participium, pronomen, Infinitivus, quin etiam sententia integra v. g.
Puer ludit. — *Pigri* dormiunt. — *Ille* tacet. — *Tres* faciunt collegium. — Vix respondent *lugentes.* — *Mentiri* turpe est. — *Quod necesse est mori,* magnum beneficium naturae est. — Mihi pergratum est, *quod librum ad me misisti.*

M. Si adjectivum subjectum esse potest, haec sententia, opinor, emendata erit : *Honestus* non mentitur. Nonne ?

A. Eam emendatam esse minime concesserim ; nisi enim adjectivum ex illis est, quae eadem sunt substantiva, singulariter acceptum subjectum esse non potest.

Pro substantivis autem habentur haec : *amicus, familiaris, necessarius, propinquus, aequalis, vicinus, adversarius, cognatus, ingenuus, liber, mortalis, socius, sponsus, invidus, peregrinus, senex, juvenis, adolescens, simile (la comparaison), inane (le vide), commune (la commune), insigne (signe de distinction), ridiculum (la plaisanterie), libertinus (l'affranchi), reus (le prévenu), candidatus*, quibus annumerantur participia Praesentis, ut *sapiens, amans, somnians*, etc., quia haec idem significant quod : *is qui sapit, is qui somniat*, etc.

Licet tamen adjectivo singulariter accepto uti in locutionibus : *Prudentis est* v. g. tacere ; *stulti est* semper loqui ; *dementis est* cachinnare, etc.

M. Corrige igitur sententiam : *Honestus* non mentitur.

A. Latinum est : *Homo (vir)* honestus non mentitur. Vel : *Honesti est* non mentiri ; *is qui* honestus haberi vult, non mentitur.

Eodem modo : *homo* vel *vir* fortis, *homo* ignavus, *homo* industrius, *homo* Romanus *(un Romain), homo* Germanus, Hibernus, Italus, Batavus, Helvetius, Hispanus. Sed : *Gallus, Galla*, quia *Gallus* non est adjectivum ; item Graecus, Belga, Britannus, Siculus.

M. At legi : *Poenus* in ulteriore ripa fluminis castra posuit.

A. Ejusmodi adjectiva singulariter usurpare licet, cum sensum habent collectivum. *Poenus* enim significat milites seu exercitus Hannibalis.

Item, cum conjuncta sunt cum pronomine aliquo indefinito v. g. Audivi ab *aliquo* Romano vel Germano.

M. Suntne hae sententiae emendatae, Caesari : *Docti* quaeruntur ; *fortes* laudantur ; *divites* honorantur ; *pauperes* contemnuntur ?

C. Emendatissimae sunt ; nemo enim dubitat, quin adjectivum pluraliter acceptum subjectum sententiae latinae esse possit, dummodo totum genus quorumdam hominum complectatur v. g. Stultorum numerus est infinitus. — Ejusmodi autem adjectiva sunt : *docti, indocti, eruditi, diserti, stulti, mendici, furiosi, mites, summi, infimi, veteres, coelestes, magni, parvi, divites, majores, doctiores, doctissimi, mei, nostri*, etc.

M. Emendatum est igitur: *Contempti* erubescunt ;nonne?

C. *Contempti* est participium Perfecti, quod nunquam substantivi vicem praestare potest. Latinum contra est : *Ii, qui contemnuntur*, erubescunt.

M. Licetne dicere : *Veri* pauperes sublevantur, *veri* docti honorantur ; Cato *verus* Romanus fuit ?

C. Adjectivum solo adverbio definiri potest, ergo : Cato vir *vere* Romanus fuit ; *vere* pauperes sublevantur ; *vere* docti honorantur.

Cum vero adjectivum pluraliter acceptum pro substantivo habeatur, apud ipsum Ciceronem exempla invenimus, ut : *Patientes* pauperes ; doctissimi ille *veteres* — quae imitari licet.

M. Quidam ex vobis nuper scripsit : Socrates *major* est sapiens quam quisquam. Quid de illa sententia existimas ?

C. Non est latina ; veteres contra dicebant : Socrates *sapientior* est quam quisquam. Nusquam invenias : *magnus sapiens ; magnus, maximus doctus ; magnus, maximus amicus ; magnus familiaris meus*, etc. ; sed : *vere* sapiens ; *sapientissimus ; amicissimus ; familiarissimus ; vere* doctus ; *doctissimus*.

M. Estne hoc emendatum : *Multi docti* aderant ?

C. Non est profecto, cum *docti* significet totum genus doctorum.
Latinum est : *Multi iique docti* aderant.

M. Explica hanc sententiam, Donate : *Malum* abhorremus, *bonum* appetimus.

D. Neutrum adjectivi secundae declinationis et singulariter et pluraliter accepti haud raro substantivi loco est ;

singulari autem utimur cum notio aliqua in universum, plurali, cum singulatim consideratur v. g.
Bonum semper est exoptatum, *malum* odiosum.
In tragoedia *comicum* vitiosum est, in comoedia turpe *tragicum*.
Item : *honestum, ridiculum, contrarium, falsum, justum, externum, miserum, ambiguum, utile, inane, calidum, frigidum*, etc.
Narrationi tuae deest *verum*.
Appetimus *salutaria*, aspernamur *contraria*.
Praeterita mutare non possumus. — Non *omnia* approbo.
Certa sunt meliora. Multa *alia*.

M. Commemorasti : *utile, inane*, quae sunt tertiae declinationis ; licetne his quoque uti substantivi loco ?

D. Adjectivum hujus declinationis singulariter acceptum raro, pluraliter contra maximo in usu est v. g. *turpia, levia, salutaria, omnia*, etc.

M. Titus Livius eiusmodi adjectivis neutrius in omnibus casibus utitur ; estne imitandus ?

D. Cum neutrum in casibus obliquis discerni non possit, praestat certe adjectivo substantivum *res* adjungere v.g. pro : *turpibus* gloriari : *rebus* turpibus gloriari ; pro : in *adversis* : in *rebus* adversis v. g. fortem se praestare ; in *rebus* secundis se superbum non praebere.

M. Hac occasione animos vestros ad illam etiam proprietatem linguae latinae adverterim, quod *adjectivum ornans* nunquam sine intercedente nomine substantivo cum nomine proprio conjungitur v. g. Cicero clarissimus, Socrates sapientissimus, Cato gravissimus ; sed : Cicero, *vir* clarissimus ; Socrates, *philosophus* sapientissimus ; Cato, *homo* gravissimus ; Hortensius, *vir* clarissimus et amplissimus ; Achilles *vir* fortissimus ; Tulliola, *puella* suavissima ; Lucretia, *femina (mulier)* lectissima, spectatissima, optima, sanctissima, gravissima, nobilissima, etc.

Corinthus, *urbs* amplissima ; Rhenus, *flumen* altissimum.

Cavete igitur dicatis : Ad Caesaris clarissimi et fortissimi confugit ; Juliae filia illustrissimae ; a Pompejo optimo audivi.

In epistolis tamen et in sermone familiari adjectivum ipsum cum nomine proprio conjungere licet v. g. Mi optime Attice ; Carissima Julia ; suavissimus Cicero.

Idem valet, cum adjectivum nec laudat nec vituperat v. g. Cajus, domo *profugus*, etc.

Romani, ut hoc addam, maxime delectabantur superlativo. Cum nos dicere soleamus : Cajus, *vir doctus, fortis, clarus*, Romani plerumque superlativo utuntur : Cajus *vir doctissimus, fortissimus*.
Pomponius, *eques honestissimus*. Patres *amplissimi*.

Sed haec hactenus. Lingua Gallica frequenter utitur vocabulo indefinito *on*, quod est subjectum sententiae v.g. *on est content* ; *on vous cherche*, etc ; converte, Felix, in latinum has sententias.

1. *On est mortel.*

F. *On* in hoc exemplo idem est quod *nos*. Ergo : Mortales sumus.

Eadem de causa dicimus : Breve tempus vivimus.
Edimus, quia sine cibo vivere non possumus.
Oculis vidimus : auribus audimus.
In multis rebus erramus. Quae volumus, credimus libenter, etc.

M. 2. *On dit qu'Homère a été aveugle.*

F. In hoc exemplo *on* idem est quod *homines*. Ergo : Homines dicunt, (ferunt, tradunt) Homerum caecum fuisse.
Eodem modo : Putant illius regionis homines esse gigantes.
Narrant regem esse mortuum.

M. 3. *Si l'on veut être heureux, il faut être content de peu.*

F. In hoc exemplo *on* idem est ac *tu* vel *aliquis*. Ergo :

Si velis beatus esse, parvo contentus sis, necesse est. Vel : Si quis velit beatus esse, parvo contentus sit, necesse est. In illo exemplo personam alloquor fictam *(tu)* ; in hoc personam incertam.
Priusquam incipias, consulto opus est.
Constantius quam *quis* facturos crederet, urbem defenderunt.
Forsitan *quispiam* dixerit. Dixerit hic *aliquis*.
Si *quis* non amat patriam indignus est, qui fruatur beneficiis ejus.

M. 4. *On me punit, on les punit tous les jours.*

F. In ejusmodi exemplis *on* significari potest verbo passivo per omnia tempora : Punior, puniuntur quotidie.
Laudatus sum. Accusator nominaris. Ille dicitur Romae fuisse.
Diceris hoc fecisse. Servus existimor.
Nusquam commodius vivitur quam domi.
Romam ventum est. Cavendum est ab isto cane.
Bibitur, narratum est, etc.

M. Quam rationem instituis, cum verbum finitum passivo caret, ut *posse, debere, solere* v. g. *On ne peut pas tolérer la tyrannie de César* ?

F. Quod ubi incidit, Infinitivus, qui pendet ex verbo finito, mutatur in passivum : *Sustineri* non potest Caesaris imperium.
Honores *contemni* non solent. Urbs *destrui* non debuit.

M. Gaudentius hanc sententiam convertet in latinum : *On commença à bâtir une ville.*

G. Urbs aedificari coepta est ; urbs aedificari coepit.

M. Et : urbs *aedificare* coepta est ; nonne ?

G. Nunquam ; quia *coeptus sum* non admittit nisi Infinitivum passivum. Pons *institui* coeptus est. Urbs septimo mense, quam *oppugnari* coepta erat, capta est. Lapides *jaci* coepti sunt.

Idem valet in verbum *desinere* v. g. Opera Catonis *legi* desita sunt. — T. Livius tamen promiscue conjungit Infinitivum passivum et cum *desitum est* et cum *desiit* v. g. desitum est timeri bellum, et bellum timeri desiit ; item ut supra : Urbs aedificari coepit.

M. Quid est Praedicatum, Honori ?

H. Id, quod de subjecto sententiae praedicatur seu dicitur v. g. Feles *dormit.* Flos *est caducus.* Verae amicitiae *sempiternae sunt.* Somnus *est imago mortis.* Gaudia saepe *sunt initium doloris.* Undae saepe *sunt sepulchrum nautarum.* Nix *est candida.* Signa morbi *haec sunt.* Deus *est.*

Praedicatum autem esse potest verbum, substantivum, adjectivum, numerale, pronomen, Infinitivus, quae verbo *esse* cum subjecto copulantur.

Verbum *persona* et *numero* congruit cum subjecto v. g. Feles *dormiunt* ;
substantivum *casu* v. g. Rhenus est *flumen* ;
adjectivum, participium, numerale, pronomen *genere, numero, casu* v. g. Aqua est *frigida.* Mare est *immensum.* Tempus est *breve* Laus est *jucunda.* Animalia sunt *utilia.* Onus est *grave.* Cogitare est vivere.

M. Explica hujus exempli congruentiam : Indus est omnium fluminum maximus.

H. Superlativus conjunctus cum Genitivo partitivo, cum est praedicatum, congruit cum subjecto ; si vero Genitivus subjectum antecedit, adjectivum congruit cum Genitivo.
Omnium fluminum maximum est Indus.
Tigris est omnium animalium crudelissimus.

M. Paulo ante dixisti, quod substantivum praedicati locum teneret, id casu tantum cum subjecto congruere ; affer aliquot exempla.

H. Romani fuerunt *populus* fortissimus.
Amicitia *vinculum* quoddam hominum est inter se.
Captivi militum *praeda* fuerunt.

Athenae omnium artium *domicilium* fuerunt.

M. Si vero substantivum praedicati est substantivum mobile i. e. quod binas formas habeat, unam masculinam, alteram femininam, ut rex—regina, dominus—domina, magister—magistra, antistes—antistita, psaltes – psaltria, hospes—hospita, victor—victrix, ultor—ultrix, inventor—inventrix, praeceptor—praeceptrix, adjutor—adjutrix, etc?

H. Eiusmodi substantiva nimirum genere quoque subjecto sese accommodant v. g. *Sol* est *rex* siderum. *Luna est regina* noctis.
Aquila est *regina* volucrum, fida *ministra* Iovis.
Iustitia est *domina* et *regina* omnium virtutum.
Intemperantia est *adjutrix* omnium scelerum.
Usus est optimus *magister* ; *consuetudo* bona *magistra*.
Athenae artium liberalium *inventrices* erant.
Pax est *altrix* artium. *Pudor moderator* cupiditatis est.

M. Utrum est emendatum : Omnis multitudo *abiit*, an : Omnis multitudo *abierunt* ?

H. Cicero et alii optimi latinitatis auctores post substantivum collectivum, ut *multitudo, pars, turba, vis, juventus, vulgus, plebs, populus, civitas, exercitus*, etc. verbo singulariter utuntur : multitudo *abiit* ; T. Livius vero et alii pluraliter : multitudo *abierunt*.
Magna pars virginum *raptae sunt*. — Classis *fugerunt*.
Ingens turba circumfusi *fremebant*. — Magna multitudo *convenerant*.
Pars per agros *dilapsi*, pars urbes *petunt* finitimas.

Idem dicendum est de pronominibus *uterque, alius-alium, alter-alterum, pars-pars, quisque* cum superlativo v. g. fortissimus quisque *tremuit* (vel *tremuerunt)*.

M. Estne *adolescentia* nomen collectivum ?

H. Non est vero, quia non significat *adolescentes*, sed gradum aetatis, ut pueritia, infantia. *Iuventus* contra est nomen collectivum significans *juvenes*. Quam ob rem falso

scribitur : Adolescentia Romana belli avida. Nunc etiam Graece scribit adolescentia. Magno cum plausu adolescentiae ; pro : Magno cum plausu *adolescentium*.

M. Estne haec sententia grammatica : Plerique vestrum illud non *ignorant* ?

H. Emendatius equidem dixerim : Plerique vestrum illud non *ignoratis*. Cum enim notiones partitivae, ut *multi, pauci, plures, plerique* conjunctae sunt cum *nostrum, vestrum*, verbum congruit cum *nostrum, vestrum*, quae significant primam et secundam personam. Ergo : Plerique *vestrum* illud non *ignoratis*. Pauci *vestrum* tum nati *eratis*. Multi *nostrum* illud *meminimus*. Plerique *nostrum* non *aderimus*.
At : Plerique cives (vel civium) *sciunt*.

M. Estne omnino vitiosum dicere : Plerique vestrum sciunt ?

H. Cum ipse Cicero aliquo loco tertia utatur persona, eandem rationem sequi vitium grave non esse videatur.

M. Utri in hoc exemplo adjectivum accommodas subjecto an praedicato : Temperantia assidua comes est virtutis ?

H. Cum substantivum praedicati est nomen *commune* i.e. masculini idemque feminini generis (ut *custos, sacerdos, dux, civis, artifex, comes, heres, parens, testis, vates)*, adjectivum cum illo conjunctum congruit genere cum subjecto v. g. Conscientia mihi certa ac fida optimorum consiliorum testis est.

M. Utri congruit copula *esse* subjecto an substantivo praedicati, cum utrumque est aut diversi numeri aut diversi generis ?

H. Supra diximus : captivi militum praeda *fuerunt*.
Haud raro tamen *esse* congruit cum substantivo praedicati quod semper fit, cum subjectum est Infinitivus v. g. Contentum suis rebus esse maximae *sunt* divitiae.
Saepissime idem fit, cum *esse* conjunctum est cum partici-

pio passivo verborum *dici, appellari, videri, haberi*, etc. quod participium se accommodat nomini proximo.
Gens universa Veneti *appellati sunt.*
Paupertas mihi onus *visum est* et miserum et grave.
Non omnis error *stultitia est dicenda* ; vel :
Dicendus est non omnis error stultitia.
Consulatus tui fuit initium ludi Compitalicii.
Numidae possedere ea loca, quae proxima Carthaginem Numidia appellatur.
Universus hic mundus una civitas existimanda est.
Visae sunt nocturnae faces ardorque coeli.
Convicta est Messalina et Silius.
Missus est Syphax et captivi.
Orgetorigis filia atque unus ex filiis captus est.

M. Quid tibi, Juliane, de hac sententia videtur : *Triste* lupus stabulis ?

J. Est illa emendata, *triste* enim hic est substantivum, idem ac *triste quiddam, res tristis*. Eodem modo : Varium et mutabile semper femina.

M. Quando omittere licet *est* et *sunt* ?

J. In proverbiis ; praeterea cum adjuncta sunt participiis, praecipue participio Futuri in conjunctione Accusativi cum Infinitivo v. g. Omnia praeclara rara. Summum jus summa injuria.
Acti labores jucundi. Quot homines tot sententiae.
Habenda ratio valetudinis. Capita conjurationis virgis caesi.
Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiari jusserat.

M. Quae alia verba praeter *esse* inter subjectum et nomen praedicati copula esse possunt ?

J. Verba *fieri, evadere, exsistere, nasci, manere, videri, apparere, mori* ; *vocor, appellor, eligor, designor, creor, declaror, habeor, ducor, putor, judicor*, etc., quae activa cum gemino Accusativo conjunguntur v. g. *Exstitit* Brutus vindex nostrae libertatis.

Brutus per se homo magnus *evaserat.*
Muti atque inopes *nascimur.*
Fabius imperii *scutum vocabatur.*
Prisci Romani *latrones putabantur.*
Iustitia erga deos *religio dicitur*, erga parentes *pietas.*
Clodius *tribunus* plebis *est designatus.*
O miserum diem, quo *consul* P. Sulla *renuntiatus est* !
Malus poeta nunquam *bonus fiet.*
Tempus actionis opportunum *appellatur occasio.*
Hannibal *victor mansit.*
Homines haud raro *ingrati reperiuntur.*
Ignavia nemo *immortalis factus est.*

M. Dixisti modo : Malus poeta nunquam bonus fiet. Nonne licet dicere : *Ex* malo poeta nunquam bonus fiet ?

J. Non licet, nisi subjectum sententiae est certum v. g. *Demosthenes* ex balbo oratore factus est orator disertus. Illa autem est sententia generalis.

M. Converte in latinum : *Qu'est devenu votre fils cadet ?*

J. Quid factum est filio tuo minore *(Ablativus)* ?
Eodem modo : Quid fiet artibus ? Quid illo fiet ? Quid factum est illis elephantis ? Quid est eo argento factum ?
Sed apud Ciceronem etiam : Quid *de* me fiet. Quid *de* Tulliola mea fiet ?

M. Quid est *constructio ad synesin* seu *ad intellectum*, Rufine ?

R. Cum verum genus subjecti praedicato significatur, constructionem ad synesim habemus v.g.
Capita conjurationis virgis caes*i* ac securi percuss*i* sunt.
Exciss*a* ferro est *Pergamum* (urbs). *Auxilia* irat*i* erant. *Pars* militum hostem aggredi juss*i* sunt. Illa *furia*, illud *monstrum*, *qui* non dubitavit...

M. Estne haec sententia emendata : Duo millia Tyriorum crucibus affixi sunt.

R. Est illa quidem emendata, sed praedicatum plerumque cum *millia* congruit. Ergo : *affixa sunt.*

M. Quid de numero praedicati, cum antegreditur plus unum subjectum ?

R. Praedicatum est nimirum in numero plurali v.g. Pompejus et Scipio foede perierunt.

M. Verbo *nimirum* significare videris nullum unquam discrimen in hac re esse faciendum.

R. Discrimen certe admitto et hoc quidem. Cicero in hoc genere utitur singulari, cum unum ex subjectis antecedit praedicatum vel attributum v. g. Homerus fuit et Hesiodus.
Malleolus productus est et mater ejus. – Nec te Crassus defendet nec Antonius. · Pompejus omnia pollicetur et Caesar. — Caesar aderat et Labio. — Catulo audiente et Caesare. — Caepione consule et Laelio.

Saepissime praeterea cum praedicatum antecedit omnia subjecta v.g.Dubitare visus est Sulpicius et Cotta. — Cadit Craterus dux et Neoptolemus. — Quod ait Aristoteles et Theophrastus. -- Dicit unus et alter breviter. — Haerebat reus et accusator. — Delectat Ennius, Pacuvius, Attius. — Arcessebatur Curius et ceteri senes.

Denique cum singula subjecta separatim, non conjunctim agentes cogitantur v.g. Cum ego mihi illum, sibi me ille anteferret. – Suavitatem Socrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides habuit. — Cum quaesturam nos, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. — Cum Cassius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur. Cum imperator exercitum, censor populum lustraret.

M. Quid de numero praedicati, si subjectum sententiae plura continet nomina concreta vel abstracta ?

R. Apud Ciceronem praedicatum semper fere congruit cum nomine, cui est proximum, quod etiam fit, cum rebus nomina personalia sunt admixta v. g.

Gravitas et virtus judicis consoletur. — Fama et vita defenditur.— Cum dignitas et fama in discrimen veniret.— Sua quemque fraus et únus terror vexat. — Salus hujus et mea fides postulabit. — Risus populi atque admiratio vestrum omnium facta est. — Vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est. — Et ille et senatus frequens in curiam venit. Una lex, unus vir, unus annus vos liberavit. — Neminem a congressu meo neque janitor neque somnus absterruit. — Non rex, non gens, non natio pertimescenda est. — Si patria, si cuncta Italia, si respublica loquatur.— Me consules, praetores, cuncta Italia deprecata est. — Et gladiatores et omnis ista vis comparabatur.

Si vero plures notiones diversae vel sibi contrariae sunt, sequitur pluralis v.g.
Ius et injuria natura *dijudicantur.* — Luxuria et avaritia non unum idemque *sunt* vitium.

M. Estne haec sententia emendata : Unus et alter erraverunt ?

R. Non est profecto, emendatius dixerim : *erravit.*

M. At licet dicere : Si aut Cicero aut Demosthenes hoc dixissent ?

R. Non licet, cum enim duo subjecta *aut* conjunctione separantur, praedicatum sequitur in singulari. Ergo : *dixisset.*

Eadem est ratio conjunctionum *et-et, nec-nec, vel-vel, cum-tum.* Attamen pluralis quoque nonnunquam invenitur.

M. Estne haec sententia emendata : Demosthenes cum ceteris in exilium est expulsus ?

R. Illa quidem admitti potest ; sed cum personae sint complures, praestat certe praedicatum pluraliter efferre v. g. Dux cum aliquot principibus capiuntur.

M. Veniamus ad ADJECTIVUM PRAEDICATI. Si bina diversi generis sunt subjecta, utri congruit adjectivum, Luciane ?

L. Cum subjecta sunt personae, masculino v. g. Pater et mater *mortui sunt*. Rex et regina magnifice sunt *ornati* ; cum personae ejusdem sunt generis, generi earum v. g. Mater et filia injuria *affectae* sunt. Pater et filius *profecti* sunt.

Idem valet in res ejusdem generis v. g. aurum et argentum sunt *pretiosa*. Sed feminina abstracta, ut *justitia, gloria, pietas, experientia, infantia, senectus, fames, sitis*, etc. etiam cum neutro conjungi possunt v. g. Superbia et jactatio *fugienda* sunt.

Pax et concordia civibus *utilia* sunt. Virtus vestraque fides mihi *spectata* sunt.

Cum subjecta res sunt diversi generis, adjectivum praedicati fit neutrum v. g. Divitiae et honores *caduca* sunt.

Cum denique subjecta sunt animantia et res divers generis, adjectivum pluraliter elatum aut congruit cum illis aut genus assumit neutrum v. g. Rex regiaque classis una *profecti* sunt. Libera civitas et rex inter se *inimica* sunt ;

aut praedicatum se accommodat ad unum ex subjectis v.g. Thrasybulus a tyrannis *contemptus* est atque ejus solitudo.

M. Quid de persona verbi, cum subjecta sunt diversae personae v. g. *ego* et *tu* ?

L. Verbum se accommodat ad ordinem personarum. *Ego* autem antecedit alteri personae, altera tertiae v. g.

Ego atque tu omne illud tempus una *fuimus*.

Si *tu* et Tullia *valetis*, *ego* et Cicero *valemus*.

Ego et tu et ille mortales *sumus*.

M. Estne hoc igitur emendatum : Ego bene, tu male *scribimus* ?

L. Certe non est ; quamquam enim verbum utrique personae est commune, tamen rem diversam de utraque enuntiat.

Quam ob rem : Ego bene, tu male scribis. Vel : Ego bene scribo, tu male.

Idem valet, cum post pronomen aliquod sequitur substantivum v. g.

Et *tu et omnes homines sciunt* (ac non : *scitis*).

M. Quid est APPOSITIO, Sabine ?

S. Appositio est nomen attributivum, quod substantivo alicui subtilius definiendo in eodem casu adjungitur v. g. Rhenus, *flumen*. Aetna, *mons*. Cicero, *orator* et *consul*.

Darius, Persarum *rex*. Herodotus, *pater* historiae. Carthago, *urbs* potentissima. Brutus et Cassius, *interfectores* Caesaris.

Appositio vicem praestat aut sententiae relativae v. g.

Usus *magister* egregius = usus, *qui est* magister egregius ; aut sententiae conjunctionalis v. g. Cato *senex* historiam scribere instituit = Cato, *cum senex esset*, etc.

Haec *puer* didici = *cum puer essem*.

Filium *infantem* occidit = *cum filius esset infans*.

M. Quae praecepta valent in convenientiam appositionis ?

S. Ut paulo ante dixi, appositio in eodem casu collocatur ac nomen ad quod se refert ; numero autem inter se differre possunt itemque genere, nisi appositio est substantivum mobile (vide p. 8) v. g.

Pompejus, *nostri amores*. Tullia, *deliciae meae*. Corioli, *oppidum*.

Usus, *magister* egregius. Sed : Consuetudo, *magistra* egregia.

Athenae, *inventrices* omnium artium.

M. Utri congruit praedicatum subjecto an appositioni ?

S. Subjecto, nisi vocabula *oppidum, urbs, civitas,* appositionis locum tenent v. g.

Virtus, praeclarissimae divitiae, pauperibus et divitibus *communis est*.

Sed : Volsinii, *oppidum*, fulmine *concrematum est*.
Veji, *oppidum*, *oppugnatum est*.

M. Potest adjectivum vel participium esse appositio ?

S. Possunt, si locum tenent sententiae relativae v. g. Socrates omnium Graecorum *sapientissimus* capite damnatus est.
Pompejus, a militibus *desertus*, Aegyptum petiit.
Artes sunt innumerabiles ad victum et ad vitam *necessariae*.
Mithridates Scythas *invictos* antea perdomuit.
Hannibal Alpes adhuc ea parte *invias* sibi patefecit.

M. Similì modo quaedam adjectiva, quae affectum aliquem animi vel habitum corporis, ordinem vel numerum significant, tamquam appositio cum subjecto conjungi solent. Affer exempla, Urbane.

U. Mortem venientem nemo *hilaris* excipit.
Socrates venenum *laetus* hausit. — Nemo fere saltat *sobrius*.
Parvum ergo te, Jugurtha, in meum regnum accepi.
Hortensium *vivum* amavi, Crassum non odi *mortuum*.
Absens tecum loquor. Ego *miserrimus* vivo.
Illi haud *timidi* resistunt. Milites *exanimati* eo pervenerunt.
Accusator calumniari *sciens* videtur. *Perterritus* ad me venit.
Diodotus Stoicus *caecus* nostrae domi vixit. *Invitus* te offendi.
Non *generosus* egit ille cum Cimone. Si peccavi, *insciens* feci.
Imprudens in hoc malum incidi. *Opportunus* ille aderat.
Themistocles *totum* se dedit reipublicae.
Item *tacitus, occultus, diversus, incautus, subitus*, etc.
Hostes *rari* se ostendere coeperunt. Senatus *frequens* convenit.
Tanais Europam et Asiam *medius* interfluit.
Ptolomaeus, qui tum regnabat *alter* post Alexandriam conditam.

Hannibal *princeps* in proelium ivit, *ultimus* conserto proelio excedebat.
Priori Remo augurium venisse fertur.
Curius *primus* elephantos quatuor Romam duxit.
Hispania *postrema* omnium provinciarum perdomita est.
A Romanis deserti sunt, cui *uni* fidebant auxilio.
Eodem modo utimur *totus* et *solus*.

m. Utrum est emendatum, Valentine : Cato senex historiam scribere instituit, an : Cato *ut* senex historiam scribere instituit ?

V. Illud emendatum est, quod significat : *Cum esset senex*.
Eodem modo : Caesarem *puer* cognovi. Pompejum *puerum* vidi.
Puer didici, quod discendum fuit.
Caesari *quaestori* ulterior Hispania obvenit.
Ego non eadem volo *senex*, quae *puer* volui.
Cicero rempublicam defendit *consul*.
Junius aedem Salutis *dictator* dedicavit.
Et sic semper cum de aetate aut de munere aliquo agitur.

Ut contra appositioni praeponitur, cum causa aliqua significanda est aut circumscriptio v.g. Possum falli *ut* homo.
Mortem *ut* finem miseriarum exspecto = quia finis est.
Interfectores Caesaris *ut* parricidae suppliciis maximis afficiendi erant (= quia parricidae sunt).
Multae in Catone *ut* in homine Romano litterae erant (Cato circumscribitur homine Romano = pro homine Rom.)
Cum de notione aliqua non certa, sed animo tantum concepta agitur, utimur *tanquam, quasi* v. g.
Lycurgus auri argentique usum *tamquam* omnium scelerum materiem sustulit.

2. De congruentia pronominis.

M. Quae valent in pronominis convenientiam praecepta, Albane ?

A. Quod ad pronomen relativum attinet, genere et numero cum verbo, ad quod se refert, convenit v. g.
Luna eam lucem, *quam* a sole accipit, mittit in terras.

Si vero ad totam sententiam se refert, requiritur neutrum *quod*, vel ut optimi latinitatis auctores docent, *id quod* v. g.
Si nos, *id quod* maxime debet, nostra patria delectat.
Immeriti cumulantur honoribus, *id quod* causat, ut cupiditas nos occupet.
Timoleon, *id quod* difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam quam adversam fortunam.
Hic quaeritur, quid sit virtus, *id de quo* jam supra disputavimus.
Caesar, *id quod* facile intelligitur, obsides retinuit.

M. Quam rationem instituis, si relativum se refert ad plus unum verbum ?

A. Eadem valent praecepta, de quibus supra disseruimus. Rex et regina, *qui* advenerunt. Divitiae et honores *quae* adeptus sum.

M. Utrum est emendatum : Flumen Rhodanus, *qui* in Sinum Gallicum influit, an : *quod* in Sinum Gallicum influit ?

A. In ejusmodi exemplis relativum sine discrimine vel ad subjectum vel ad appositionem referri potest.

M. Explica hanc sententiam : Thebae, *quod* Beotiae caput est, in magno tumultu erant.

A. Si praedicatum sententiae relativae continet nomen substantivum, relativum, dummodo rem minoris momenti veluti geographiam explicet, substantivo, quod sequitur, se accommodat ; si vero substantivo praedicati res necessaria explicatur v. g. nomen proprium, relativum congruit cum subjecto sententiae absolutae.

M. Confirma utrumque praeceptum exemplis.

A. Caesar Gomphos pervenit, *quod* est oppidum Thessaliae.
Leonidas ad eum locum pervenit, *quem* Thermopylas vocant.
Ad Leucopetram, *quod* est promontorium agri Rhegini, venti me detulerunt.
Est genus quoddam hominum, *quod* Helotae vocatur.
Homines domicilia, *quas* urbes dicimus, moenibus sepserunt.
Cassivellauni fines a maritimis civitatibus flumen dividit, *quod* appellatur Tamesis.
Exstat eius peroratio, *qui* epilogus dicitur.
Est carcer a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, *quae* Lautumiae vocantur. — Animal plenum rationis, *quem* vocamus hominem.
Pompejo, *quod* imperii lumen fuit, exstincto...

M. Explica hanc sententiam : Non is sum, qui facile terrear.

A. Verbum sententiae relativae congruit cum persona, quae inest in subjecto *qui* v. g.
Non sum *ego* is, qui nefas esse *arbitrer* Gracchos laudare.
Te noli oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis *consueveris* praecipere.
Non is *sum*, qui omnia *credam*. *Mihi* crede, qui te sincere *amo*.
Cave putes *me* eum esse, qui te decipere *cupiam*.
Dubito *sisne* is, qui ejusmodi onus sustinere *possis*.
Vos interrogo, qui tum rei testes *fuistis*.
Oderunt *me*, qui pro omnium salute *laboravi*.
Quid de *nobis* dicam, qui ad laudem et gloriam nati *sumus*.
Hoc ad *me* pertinet, qui te unice *diligo*.
Item : Populus Romanus te hominem *per te* cognitum extulit (ac non : *per se*).

M. Converte, Corneli, in latinum : *Même volonté pour, même volonté contre, c'est là la solide amitié.*

C. Idem velle et idem nolle : *ea* firma amicitia est.

M. Cur non dicis : *id (ceci, cela)* firma amicitia est ?

C. Cum pronomen relativum vel demonstrativum neutrius ea complectens, quae antecedunt, fit subjectum vel objectum sententiae, cujus praedicatum est nomen substantivum, pronomen cum hoc congruit genere et numero.

M. Profer exempla.

C. Romae fanum Dianae populi latini cum populo Romano fecerunt : *ea* (ac non : *id) erat confessio,* caput rerum Romam esse *(ce qui était l'aveu ; c'était avouer).*

Levis est animi lucem splendoremque fugientis justam gloriam, *qui est fructus* verae virtutis honestissimus, repudiare.

Si omnia facienda sunt, quae amici velint, non amicitiae *tales,* sed conjurationes putandae sunt *(de telles choses doivent être considérées).*

Si quis hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat : *eas divitias, eam bonam famam* magnamque nobilitatem putabant *(cela = c'est là ce qui était à leurs yeux la richesse...)*

(Arpinum) *haec* est mea patria *(c'est ; voilà).*

Haec est innocentiae defensio, *hoc* fuit totum consilium mulieris.

Illud judicium, *illa* absolutio nominanda est.

Haec istorum provincia est. Non est *ista* mea culpa, at temporum.

Hoc fundamentum libertatis, *hic* fons aequitatis est.

Quae apud alios iracundia dicitur, *ea* in imperio crudelitas appellatur *(ce qui).*

Illam enim fortasse virtutem nonnulli putabant, *hanc* vero iniquitatem omnes.

Ea natura rei est (ac non : hoc est in natura rerum).

Nullam virtutem nisi malitiam putant *(pour eux vertu n'est rien que malice).*

Ista quidem vis est *(cela). Ea* ipsa causa belli erat.

Hae sunt meae imagines, *haec* nobilitas. *Ea* tua humanitas est.

Omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinent, ratio et disciplina studio sapientiae, *quae* philosophia dicitur, continetur.

M. Sic sane res se habet, cum pronomen est subjectum, et substantivum, quod sequitur, attributum ; si vero ordine permutato substantivum est subjectum et pronomen attributum, hoc non attrahitur v. g. Num propterea idem voluptas est, *quod* indolentia *(voluptas* est subjectum et *idem* attributum).

Quod est *idem* virtus (= *ce qu'est aussi la vertu).*

Quid denique usui est, cum de definitione agitur v. g. *Quid* est iracundia ? *quid* est pietas ? *Quid* est animus? etc. Quaeritur, *quid* sit memoria.

CAPUT ALTERUM.

DE SYNTAXI RECTIONIS

SEU DE USU CASUUM OBLIQUORUM.

1. De Genitivo.

M. Quae est significatio Genitivi, Beate ?

B. Varia significare potest ; quamobrem grammatici distinguunt 1) Genitivum subjectivum, 2) objectivum, 3) exegeticum (vel definitivum, explicativum), 4) qualitatis, 5) partitivum, 6) pretii, 7) possessivum. —

M. Quem intelligis *Genitivum subjectivum ?*

B. Illum, qui locum subjecti tenet, quod aut possidet aliquid, aut agit aliquid. aut causa est alicujus rei v. g.
Domus patris. Templum Jovis. Classis hostium. Conjuratio Catilinae. Iudicia hominum. Opera Ciceronis. Principia omnium virtutum parva sunt.
Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam.
Hic Genitivus respondet interrogationi : *Cujus*.

M. Quid est *Genitivus exegeticus ?*

B. Est Genitivus subjectivus, qui locum appositionis tenet v. g.
Nomen (vox, vocabulum, verbum) *virtutis*. Verbum *amandi*. Nomen *fluminis*. Arbor *fici*. *Domini* appellationem semper exhorruit Augustus.

M. Licetne igitur dicere : Mons Aetnae, terra Italiae ?

B. Ejusmodi Genitivus invenitur apud poetas ; sed prosa oratio, cum nomini communi additum est nomen proprium, semper utitur Nominativo v. g. Rex *Tullius* ; flumen *Rhenus ;* terra *Italia ;* urbs *Roma*.

M. Quem appellas *Genitivum objectivum* ?

B. Illum, qui rem passivam significat, in quam transit actio Nominativi. v. g. Amor virtutis. Spes pacis. Desiderium patriae. Remedium doloris. Memoria beneficiorum. Timor mortis.

M. Affer aliquot adjectiva, quae hunc Genitivum recipiant.

B. Sapientiae *avidus*. Litterarum *studiosus*. *Consors* laboris. Astrologiae *ignarus*. *Socius* regni. Nullius *conscius* injuriae. *Peritus (imperitus)* rei militaris. *Nescius* litterarum. *Memor* beneficii. *Particeps* gloriae. Omnium rerum *inscius* et *rudis*. *Imprudens* legis. *Expers* rationis. *Inops* humanitatis. Mentis *compos* Irae *potens*. Vita metus *plena*. *Capax* cibi.

Terra *ferax* arborum et segetum. Hortus olerum *fecundus*. Homo *negligens* religionis. Miles *appetens* honoris. Vir consilii *patiens*. Mulier *amans* patriae. Servus imperii *diligens*.

M. Dixisti : *Rei militaris* peritus ; ego vero inveni : *Jure* peritus. Estne hoc emendatum ?

B. Nihil dubito : quippe cum apud auctores utrumque inveniatur : *Juris* peritus, juris consultus ; et : *Jure* peritus, jure consultus.

M. Nonne haec sententia ambigua est : Amor Dei nobis consolationi est.

B. Esse non negaverim, cum *amor Dei* aeque Genitivus subjectivus ac Genitivus objectivus esse possit. Cui ambiguitati, ut occurramus, praepositionibus uti praestat v. g. Amor Dei *erga* homines. Amor erga Deum noster. Pietas erga parentes. Tuus erga me amor.
Nostra *in* amicos benevolentia. Caesaris *cum* Pompejo amicitia.
Odium *adversus* inimicos, etc.

M. Licetne dicere : Amicus *mei* advenit. Epistolam *tui* accepi ?

B. Nunquam licet, quia pronomen personale Genitivo subjectivo omnino caret.
Ergo : Amicus *meus* advenit. Epistolam *tuam* accepi. Origo *nostra*.
Pro *Injuria mei* (Genitivus object.) dicimus : Injuria *mea, tua*...

M. Quid significat : *Studium nostri*, et : *Multi nostrum* ?

B. Ille est Genitivus objectivus (= *sympathie pour nous)* ; hic Genitivus partitivus (= *beaucoup d'entre nous)*.
Melior pars *nostri* est animus. Sed : Major pars *nostrum* (pluralis).
Patria nostrum omnium. Pater nostrum omnium.
Sors omnium nostrum est mors. Opinio omnium vestrum est falsa.

M. Dixisti, pro *amicus mei* dicendum esse *amicus meus* ; quid vero, si possessivo additur attributum aliquod vel appositio ut *ipsa, solus, unus ?*

B. Cum possessivum *meus* locum teneat prononimis personalis *mei*, attributum vel appositio collocatur in Genitivo. v. g. Mea *unius* opera hoc impetravi. Meo *consulis* imperio naves redierunt. Meum *solius* est peccatum. Pompeius est nostra *omnium* salus.
Vestrum *duorum* periculum summum erat.
Mea *absentis* voluntate captivi permutati sunt.
Nostra *ipsorum* amicitia plurimum valetis.
Tuum *hominis* simplicis pectus vidimus. Vestra *ipsorum* causa hoc feci. Tot homines mea *solius* solliciti sunt causa.
Ad tuam *ipsius* amicitiam aditum habuit.

M. At certe licet dicere : Istud *mei* causa fecisti. Nonne ?

B. Nunquam ; quia *causa* recipit Genitivum subjectivum, quo pronomen personale, ut supra dixi, caret. Ergo : *mea* causa ; *tua, nostra, vestra* causa.

M. Licetne, ut hanc quaestionem breviter perstringam, omni occasione et sine ullo discrimine uti *causa* cum Genitivo ?

B. Optimi latinitatis auctores utuntur *causa* cum Genitivo, cum propositum continet aliquod futurum spectans et ideo idem significat quod *ut* intentionale v. g. discendi causa huc veni = huc veni, *ut* discerem. — Quaestus causa domicilium in Asia collocavit = *ut* quaestum faceret.

Ubi non agitur de proposito sed de causa praesenti, *propter* praepositione uti praestat v. g. Propter inopiam patriam reliquerunt = quod inopia premebantur. — Propter illatam injuriam illam domum amplius non adibo = quod injuria affectus sum.

At : Ulciscendae injuriae causa illam domum iterum adibo.

M. Licetne dicere : mea, tua, nostra, vestra *gratia* ?

B. *Gratia* universe rariore in usu est, quam *causa*. Conjungi tamen potest cum Genitivo substantivi et Gerundii, sed numquam cum *mea, tua, nostra, vestra* v.g. Hominum

gratia ; hujus accusandi gratia ; exempli gratia ; verbi gratia.
Eundem Genitivum recipit *instar (équivalent)* v. g. Plato mihi unus *instar omnium* est *(vaut autant)*.

M. Quem vocas *Genitivum qualitatis*, Damase ?

D. Illum, qui cum adjectivo aliquo conjunctus qualitatem alicujus rei declarat.

M. Cur dicis « *cum adjectivo conjunctus* » ? Nonne satis est dicere : Homo ingenii, mulier virtutis, vir doctrinae, vestimenta pretii ?

D. Istud omisso adjectivo latinum non fuerit ; necessario dicendum est : Vir *magni* ingenii (vel vir ingeniosus) ; vir *magnae* constantiae vel constans *(homme de caractère)* ; mulier *spectatae* virtutis ; corona *magni* ponderis ; vestimenta *maximi* pretii ; rex *inusitatae* luxuriae ; vir *fervidi* animi ; juvenis *mitis* ingenii ; puer *novem* annorum (= novem annos natus) ; puer *magni* ingenii est. Non *multi* cibi hospitem accipies, sed *multi* joci. Exilium *decem* annorum ; ager *quatuor* jugerum ; *inusitatae* magnitudinis esse.

M. Quid interest inter Genitivum qualitatis et Ablativum qualitatis ?

D. Ille qualitates declarat, quae subjecto natura inhaerent ; hic qualitates fortuitas mutabilesque ; qualitates corporis et partium ejus v. g.
Caesar fuit vir summae prudentiae.

At : Caesar fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera.

M. Dixisti qualitates natura subjecto inhaerentes Genitivo esse declarandas ; unde fit, ut vel optimi scriptores tam saepe Ablativo pro Genitivo utantur ? v.g. vir summa virtute, summa humanitate, eloquentia. —

D. Etsi ejusmodi virtutes aut vitia subjecto natura

inhaereant, tamen occasione data quasi fortuita exhibentur. Quam ob rem in hoc genere promiscue et Genitivo et Ablativo uti licet.

M. Sunt qualitates, Floriane, quae a natura subjecti separari prorsus non posse censeantur, et ideo non admittant nisi Genitivum : quae ?

F. Illae, quibus designatur mensura, numerus, tempus, spatium, pondus, genus, figura v. g. Fossa pedum quinquaginta. Exilium trium annorum. Senex septuaginta annorum. Via tridui. Saxa magni ponderis. Classis septuaginta navium. Colossus centum viginti pedum. Naves variae figurae. Pisces ejus generis.

M. Quando Ablativus solus admittitur ?

F. Cum, ut jam supra diximus, designandae sunt qualitates fortuitae et mutabiles; qualitates corporis et partium ejus ; praeterea in comparationibus, velut : Adamas magnitudine ovi ; serpentes crassitudine brachii ; animal figura piscis etc.

M. Profer aliquot qualitates fortuitas et mutabiles, corporis, etc.

F. Esto bono animo Ea mente non semper fuisti. Senatus fuit veste mutata Cur tam sollicito animo es ? Homo humili statura. Juvenis egregia facie. Homo summa potentia summaque fortuna. Puer capillo nigro, rufo, promisso. Mulier oculis lippis.

M. Explica hoc exemplum: Magni judicii, summae etiam facultatis esse debet orator.

F. Verbum *vir, homo,* unde pendeat Genitivus, omissum est, quod saepe fit in sententiis, quarum verba sunt *esse, fieri, putare, habere, existimare.* v. g. Qui deum esse neget, vix eum sanae mentis putem.
Eodem modo omittuntur verba : *puer, juvenis, senex* v. g. Hamilcar in Hispaniam secum duxit filium Hannibalem annorum novem.

Cato primum stipendium meruit annorum decem septemque.
Fabius Maximus moritur exactae aetatis (= senex).

M. Quid significat : Classis Graecorum quadraginta navium longarum fuit ?

F. Classis Graecorum *constabat ex.*

M. Quem, Laurenti, vocas hunc Genitivum : *Modius frumenti, libra panis, amphora vini, pars exercitus* ?

L. *Genitivum partitivum,* qui integrum significat, de quo pars demitur.

M. Hic Genitivus, opinor, cum solo substantivo conjungi potest ; nonne ?

L. Imo etiam cum comparativo et superlativo adjectivi ; cum numeralibus et pronominibus numeralibus ; cum adjectivis et pronominibus neutrius, quae in Nominativo et Accusativo singulari pro substantivis habentur v. g.
Major fratrum. *Seniores* militum. Oratorum *praestantissimi.* *Nobiliores* Romanorum. Plato Graecorum *doctissimus.* Gallorum *fortissimi* sunt Belgae. Hannibalis temporibus omnium *potentissimus* Antiochus fuit. Indus omnium fluminum est *maximus.* Arduenna silva est totius Galliae *maxima.*
Sylla *centum viginti quatuor* suorum amisit.
Trajanus *solus* omnium intra urbem sepultus est.
Trevirorum civitas longe *plurimum* totius Galliae equitatu valet.
Quis omnium oratorum *eloquentior* fuit quam Demosthenes!
Nemo mortalium omnibus horis sapit.
Multae istarum arborum mea manu satae sunt.
Consulum *alter* ex plebe creandus est.
Quotusquisque philosophorum invenitur, qui hoc credat.
Multum jucunditatis recordatio habet. *Parum* vini reliquit.
Nihil praemii expetit. *Dimidium* facti, qui bene coepit, habet.
Quid causae fuit, cur Graecia interiret ?— *Quid* mulieris est?

Quid argenti habes ? *Quid* spei nobis reliquum est ? *Hoc* spei. *Quid* hominis ille est ? *Quidquid* transiit temporis, periit. *Aliquid* pristini roboris conservavit. *Quod* auri, quod argenti ibi fuit, id ille abstulit. *Quantum vini ?*
Habet iracundia *hoc* mali, non vult regi. — Tanto *plus* virium habent.
Undique ad inferos *tantundem* viae est. Ei copiarum *affatim* erant.
Ad *id* locorum *(jusqu'à présent)* ; *id* temporis (= eodem tempore) etc.

M. Si tamen ejusmodi adjectiva ex praepositione pendent, Genitivum non admittunt. Cavete igitur dicatis v.g. : *ad* tantum auri.
Neque adjectivum tertiae declinationis admittit Genitivum partitivum ; sed latinum est : aliquid dulce, aliquid difficilius, nihil triste.

At, si adjectivum est secundae declinationis : nihil *novi*, aliquid *boni*, multum *mali*.
Item dicere licet : Aliquid *magni* et *difficilis*.
Si praeterea adjectivum est praedicatum pronominis neutrius, casu congruit cum neutro v. g. *Nihil* fide sua *dignum* fecit. *Nihil imperfectum* reliquit. Nobis *aliquid bonum* dedit.

Quae adverbia loci Genitivum recipiunt, Pauline ?

P. Hic, huc, eo, quo, ubi, ubique, ubicumque, nusquam, usquam, v. g. *Hic* viciniae habitat ; *huc* viciniae venit. *Eo* magnitudinis populus crevit. *Eo* impudentiae processit. *Quo* amentiae progressi estis ? *Ubinam* gentium sumus ? *Ubi* terrarum sim, nescio. *Nusquam* gentium ejusmodi rem vidi. *Unde* gentium venis ?

M. Estne hoc emendatum : Caesar *satis* habebat *militum* ?

P. Dicere licet : Satis prudentiae, satis virtutis, satis audaciae, satis roboris, et sic semper, cum de nominibus abstractis agitur ; contra melius est nomini concreto adjectivum aliquod praeponere v. g. *Satis multos* milites habebat. *Satis magna* pecunia, *satis magnae* copiae. *Assez souvent* = satis saepe ; non parum saepe ; saepe plane.

M. Eodem modo cum Genitivo conjungitur adverbium *parum*.

Quid significat *parum* v. g. parum sapientiae ?

P. *Parum*, cui contrarium est *nimium*, significat *non satis (peu, trop peu)* ; quam ob rem permisceri non debet cum *paulum*, quod Gallice significat *un peu*.

M. Affer aliquot exempla, quibus usus hujus adverbii demonstretur.

P. Magis offendit *nimium* quam *parum*. Istud *parum* prodest et *nimium* obest. Satis eloquentiae, sapientiae *parum*. *Parum* intellexisti *(tu n'as pas bien compris)*.
Parum mihi constans et nimium cupidus viderere.

Quid satis est, si Roma *parum (qu'est-ce qui suffira, si Rome est trop peu)* ? *Parumne* est quod tantum homines fefellisti *(n'est-ce pas assez d'avoir)* ? Tigna *parum* (vel minus) firma. *Parum multi* estis *(peu nombreux)*. *Parum* accurate factum. *Parum multi* defensores.

M. Falsum est igitur : Parum aut nihil contribuit ; pro : *non multum* aut nihil contribuit. — Parum interest, quid dixerit ; pro : *non multum, non magnopere* interest. — Parum curo, etc.

Contra *parum* in ejusmodi sententiis emendatum est conjunctum cum negatione v. g. *Non (haud) parum* interest, quid dixerit. Haud parum curo. Haud parum, diu vixit *(assez longtemps)*.
Haud parum callide rem aggressus est *(avec assez d'adresse)*.

Neque latinum est : Parum admodum dedit *(très peu)* ; pro : *admodum nihil* dedit.

Neque : Quam parum hoc anno profecisti *(combien peu)* ;

sed : *Quam* hoc anno *non* (quam nihil; quam non multum ; quantum non, quantulum) profecisti.

Neque : *Tam parum* mihi satisfecisti *(si peu)*, sed : *adeo* mihi *non* satisfecisti ; usque eo non ; tantulum mihi satisfecisti.

Neque : *Tam parum, ut ;* sed : *Ita non, ut* ; neque eo non.

Neque : *Parum abest,* quin tibi invideam ; sed : *Non multum, paulum* abest, quin tibi invideam.

Quid interest inter : Acerrimus *omnium* sensuum est sensus videndi, et : Acerrimus *ex omnibus* sensibus est sensus videndi ?

P. Nihil interest. Licet enim pro Genitivo partitivo, qui ex comparativo, superlativo aut numerali aliquo pendet, praepositionibus *ex, de, inter* uti ; *ex, de* imprimis cum de numero vel de substantivo a numero aliquo ducto agitur v. g. *Unus* e tribus ; *duo de* viginti quinque.

Inter maxima vitia nullum est frequentius quam ingrati animi.

M. Suntne hae sententiae emendatae, Romane :
Nullum verborum tuorum est verum. *Pauci nostrorum* ceciderunt ?

R. Istud haud ferme concesserim. Cum enim pronomen possessivum conjunctum est cum numerali aliquo,aut casu cum numerali congruit aut cum praepositionibus *de, ex* in Ablativo locatur.

Ut supra demonstravimus,licet sane dicere : nullus senatorum, nullus militum ; neque vero unquam nullus senatorum *nostrorum,* cum sermo purus et latinus semper habeat : *Nullus* senator noster (de, ex senatoribus nostris) ; *pauci* nostri (vel ex nostris) ceciderunt ; *nullum* verbum tuum (de verbis tuis) est verum ; *multi* nostri vulnerati sunt ; nostri *circiter viginti* capti sunt ; *complures* nostri milites ; *multa* instituta nostra ; *nonnullae* leges nostrae ; *nullam*

epistolam tuam accepi. Servi *tres* tui. *Plures* meae epistolae interierunt. In *una* epistola tua legi.

M. Quid de hac sententia judicas : Multos habuit filios, *quorum omnes* mortui sunt ?

R. *Quorum* est Genitivus partitivus hic perverse usurpatus, quia cum omnes mortui sint, nihil relinquitur partiendum. Ergo : Multos filios habuit, *qui omnes* mortui sunt. Eadem de causa falsae sunt hae sententiae : Amici mei, *quorum* multos habeo, me defendent (pro : *quos* multos habeo).

Veniamus ad vivos, *quorum* duo reliqui sunt (pro : *qui duo).*

Fortunatorum plures sunt, quam infelicium (pro : Fortunati).

Duo consulares ejus anni, *quorum* alter ferro, alter morbo periit (pro : *qui).*

Tres hodie accepi epistolas, *quarum* omnes mihi pariter gratae erant (pro : *quae).*

M. Quid tibi, Severe, de hac sententia videtur : Duo numismata dono accepi, quorum maximum est aureum, minimum argenteum ?

S. Hic Genitivus partitivus *quorum* recte est collocatus, superlativus autem perperam.Cum enim res binae inter se comparantur, comparativus exigitur. Ergo : quorum *majus* est aureum, *minus* argenteum.

M. Beatus ante dixit *patiens* esse adjectivum recipiens Genitivum. Quid igitur interest inter *vir patiens laborem* et *vir patiens laboris* ?

S. Illud significat actionem fortuitam et mutabilem ; hoc qualitatem permanentem = vir qui consuevit pati laborem.

Idem interest inter *patriam amans* et *patriae amans* ; gloriam appetens et gloriae *appetens* ; veritatem *diligens* et veritatis diligens ; deum *colens* et dei colens ; laborem *fugiens* et fugiens laboris ; virtus *efficiens* voluptatem et

efficiens voluptatis ; *sitiens* sanguinem, sitiens virtutis.

M. Veniamus ad verba, quae exigunt Genitivum. Utrum est emendatum : *Patris* an *patrem* oblitus sum ?

S. Verba *oblivisci* et *meminisse* (= non oblitum esse, memoria tenere) conjunguntur cum Genitivo personae. Ideo : Patris oblitus sum ; saepe tui memini ; res autem in Genitivo vel Accusativo collocari potest : Oblitus sum *patriae* vel *patriam*.
Idem valet in verba *reminisci* et *recordari*, quae cum rebus tantum conjunguntur. Reminiscere praecepta Dei. Recordare pueritiam tuam. Sed semper : Recordare *de* me.

M. At plus semel inveni *meminisse* cum Accusativo personae conjunctum.

S. Certe, cum significat *animo colligere*, *memoria repetere* v. g. Cinnam memini. Antipater ille, quem tu probe meministi.

M. Utrum est emendatum : venit mihi *Platonis* in mentem an : *Plato* venit mihi in mentem ?

S. Cicero utitur Genitivo, Livius praeterea Nominativo v. g. Venit mihi in mentem illa nox. Non venit in mentem pugna apud Regillum lacum ?

M. Quid interest, ut in transitu hoc tangam, inter reminisci et recordari ?

S. *Reminisci* significat in mentem revocare ; *recordari* potius in animum (cor) revocare i. e. cum affectu quodam animi in memoriam revocare (cum gaudio, cum dolore, cum horrore, cum indignatione, etc.) v. g. Hortatus est Caesarem, ut reminisceretur veteris incommodi populi Romani et pristinae virtutis Helvetiorum.

Recordor pueritiam, juventutem, ludos pueriles, mortem matris, belli vastationem. Cum dolore recordor flagitiorum meorum ; lacrimas tuas.

M. Scisne, Turibi, alia verba, quae cum Genitivo jungantur ?

T. Verba transitiva *admoneo, commoneo, commonefacio* aliquem alicujus rei v.g. Veteris amicitiae te commonefacio. Res adversae nos admonent Dei. Commonefacio te promissi. Annulus me tui commonuit.

Eadem verba saepius admittunt : *de* re ; *monere* nihil aliud nisi *de* re.
Quis in Circum Maximum venit, quin *de* avaritia tua commoneretur ?
Terentiam moneatis *de* testamento.

M. Quid igitur significat : *illud* me praeclare admones ?

T. Pronomina tamen et adjectiva neutra pro Genitivo recipiunt Accusativum, aut, si verbum est passivum, Nominativum v. g.

Vos *id unum* admoneo. Parum *jucundum aliquid* vos admoneo.
Non audimus ea *quae* a natura monemur. *Multa* admonemur.

M. Utrum est emendatum : Certiorem te facio adventus mei, an : certiorem te facio *de* adventu meo ?

T. Utrumque est aeque bonum. Item dicere licet :
Ciceronis mentionem feci ; et : De Cicerone mentionem feci.

M. Quid est *Genitivus pretii*, Vincenti ?

V. Est Genitivus adjectivi, quo alicui rei pretium majus aut minus attribuitur. Verba autem quibuscum conjungitur, sunt : aestimare, ducere, habere, pendere, facere, putare, esse v. g.
Aestimare aliquid magni, permagni, pluris, plurimi, maximi ; parvi, minoris, minimi ; tanti, quanti, tantidem, quantivis, quanticumque. Nunquam vero dicere licet : *multi* vel *majoris* aestimare.

M. Quomodo explicas hunc Genitivum ?

V. Simul audiuntur nomina *res* et *pretium* v. g. Virtu-

tem *(rem)* magni *(pretii)* facio, duco, habeo. Divitias *(res)* parvi *(pretii)* pendo.

M. Estne haec sententia emendata : Petronius non aestimat magistrum ?

V. Non est profecto, cum *aestimare* solum nihil significet nisi taxare aliquid v. g. frumentum, domum, agrum. Quam ob rem dicendum est :

Petronius non *magni* aestimat magistrum suum.

M. Nihilo minus hodie invenias : Virtutem aestimo. Bonos homines aestimamus. Editio libri aestimata. Vir aestimatissimus.

Opus valde, minus, maxime, minime aestimatum, — quae est latinitas ridicula. Neque licet dicere : Nihil curo *aestimationem* hominum, sed *existimationem* hominum.

Latinum contra est aliquid bene, recte, vere, benigne, optime, male, pessime aestimare.

Affer exempla Genitivi pretii.

V. Si prata et hortulos *tanti* aestimamus, *quanti* est aestimanda virtus.

Unum Hephaestionem Alexander *plurimi* fecerat.

Virtus voluptatem *minimi* facit. Divitiae a me *minimi* putantur.

Parvi homines sua pendere, aliena cupere solent.

Ego te unum *pluris*, quam omnes illos puto.

Quanti quisque amicos facit, *tanti* fit ab amicis.

Mea mihi conscientia *pluris* est, quam omnium sermo.

Tanti est exercitus, *quanti* imperator.

Ego a meis me amari et *magni* pendi postulo.

Non quantum quisque prosit, sed *quanti* quisque sit, ponderandum est.

Voluntatem *tantidem, quanti* fidem suam fecit.

M. Quid significat : Minas ejus ne *flocci* quidem facio ?

V. *Je ne fais aucun cas de, je me moque de.* — Eodem modo Latini, sed cum negatione plerumque dicunt : *nihili* facere : *flocci, nauci, pili, pensi, teruntii, assis* facere, habere, pendere. Nihil pensi habet. Nihil mihi pensi est.

M. Latinum est : Aliquid nihili facere, habere, pendere; contra dicendum est : Aliquid *pro nihilo putare, ducere.*

Quid significat : *Est mihi tanti* subire hanc tempestatem ?

V. *Il vaut la peine ; je consens, je veux bien.*

M. Quid significat : Aliquid *aequi boni* vel *aequi bonique* facere ?

V. *Trouver bon, agréer quelque chose, y acquiescer, se tenir pour satisfait.* Eodem sensu dicimus : Aliquid *boni consulere*

v. g. Ceterum equidem istud aequi bonique facio.

Ceterum, si vos nec cura ejus civitatis nec periculum movet, nos aequi bonique facimus.

Rogo, boni consulas coenulam nostram.

Quaerebat argentum avaritia ; boni consuluit invenisse minium.

Laborem vestrum boni consulo.

M. Cum de verbis emendi et vendendi agitur (emere, vendere, redimere, mercari, venire, licere, stare, locare, collocare, conducere) aut Genitivus aut Ablativus pretii requiritur. Quando, Ambrosi, uteris Genitivo, quando Ablativo ?

A. Utimur Genitivo *pluris, minoris, tanti, quanti*, cum de comparatione pretii agitur v. g. Vendo frumentum non *pluris*, quam ceteri, fortasse etiam *minoris*. Mercatores non *tantidem* vendunt, quanti emerunt. Id dimidio *minoris* constat quam tuum.

Tanti vendunt, quanti possunt.

Cum vero de comparatione non agitur, et adjectivum et substantivum quae pretium significant in Ablativo collocantur. Quam ob rem : *Magno, parvo, permagno, plurimo, minimo* emere, vendere, etc.

Vitam quinque *talentis* redimere ; operam suam *tribus num-*

mis locare ; asinum *minimo* conducere ; statuam *magno* licere; dimidio *minoris* constare ; virorum fortium *morte* victoria constat *(coûte la vie)* ; hoc paulo *pluris* constat ; vinum *gratis* mihi constat *(ne me coûte rien)* ; *quanti* mercatus es servum ? *quanti* (quam magno) veniit ? Ista domus quanti empta ? Multo sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit. Nulla pestis humano generi *pluris* stetit. Pedibus ire *gratis* mihi stat *(ne coûte rien)*. *Quanti* libra *(combien la livre)* ? *Quanti* coenasti *(à quel prix)* ? Quanti est annona *(denrées)* ? — Eadem est ratio verbi *aestimare (taxer)*.

M. Cur pretium denique Ablativo declaratur ?

A. Quia quasi instrumentum est rei comparandae.

M. Verba *accusandi, damnandi, absolvendi* cum Genitivo conjunguntur ; cur, Faustine ?

F. Quia verba *crimine, nomine* simul audiuntur, quae Genitivum exegeticum requirunt v. g. Cato homicidii *(crimine)* accusatus est.
Multi conjurationis *(nomine)* damnati sunt. — Nonnumquam haec verba Genitivo adduntur v. g. furti crimine, nomine sceleris.

M. Affer aliquot ejusmodi verba.

F. Accusare, incusare, arguere, insimulare, increpare, infamare, convincere, coarguere, judicare, damnare, condemnare, absolvere, liberare, purgare, citare, arcessere, deferre, postulare, reum facere, alicui diem dicere, cum aliquo agere.

M. Affer exempla.

F. Accusare *proditionis*, incusare *probri*, arguere *facinoris*, insimulare *avaritiae*, increpare *audaciae, segnitiae* infamare *fraudis*, convincere *levitatis*, coarguere nimiae *avaritiae*, aliquem *capitis* judicare, capitis damnare, *majestatis* absolvere ; culpae, voti liberare ; civitatem facti dictique purgare, *furti* citare aliquem ; aliquem arcessere *pecuniae captae*, deferre *majestatis* ; aliquem *impietatis* postulare, reum facere *caedis*, alicui diem dicere, cum aliquo agere *fraudis*.

M. Estne haec sententia emendata : *De* majestate accusatus, damnatus est ?

F. Est sane, cum vel optimi scriptores pro Genitivo criminis etiam *de* praepositione cum Ablativo utantur v. g. *De veneficiis, de ambitu, de vi* accusare. Damnare aliquem *de repetundis* ; reum facere *de vi*.

M. Quid significat : *Inter sicarios* accusatus est (damnatus est) ?

F. *Il fut accusé d'assassinat*. Item invenimus : Defendere aliquem inter sicarios *(défendre une personne accusée d'assassinat)*.

M. Quo casu declaratur poena damnati ?

F. Genitivo v. g. *capitis* damnatus est, *mortis, pecuniae, quadrupli, octupli, quanti, tanti*. Raro invenimus Ablativum : *capite, morte, multa, pecunia*.

Si vero summa pecuniae est definita, utimur Ablativo v. g. *Decem, centum aureis* damnatus est.

M. Sed multa etiam alia sunt poenarum genera ; quid de his ?

F. Nisi de supplicio capitis aut de poena pecuniaria agitur, utimur Accusativo cum praepositionibus *ad* vel *in* v. g.
Ad poenam, ad bestias, ad metalla, in metallum, in expensas (ad mortem, Tac.) *ad opus, ad viarum munitiones* aliquem damnare.

M. Quid significat *voti* damnatum esse ?

F. Damnatum esse ad persolvendum, quod quis Deo fecit, votum, quo significatur aliquem quod optaverat, impetrasse. *Voti es damnatus* igitur idem est quod *consecutus es quod voluisti*.

M. Quid significat, Libori : Tota fere Italia jam *Romanorum* erat ?

L. *Toute l'Italie était au pouvoir des Romains.* Genitivus enim subjectivus conjunctus cum verbis *esse* vel *fieri* significat personam, cujus proprietas, officium, negotium, consuetudo, indicium aliquid est v. g. Omnia hostium erant. Tota fere Asia populi Romani facta est. Gallia Ariovisti est. Megarensium insula Atheniensium facta est. Periculose a paucis enititur, quod multorum est.
Non poscit Roscius quod est universae societatis. Petulantia magis adolescentium est, quam senum. Virorum fortium et magnorum est tolerantes laborem pati. Cujusvis hominis est errare. Fortis et constantis est non perturbari in rebus asperis. Nolae senatus Romanorum, plebs Hannibalis erat. Divitias sine divitum esse.
Omnia quae mulieris fuerunt, viri fiunt.
Damnatio judicum est, poena legis. Nihil est tam angusti animi, quam divitias amare. His tantis in periculis tuum est videre, quid agatur.
Cujus est pecus ? — Est Meliboei.

M. Estne hoc emendatum : Hic liber mei, tui, nostri, vestri est ?

L. Non est profecto, quia, ut Beatus jam supra demonstravit, pronomen personale Genitivo subjectivo caret.
Dicendum est : Hic liber *meus, tuus, noster, vester* est.

M. Quid significat : *Meum est* docere, *tuum est* discere ?

L. Significat : Meum officium, munus, negotium est docere, quae verba etiam addi possunt. — Meum est, quid sentiam, ostendere. Non est mentiri meum. Principum munus est resistere perditorum temeritati. Sapientis est proprium nihil inconsiderate facere.

M. Appositio, si qua ad *meum est, tuum est* accedit, in quo casu collocanda est ?

L. In Genitivo v.g. Meum *consulis* est patriam defendere. Tuum *patris* est liberos bene educare.

M. Estne haec sententia emendata : *Demens est* ejusmodi negotium suscipere ?

L. Non est; quamquam enim dicere licet: ridiculum est, stultum, insanum, ineptum est, tamen non item dici licet *demens est*.

M. Quid igitur ?

L. Adjectiva tertiae declinationis, quae non habent nisi unum exitum, in ejusmodi locutionibus semper assumunt Genitivum v. g. *dementis est* ejusmodi negotium suscipere. *Sapientis est*, diligenter examinare omnium verborum pondera. *Prudentis est*, non leviter in periculum se inferre.
Haud raro autem pro adjectivo substantivum substituitur v.g. *Stultitiae* est, prudentiae, sapientiae, amentiae est, etc.

M. Ceterum non solum *esse*, sed etiam alia verba, praecipue verba passiva, ut existimari, putari, haberi, duci, videri cum hoc Genitivo subjectivo conjunguntur ; scisne unum et alterum exemplum ?

L. Tempori cedere semper *sapientis est habitum.*
Quaecumque sunt in omni mundo *deorum* atque *hominum putanda sunt.*
Duri hominis, sed vix hominis *videtur,* periculum capitis multis inferre.
Fraus *vulpis*, vis *leonis videtur*.

M. Quid interest, Probe, inter *non moris erat Graecorum, ut in convivio virorum accumbererent mulieres*, et : *non mos erat Graecorum* ?

P. Idem quod inter stultitiae est et stultitia est, i. e nihil interest. Eodem modo dicimus. Non est *hujus loci, hujus temporis* de ea re loqui.

M. Explica hanc sententiam : Miserum senem *taedet vitae* suae.

P. Cum agitur de verbis impersonalibus *taedet, pudet, piget, poenitet, miseret,* persona ex qua oritur sensus taedii, pudoris etc. locatur in Accusativo, res autem ad quam redundat, in Genitivo objectivo.

M. Quid significat : *Me piget ?*

P. *Je suis fâché, mécontent, malheureux, cela me fait de la peine, j'éprouve du regret.*

Piget patrem levitatis meae. Me civitatis morum piget taedetque.

Pudet me hujus vitii. Eorum nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant. Cajum delicti poenitet.

Eodem modo *misereri* et *miserescere (avoir pitié de)* recipiunt Genitivum ; *miserari* contra et *commiserari* Accusativum, v.g. misereor pauperum, miseror sortem, fortunam tuam.

M. Quam rationem instituis, si pronomen neutrius est objectum illorum impersonalium ?

P. Collocatur in Nominativo : *hoc, illud, quod* me pudet, poenitet.

Sapientis est proprium, nihil,*quod* poenitere possit, facere.

M. Estne hoc latinum : *Coram te* me pudet ?

P. Auctores personam in cujus praesentia aliquem pudet in Genitivo collocant v. g. Pudet me deûm hominumque. Nonne te *hujus templi*, non *urbis*, non *vitae*, non *lucis* pudet ?

M. Quid significat : Hujus legionis pudet ?

P. Pronomen *me* plerumque omittitur v.g. Pudet deorum hominumque. Pudet quartae legionis (pro : me pudet).

M. Quid, si Infinitivus est subjectum et *pudet, taedet, poenitet*, etc. praedicatum sententiae ?

P. Utimur Infinitivo vel *quod* conjunctione v. g. taedet me *vivere* ; poenitet me *te offendisse* ; pudet me, *quod* illud feci.

M. Estne haec sententia emendata : Occasione usus est temeritatis poenitendi ?

P. Est sane ; sed falsum esset : temeritatis poenitendae.

M. Cur *interest (il importe à, il est dans l'intérêt de)* conjungitur cum Genitivo personae, Semproni ?

S. Quia nomen *causa* simul auditur v. g. Regis *(causa)* interest ; quapropter nunquam dicimus : *mei, tui* interest, sed *mea, tua, nostra* interest.

M. Sed tamen : *Omnium nostrum* interest. — Licetne pronominibus *mea, nostra, vestra* appositionem addere ?

S. Si appositio est Vocativus, secus sententia relativa in locum appositionis substituitur. v. g. Vestra, *patres*, interest. Tua, *Catilina*, interest. At : Id mea maxime interest, *qui sum* natu maximus.

Vestra interest, *qui* victi estis.

M. Quid tibi de hac sententia videtur : Interitus Caesaris mea valde interest ?

S. Cum praeter pronomen neutrius nullum unquam substantivum subjectum sententiae esse possit, Infinitivus, Accusativus cum Infinitivo, interrogatio obliqua substantivi vicem praestant.

Ergo : Caesarem *interire* mea valde interest.

Interest omnium *recte facere*. Interest reipublicae *dignitate eminere*. Magni interest *quos* quisque *audiat* quotidie.

Mea maxime interest *te valere*.

Nihil mea interest, *quid* homines *sentiant* Illud mea magni interest, *ut te videam*.

Cum contra ejusmodi sententias ex latino in alium sermonem vertimus, plerumque substantivis utimur.

Praeterea *interest* conjungitur cum *ad* praepositione v.g. *Ad* discendum magni interest, quibus magistris utare. Magni *ad* honorem nostrum interest, quam primum ad urbem nos venire.

M. Quae adjectiva et adverbia huic verbo plerumque apponuntur ?

S. Magni, permagni, parvi, tanti, quanti ; nunquam vero : majoris, minoris, pluris, plurimi, maximi.

Deinde : nullum, permultum, tantum, quantum, plus, parum, paulum, minus, nihil, quiddam, aliquid.

Denique: valde, vehementer, magnopere, quantopere, magis, minime, maxime.

M. Nonne *refert* iisdem legibus subjectum est, quibus *interest?*

S. Imo est, praeterquam quod nunquam cum Genitivo personae conjungitur. Ergo non: Regis refert, sed regis interest; raro: *illorum, cujus* refert. — Sed: Quid *mea refert,* Carthaginem esse deletam. Quid refert, quamdiu vixeris, nisi bene vixeris. *Magni refert,* quis rempublicam regat. Scitis *quanti id referat,* etc.

M. Estne hoc falsum: *Humanitatis* plurimum refert?

S. Cicero non admittit Genitivum rei, scriptores autem aetate posteriores, ut Plinius, Tacitus, quos imitari licet, Genitivo uti non dubitant.

M. Quomodo ad extremum explicas, Tiberi, hanc sententiam: Habitabat rex ad *Jovis Statoris?*

T. Hic de ellipsi seu detractione agitur. Detractum est enim verbum *aedes* vel *templum,* quod satis ex ceteris intelligi potest. Alio loco idem Cicero dixit: Valerius mihi scripsit, quemadmodum a *Vestae* ad tabulam Valeriam ducta esses.

M. Licetne igitur dicere: *Jovis* incendio consumptum est?

T. Non licet, quia ista sententia praepositione caret. Contra emendatum est:
Prope *Jovis* incendium exortum est.

Eodem modo invenimus: Terentia *Ciceronis,* ubi simul auditur *uxor*; Metella *Crassi*; Marcia *Catonis*; Fabia *Dollabellae.*

Praeterea: Faustus *Sullae* (scil. filius); Caecilia *Metelli* (scil. filia).

M. Quid differt: « *Mors matris* mihi acerbissima fuit », a: *Matris mors* mihi acerbissima fuit?

T. *Matris mors* indicat hanc mortem cum alia aliqua comparari v.g. *Complures* ex meis mortui sunt; sed *matris* mors mihi acerbissima fuit. — In *mors matris, mors* cum alia calamitate comparatur. Amisi *partem bonorum,* sed *mors* matris mihi acerbior fuit.

Eadem de causa plerumque dicimus: *animi* motus, *animi* morbus, *corporis* partes, *terrae* motus, *belli* fortuna, *veritatis* amicus, *corporis* voluptates, etc.

2. De Ablativo.

M. Quot genera sunt Ablativi, Aemiliane?

A. Eorum distinguuntur duodecim: Ablativus causae, instrumenti, limitationis seu relationis, modi, mensurae, qualitatis, comparationis, pretii, separationis, copiae et inopiae, loci, temporis.

M. Quid est *Ablativus causalis?*

A. Ablativo causali causa aliqua significatur, cui causae, si est animans, praeponitur *a* praepositio v.g.
Urbs *ab* hostibus occupata est. Clamor *a* militibus tollitur.
Roma *a* Romulo condita est. Puer *a* cane morsus est. Alcibiades eruditus est *a* Socrate.

Cum vero causa efficiens est res aliqua, solo utimur Ablativo v. g. Exercitus *fame* interiit. *Sole* mundus illustratur. Dei *providentia* mundus administratur.

Saepissime hic Ablativus conjunctus invenitur cum quibusdam verbis et adjectivis, ut: delectari, laetari, gaudere, gloriari, dolere, laborare, florere, fidere, niti; contentus, fretus, laetus, maestus, superbus v. g. *gloria* florere, *correctione* gaudere, *delicto* dolere, *vitiis* laborare, *parvo* contentus.

M. At legi apud quosdam scriptores: Occasio *a* fortuna data; res quae *a* natura suppeditantur; invictus *a* labore, quamquam hic de rebus, non de animantibus agitur.

A. Licet *a* praepositione uti, cum res in personas sunt constitutae.

M. Dixisti modo verbum laborandi cum solo Ablativo conjungi. At inveni : *Ex* dentibus, *ex* capite, *ex* renibus laborare.

A. Cum de corporis partibus agitur, unde malum oritur, Cicero semper utitur *ex* ; cum de morbo universo, solo Ablativo v. g. morbo laborare, febri, pulmonum vitio, tabe laborare.

Cum contra de morbis animi agitur, utitur *ex* v. g. *ex invidia, ex desiderio laborare.*

M. Converte in latinum : *Plaute était né de parents pauvres.*

A. Plautus pauperibus parentibus natus erat.
Cum enim de parentibus agitur eorumque conditione, verba *nasci, gigni, oriri* plerumque cum Ablativo solo conjunguntur. v. g. Mercurius Jove et Maja natus erat. Illustribus, divitibus, humilibus parentibus natus, prognatus, ortus, oriundus, satus, editus.
Nobili genere, honesto, summo loco, ignobili, humili, obscuro loco natus, genitus.

Licitum est tamen etiam *ex* uti praepositione, quod semper fit, cum de pronominibus agitur v. g. *ex ea, ex illa, ex qua* natus est.
A praepositione autem origo remotior significatur v. g. *A* Deucaleone ortus ; *ab* his majoribus orti. Belgae orti *a* Germanis. *Ab* Alba oriundi. Oriundi *a* Syracusis, *ab* Etruscis.

M. Estne haec sententia emendata, Claudi : Proculus fratrem suum invidia interfecit ?

C. Est illa quidem emendata, cum vel optimi latinitatis auctores ejusmodi exempla proferant ; sed plerumque Ablativo causali, qui motum animi significat, participium conveniens adjungitur v. g. Ira *incensus* eum occidit. Inopia *adducti* colloquium petunt.

Necessitate *impulsi.* Amore *captus.* Timore *perterritus.* Ira *inflammatus.* Misericordia *commotus.* Desperatione *fractus*, etc.

M. Quomodo declaratur causa impediens ?

C. *Prae* praepositione cum Ablativo ; quae tamen apud optimos scriptores non invenitur nisi cum negatione aut cum verbo, cujus significatio est negativa v. g. *Prae* moerore, *prae* lacrimis, *prae* ira, metu, gaudio loqui *non* posse.
Prae gaudio *obliti sunt* se ornare (= se non ornarunt). *Prae* gaudio *vix* compotem esse animo.
Silentium *prae* metu ceterorum fuit (= non loquebantur).

In sententiis autem affirmativis solo utimur Ablativo v.g. Se volutabat *doloribus.* Enectus erat *fame* et *siti. Cupiditate* ulciscendi ardebat. *Moerore* tabescebat. *Gaudio* mori. Cogente dolore *pedibus* terram tundere.

M. Quid de hac sententia judicas : Illa statua argento est facta ?

C. Non est latina ; dicendum est : *Ex* argento est facta. Facere aliquid *ex* aliqua re.
Verbum *constare* contra utrumque admittit : solum Ablativum et *ex* cum eodem casu v. g. animo et corpore constamus, et : *ex* animo et corpore constamus.

M. Quem, Pie, appellas *Ablativum instrumenti* ?

P. Illum, quo instrumentum aliquod significatur. v. g. *Mea manu* hae litterae scriptae sunt. *Dente* lupus, *cornu* taurus petit.
Benevolentiam civium *blanditiis* colligere turpe est. Aliquem *suo pallio* tegere. *Diligentia* et *parsimonia* suas res augere. Terra vestita est *floribus.*
Consilio meo te juvabo. Sol omnia clarissima *luce* illustrat.
Fidibus, tuba, cithara canere ; *equo, curru, navi* vehi, *navibus* proficisci.
Musica erudire (instruere, imbuere), *honore* afficere ; *tecto, domo, civitate* recipere ; tenere se *castris* ; *pila, alea* ludere ; *manu* ducere aliquem ; aliquid *manu* tenere.
Bello, erroribus implicari. *Pedibus* ire.

M. Quid, si hominis opera aliquid fit aut faciendum est ?

P. Cum homo est instrumentum alicujus rei, *per* praepositione utendum est cum Accusativo v. g. Hanc rem *per legatos* Romam deferunt. *Per servos* de tuo adventu certior factus sum.
Statuerunt injurias *per vos* ulcisci.

Haud raro praeterea invenimus Ablativum *opera (ope, culpa)* cum Genitivo personae v. g. Consulis unius *opera* respublica conservata est.
Lysandri *opera* in maximum odium Graeciae Lacedaemonii pervenerant.
Ducis *culpa* illud oppidum amisimus.
Mea *opera* vivit et regnat. Mea *opera* Tarentum recepistis.
Tua, sua, ejus, eorum *opera* = per me, per te, per eos, etc.

M. At multa apud optimos scriptores inveni exempla, ubi *per* conjunctum est cum rebus v.g. *Per litteras* certiorem me fecit. *Per injuriam*, scelus, latrocinium, potestatem ei omnia opera artis abstulit, eripuit. *Per ludum* ac *jocum* eos domo expulit. *Per iram, per simulationem* amicitiae me prodiderunt. *Per vim* ei regnum extorserunt. *Per speciem* honoris eum deceperunt. *Per occasionem* librum tibi remittam, etc.
Quomodo hoc explicas ?

P. In istis exemplis *per* non significat instrumentum, sed modum, quo res efficitur.

M. Explica haec exempla : *Ea legione* murum fossamque ducit. *Paucis militibus* turrim proximam cepit. Milo *gladiatoribus* obsedit rempublicam. *Servis* stipatus, *amicis* comitatus.

P. Praepositio omitti potest, cum de militibus vel de ejusmodi globo hominum agitur.

M. Quando *cum* praepositio Ablativo praeponenda est, Sulpici ?

S. Cum de personis vel rebus comitantibus agitur. Ei contrarium est *sine*. v. g. Antonius *cum* Cleopatra Alexandriam confugerunt.
Marcus *cum febri* Romam rediit. Semper Cimonem pedisequi *cum nummis* secuti sunt. Caesar *cum omnibus copiis* Helvetios sequi coepit. Verres *cum pallio* purpureo versabatur in conviviis. Rex cum exercitu Hellespontum transiit. Errare malo *cum* Platone, quam *cum* istis vera sentire. Homo *cum sica* inventus. Verres *cum tunica* pulla sedere solebat. *Cum telo* esse. *Cum* republica simul exstinctus est. Non omnia *nobiscum* interibunt. *Cum cruento gladio* comprehensus es. Julium ad te *cum his litteris* misi. *Cum longa veste* incedere.

M. Cum de itineribus militaribus agitur *cum* omitti potest, dummodo verbis *exercitus, copiae, agmen*, etc. adjunctum sit adjectivum aliquod v. g. *Omnibus* copiis secutus est. *Ingenti* exercitu ab urbe profectus est.
Licetne dicere : Vidi argenteum Cupidinem *cum lampade* ; simulacrum Cereris *cum facibus* ?

S. Cum haec verba Ciceronis sint, certe licet ; neque vero latinum est addere : *in manu, in humeris, in capite* etc. v. g. Fortunam cum retibus in manu ; Dianam cum arcu in humeris ; Jovem cum corona aurea in capite. Latinum est : Retia manu *tenentem* ; arcum humeris, coronam capite *gestantem*.

M. Quid de hac sententia : Incipiamus cum Deo ?

S. Emendatius dixerim : (Cum) Deo volente (adjuvante); Deo auspice.

M. Quid de hac : Ut cum Platone, ut cum Cicerone, ut cum poeta loquar ?

S. Loqui cum aliquo idem est ac colloqui cum aliquo. Dicendum est igitur : Ut verbo (verbis) Platonis, Ciceronis, poetae utar ; vel : Ut Platone auctore dicam.

M. Veniamus ad *Ablativum modi*. Quid significat hic Ablativus ?

S. Ut nomen indicat, modum aliquem ; locum tenet adverbii.

Cum nomen quod indicat modum est solum, ei semper praeponitur *cum* ; si cum adjectivo aliquo est conjunctum, Ablativo utimur sine praepositione v. g. *Cum silentio* animum attendite. Saucios *cum cura* reficit. *Cum clamore* in forum curritur. *Cum gloria, cum laude* cadere. *Cum ignominia* servire. *Cum prudentia* agere. *Cum modestia* petere. *Cum voluptate* audire. *Cum fide* amicitiam colere. Oratores *cum serenitate* audire. Litterae *cum diligentia* scriptae. Ira, *cum qua* nihil recte fieri potest. *Cum dolore* vitae ante actae recordari.

At contra : Legiones profectae sunt *alacri animo*. Hoc *aequo* animo non feram. Hannibal *ingenti* omnium *clamore* imperator est appellatus. *Patentibus oculis* lepores dormiunt.

Maxima diligentia, *summa* industria, *una* mente vivere ; *pluribus* verbis scribere ; *optima* opportunitate ; *dedita* opera ; veni, si *tuo* commodo fieri potest ; *magna* gratulatione eum excipere ; *magno tuo* periculo huc venisti.

M. At saepissime invenias v. g. *Cum multis* lacrimis oravit. *Magna cum* offensione civium in urbem rediit. *Magno* hoc dico *cum dolore*. *Magno cum dedecore* meo hoc fateor. Caesar *summa cum* celeritate ad exercitum rediit. *Cum summa* reipublicae salute conjuratio patefacta est. — Quomodo rem explicas, Auguste ?

A. *Cum* separat actionem verbi ab re eam extrinsecus comitante; solus Ablativus contra intime cum actione verbi connexus cogitatur, v. g. aequo animo ferre. Conclamant *cum* indecora exultatione.

Cum dicimus : nudis pedibus incedere, operto capite sedere, *cum* vix fuerit loco suo, propter intimum connexum inter verbum et rem comitantem. Sed in : Tanta multitudo cum tanto studio adest ; Verres Lampsacum venit cum

magna calamitate civitatis, *cum* indicat effectum verbi.

M. Quae substantiva non admittunt *cum* ?

A. Illa, quae suapte natura modum aliquem vel rationem declarant, ut : *modus, ratio, mos* v. g. Servorum *modo*. Humano modo peccare. Tali modo. Quocumque modo. Nullo modo. Omni modo. Aliquo modo. Quodam modo. Omnibus modis. Multis modis. Simili, pari modo. *Modo* et *ratione* punire aliquem *(avec mesure et raison)*. Ut ratione et via procedat oratio *(méthodiquement)*. Modo et ratione omnia facere. Moderata ratione. Ratione et via philosophiae studere. Qua ratione, quo *pacto*. Isto pacto.

Nullo pacto ; alio pacto. Nescio quo pacto.

More Graecorum canere. Pecudum *ritu* vivere. Mulierum ritu altercari. Ritu ferarum pugnare. More antiquo pingere. *Jure* puniri. Punitus est idque jure (et jure). Meo jure hoc feci.

Accusatus est merito ac jure (jure meritoque). *Injuriâ* virgis caesus est (= immerito). Ea *conditione*. His conditionibus.

Voluntate in ditionem venerunt. Nisi voluntate ibis, rapiam te domum. Mea voluntate concedam (= libenter). *Ordine* incedere. Vitam transire *silentio* ; silentio aliquid praeterire. — Sed : *cum* silentio audire ; animadvertere cum silentio.

M. Estne perversum igitur dicere : *In* vel *ad* hunc modum locutus est ?

A. Cum antecedit pronomen *hic, is, qui*, licet dicere : *hoc modo*, vel *in hunc modum* vel *ad hunc modum*. Quemadmodum (quem in modum) rem fecisti ?

Cetera quae supra protuli pronomina et adjectiva, requirunt solum Ablativum.

M. Quid existimas de hac sententia : Uxores servili modo tractant ?

A. Ea adjectiva, quae nec numerum nec similitudinem significant, requirunt *in* praepositionem cum Accusativo. Ergo : Uxores servilem *in* modum tractant. Legatos hostilem *in* modum habuit. Mirum *in* modum se defendit. Mirabilem *in* modum rem gessit. Mirandum *in* modum iram repressit.

M. Quid significat : Pace tua dixerim rem aliter se habere ?

A. *Permettez-moi de vous dire ;* ou : *Pardon, la chose est tout autre.* Pace dicam tua. Pace mihi liceat, coelestes, dicere vestra. Pace, Catulle, tua. Claudii pace loquar *(avec la permission).* Pace horum dixerim.

Item invenias : Bona venia tua (vestra) liceat dicere. Bona venia hujus optimi viri dixerim. Bona venia me audies.

Item : bona *cum* venia vestra rem iterum exponam.

M. Ejusdem Ablativi sunt etiam alia substantiva v. g. *Hac mente* classem comparavit, ut... *(intention).* Hac mente amicis summas potestates dederant. Hoc (eo) *consilio* legatos remisit, ut...

Recte atque *ordine* incedere (= ut decet). Opus *arte* perficere.

Aliquid *vi* propellere, *dolo, fraude* obtinere. *Auspiciis (ductu, imperio)* Caesaris aliquid aggredi. *Jussu, injussu, monitu, hortatu* senatus negotium suscipere. *Permissu* consulis.

Quem appellas *Ablativum limitationis seu relationis,* Calliste ?

C. Illum qui notionem aliquam (substantivi, adjectivi, verbi) aut complet aut circumscribit (= *quod attinet ad).* Ariovistus erat *natione* Germanus. Agesilaus *altero pede* claudus erat. Hamilcar *cognomine* Barcas. Amnes divites *auro.* Mille *numero* navium. *Manibus pedibusque* mobilis. *Testimonio* omnium princeps. *Natura* tu illi pater es, ego *consilio.*

Tota ratio *genere* vitiosa est. Captus *oculis,* aeger *pedibus.* Viri boni *moribus* similes. Nemo Romanorum Ciceronem aequavit *eloquentia.* Sunt quidam homines, non *re,* sed *nomine.*

Nomine, non *potestate* fuit rex. *Corpore* senex esse videtur. *Doctrina* Graecia Romanos et omni litterarum *genere* superabat.

Ei *gloria* par fuit. *Aetate et gloria* antecellere alicui. Non *tota re,* sed *temporibus* errasti. Gens aspera *cultu.* Tranquillior *animo,* mutatus *voluntate.* Magnos homines *virtute* metimur. *Specie* ille probus est, revera perversus. Mulier *natu* grandis. Filius major, minor, maximus, minimus *natu.*

Ejusdem Ablativi sunt locutiones, ut : difficile *dictu,* facile *factu, meo, tuo, suo judicio, mea, tua sententia* v. g. Nemo meo quidem judicio melius de patria meritus est. Mea quidem sententia vehementer erravimus.

Praeterea : Ex consuetudine, ex jure, ex foedere, ex veritate, ex composito (= *selon).* Magna ex parte, maxima ex parte ; sed etiam : magnam, maximam partem.

v. g. Sic est vulgus : *ex veritate* pauca, *ex opinione* multa aestimat.

Statua, quae *maximam partem* est aurea.

M. Eundem Accusativum saepissime invenias conjunctum cum verbis intransitivis, cum objectum est pronomen vel adjectivum pronominale neutrius. Affer exempla, Fabiane.

F. *Hoc* laetor *(je m'en réjouis)* ; *hoc* non dubito ; *hoc* non laboro ; *illud* tibi non assentior ; *aliquid* tibi succenseo ; non possum *idem* gloriari ; *unum* omnes student ; stomachor *omnia ; utrumque* laetor, et sine dolore corporis te fuisse et animo valuisse ; *ipsum,* quod maneam in vita, peccare me existimo ; *quidquid* subveneris, nobis gratum erit.

Id operam do, ut in dies doctior fiam. Teneo, *quid* erret. *Istud* tibi gratulor.

M. Quid significat *Ablativus mensurae seu quantitatis?*

F. Significat, qua mensura rem res superet v. g.

Hibernia *dimidio* minor est, quam Britannia.
Sol *multis partibus* major est, quam terra.
Multo operosius est seipsum, quam hostem superare.
Turris *viginti pedibus* altior, quam moenia urbis.
Multo praestat virtus, quam divitiae.
Quo (quanto) superiores sumus, *eo (hoc, tanto)* nos geramus submissius.
Quo quis est melior, *eo* magis gloria ducitur. Homines *quo* plura habent, *eo* cupiunt ampliora. Cajus *aliquanto* minor est, quam Marcus.
Gracchus prioribus oratoribus *multo* antecellit. *Multo* malo mortem, quam servitutem. — Aurum *altero tanto* gravius est, quam ferrum.
Pompejus *biennio* major fuit, quam Cicero. Via *altero tanto* longior.
Item : *paulo* ante, *paulo* post, *paulo* infra, citra, ultra. *Nihilo* minus.
Uri sunt magnitudine *paulo* infra elephantos.

Livius : *brevi* ante, *brevi* post.

M. Estne hoc emendatum : Quid faciam *cum hoc* homine?

F. Non est profecto. Latine dicitur : Quid faciam *hoc homine?*
Quid *illo* fiat? Licet tamen dicere : Quid faciam *huic* homini.

M. Exemplo, quod modo protulisti : Aurum altero tanto gravius est quam ferrum — haec addiderim. Licet praeterea dicere : Aurum *duplo, triplo,* etc. gravius est quam... *Bis tanto* gravius.

Bis tantum dedi, quantum tu. Bis tanto amici sunt inter se, quam prius. Bis tanto pluris emit *(2 fois plus cher).* Ter tanto pejor est, domus *duabus partibus* major (2/3). Quinquies tanto amplius, etc.

Estne hoc emendatum : Hector omnium fuit *multo* fortissimus?

F. *Multo* haud raro cum superlativo conjungitur pro *longe* v. g.
Alcibiades fuit omnium aetatis suae *multo* formosissimus.

M. Cum bina nomina substantiva adjectivo aliquo vel adverbio inter se comparantur v. g. Nemo eloquentior fuit, quam Cicero ; nemo prudentius agere consuevit, quam Caesar — nonnunquam particula *quam* omissa substantivum collocatur in Ablativo ; licetne hoc Ablativo uti sine ullo discrimine, Hilari?

H. *Ablativo comparationis* uti licet, cum substantivum, quod sequitur *quam* est in Nominativo aut in Accusativo cum Infinitivo v. g.
Nihil citius arescit *lacrimâ.* Nemo Romanorum eloquentior fuit *Cicerone.*
Vilius argentum est *auro, virtutibus* aurum. Amoris simulatio pejus est *odio.* Nihil est veritatis *luce* dulcius. Quid est melius *bonitate* et *beneficentia.* Turpis fuga mortis est *morte* pejor. *Duobus morbis, aegritudine* et *cupiditate,* qui tandem possunt in corpore esse graviores?
Lux *sonitu* est velocior. *Elephanto* belluarum nulla prudentior est.
Fortuna plus *consiliis humanis* pollet.

Recte auguraris de me nihil a me abesse longius *crudelitate.*
Neminem *Cicerone* eloquentiorem fuisse veteres judicarunt.
Senectus plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se *Aetna* gravius dicant sustinere.

M. At inveni exempla, ubi solus Accusativus objectivus sequitur *quam* v. g. Neminem Lycurgo majorem virum Lacedaemon genuit.
Callidiorem neminem vidi Phormione.
Scythae nullum delictum gravius vindicant furto.

H. Ejusmodi exempla, plerumque negativa, sunt rara et ideo non imitanda. Si vero Cicero dicit : « Sapientia omnia inferiora virtute ducit », nemo ignorat locutionem *inferiorem, posteriorem* ducere, habere, putare aliquam rem, semper cum Ablativo comparationis conjungi.

Est boni consulis, suam salutem posteriorem *salute communi* ducere.

M. Quid, si comparativus conjunctus est cum relativo ?

H. Relativum sine discrimine invenias in Ablativo. Ejusmodi autem sententiae plerumque sunt negativae v.g. Bellum Punicum, *quo* nullum neque majus neque periculosius Romani gessere.
Amicitia, *qua* nihil melius habemus.
Cato, *quo* nemo tum fuit doctior. Immolavit Iphigeniam, *qua* nihil pulchrius erat natum. Phidiae simulacra, *quibus* nihil in illo genere vidimus perfectius.

M. Converte, Severine, in latinum : *Socrate, le plus grand savant de tous les temps. Cléopâtre, la plus grande beauté de son temps. Hannibal le plus grand général de l'antiquité. Une œuvre d'art, tout ce qu'il y a de parfait.*

S. Cum in ejusmodi sententiis appositio conjuncta est cum superlativo, optimi scriptores circumlocutione Ablativi comparationis utuntur. Latinum est igitur : Socrates, *quo* nemo unquam doctior fuit. Cleopatra, *qua* nemo tum pulchrior erat.
Hannibal, *quo* nemo antiquorum rei militaris peritior fuit.
Opus artis, *quo* nihil est perfectius.

M. Quid significat : Caesar exspectatione (opinione, spe) omnium celerius advenit ?

S. Celerius quam omnes exspectaverant ; celerius quam erat omnium spes vel opinio.

Eodem modo Cicero dicit *plus aequo* v.g. poscere ; indulgere alicui, laudare aliquem = plus quam aequum est, quam par est.

Et alii : *plus justo, plus solito, plus necessario, dicto citius* v. g. tumida aequora placat.

M. Estne hoc exemplum emendatum : Hibernia Britannia dimidio minor est ?

S. Etsi est emendatum, tamen praestat pro Ablativo uti *quam*, cum Nominativus et Ablativus primae declinationis internosci non queant.

M. Quid de hoc : Nihil homini aëre magis est necessarium ?

S. Est emendatissimum, quia *magis necessarium* non minus est comparativus, quam utilior, turpior, etc.

M. Quam rationem instituis, si *plus, minus, amplius, longius* conjuncta sunt cum aliquo numero vel substantivo quantitatis ?

S. Licet uti

1. Ablativo comparationis, cum substantivum, quod sequitur *quam*, est in Nominativo vel in Accusativo v.g.
Eo die caesi sunt Romani minus quadringentis.
Catilinà initio non amplius duobus millibus militum habebat.
Apud Suebos non longius anno remanere in loco licebat.

2. Semper licet uti *quam* v. g.
In eo proelio plus *quam* duo millia hominum ceciderunt.

3. *Quam* omisso, *plus, minus, amplius, longius* conjunguntur cum casu substantivi, quem verbum recipit v. g.
Apes *plus unum* regem patiuntur.
Gallorum copiae non *longius millia* passuum octo aberant.
Constat non *minus ducentos* equites fuisse.
Oppidum illud *amplius quinquaginta annos* Romanorum fuit.
Quintus *plus annum* mecum vixit.
Ligures *duas amplius horas* certamen sustinuere ; ex Romanis sociisque *minus trecenti* perierunt.
Spatium, quod non est *amplius pedum* sexcentorum.
Lycurgus juvenibus non *amplius una veste* uti toto anno permisit.
Pictor non *plus quatuor coloribus* usus est.

M. De Ablativo qualitatis jam supra, cum Genitivum tractaremus, disseruimus. Item de Ablativo pretii v. g. agrum emi talento ; vendidi duplo pluris, etc. Veniamus igitur ad Ablativum loci.
Quem vocas, Adriane, *Ablativum loci* ?

A. Illum, quo locus aliquis significatur. Ceterum, cum quaeritur *ubi*, Ablativum plerumque *in* praepositio antecedit v.g. Est *in* urbe, moratur *in* monte, *in* insula, *in* foro.

M. Dicis *plerumque* ; est igitur, ubi *in* omittatur ? Quando ?

A. Cum substantivum loci conjunctum est cum adjectivis *totus, omnis, universus, medius* v. g. *toto orbe* terrarum ; *tota urbe ; totis castris ; omnibus oppidis ; omni ora maritima* ; campis omnibus ; omnibus rivis ; medio mari ; media urbe ; medio circo ; amne medio.

Item dicimus : domo, castris, oppido *se tenere* ; hac via, eodem statu, eodem itinere ; qua parte ; iisdem parietibus ; dextra, sinistra, laeva.

M. Nonne igitur dicere licet *in* universa terra ?

A. Certe licet ; quin etiam saepius invenimus : *in omnibus* urbibus, *in universa* terra, quam sine *in* praepositione. *Totus* et *medius* tamen semper sine *in*.

M. Utrum est èmendatum : Via Appia, an : *in* via Appia profecti sunt ?

A. Cum agitur de via vel loco cum verbo aliquo movendi *in* omittendum est. v. g. Si *via Aurelià* veniret. *Via*, qua ire non poterant.
Via Salaria profugere. Iter *via aestuosa* et pulverulenta conficere.
Via deterrima incedere. *Via recta* pergere.
Terra iter facere ; *mari* vehi ; frumentum *flumine* Arari subvehi ; *freto* Siciliae venire ; *Tiberi* advenire ; *porta triumphali* funus Augusti ductum est ; *flumino adverso* venerant ; *ponte hoc* evasit ; *porta Collina* urbem intravere ; in Rheno flumine pontem fecit ; hoc ponte pabulatum mittebat ;

palude eadem effugerunt ; *jugo montis* fuga salutem petiit. *Terra marique* pugnare ; et mari et terra ; neque mari neque terra.
Licet tamen dicere v. g. Multum illi terra (aut in terra), plurimum mari (vel in mari) pollent. Cum jam in mari essent, etc.

M Quid significat : *in* via ?

A. Significat : *Sur la voie* v. g. Templum in Via Nova. Caedes, quae in Via Appia facta est. In Via Salaria coelo tactus est.

M. Quando dicis *loco*, quando *in* loco ?

A. Cum *locus* aut significat sententiam aliquam libri aut statum vel conditionem alicujus rei, *in* omittitur v.g. *Illo* Ciceronis *loco* vix quidquam invenies, quod confirmet argumentum tuum.
Pejore loco res non potest esse, quam in quo nunc sita est. *Perbono loco* res vestra est. Si *meo loco* esses.

Cum vero *locus* sensu proprio accipitur, *in* aut uti aut omittere licet v.g. Non eodem semper loco sol oritur aut occidit. Loco idoneo castra fecerunt. Castra Gallorum opportunis locis erant posita.
Pausanias eodem loco sepultus est, ubi vitam posuerat. Multis locis. In hoc loco. Loco remoto, amoeno, salubri, munitissimo.

M. Quid significat : Omnia *suo loco* facere, Caesari ?

C. Significat : Omnia tempore opportuno, non alieno tempore facere.
Invenimus praeterea : *loco opportuno* aut *loco* v. g. verba ponere, loqui.

M. Quid significant hae sententiae : Aliquem *inimici loco* habere ; aliquem *in fratris loco* habere ; *fratris loco* scribere ?

C. Aliquem pro inimico habere ; aliquem pro fratre habere ; (mihi ille fratris loco est) ; pro fratre scribere.

M. Utrum emendatum est : Hoc libro Gallia describitur, an : *in* hoc libro Gallia describitur ?

C. Utrumque emendatum esse potest. Si liber totus est de Gallia, dicendum est *libro*; si praeter alias res etiam Gallia tractatur, *in hoc libro*. Item : *Primo libro* bellum Helveticum describitur ; contra : *in primo libro* multos errores inveni ; in tertio libro locum inveni mihi valde utilem ; quia hic de rebus fortuitis, non de toto libro agitur. Contra latine dicendum est : *Librum* legebam, cum subito terra mota est : ac non : *in libro* legebam. Quod de libro diximus valet etiam in : *epistola, caput, oratio* v.g. In extrema epistola, in extremis litteris invenies, etc.

M. Estne hoc emendatum : *In* Cicerone multos locos tibi utiles invenies ?

C. Emendatum est : *Apud* Ciceronem, *apud* Livium,*apud* Homerum, *apud* Terentium, etc. invenies.
Cum vero liber aliquis inscriptus est nomine personali v.g. Ciceronis « *Laelius* », « *Cato,* » licet uti *in* v. g. in « *Catone Majore* » Ciceronis inveni ; in « *Timaeo* », in « *Hortensio* », in « *Menone* ».

Item, cum de genere scribendi alicujus scriptoris agitur, ut apud Ciceronem invenimus : *In Thucydide* orbem modo orationis desidero.
Apud Quintilianum : *In Herodoto* omnia leniter fluunt.

M. Cavete praeterea dicatis : Pindarus *in* duabus rebus Horatio superior est : — sed : *duabus rebus* sine *in*.
De hac re scripsit *in* versibus ; — sed : *versibus*.
In verbis expeditis et optimis rem explicavit ; — sed : *expeditis*, etc.
Nonnulli eamdem rem *in* Graeco sermone tractarunt ; — sed *Graeco sermone*.
Loquitur *in* tribus linguis ; — sed : *tribus linguis*.
In comitiis creatus est ; — sed : *comitiis*.
In ludis Circensibus occisus est ; — sed : *ludis Circensibus*.

Saluta eum *in* nomine meo ; — sed : *nomine meo* vel *meis verbis*.
In nomine senatus ; — sed : senatus verbis.
Miserunt, qui *in* nomine senatus populique Romani cum sociis agerent ; — sed : *nomine senatus,* etc.
Illa epistola erat *a* manu tua ; — sed : *manu tua.*
Illud *a* librarii manu est ; — sed : *librarii manu est.*
Mortuus est *in* tricesimo anno suo ; — sed : *tricesimo aetatis anno.*
Quid de hoc : Legimus Ciceronis scripta ?

C. Nihil est, quod reprehendatur ; attamen dicere sufficiat : Ciceronem, Virgilium, Platonem legimus.

M. Adrianus paulo ante dixit *totus* adjectivum non admittere *in* : quomodo igitur explicas illud Ciceronis : Nego *in* tota Sicilia vas fuisse, quod Verres non conquisierit ?

C. Non agitur hic de universitate Siciliae, sed de singulis locis, quae subtilius designantur.

M. *Ablativus temporis* respondet interrogationi : *quando?* Affer, Donate, hujus Ablativi exempla.

D. Caesar *tertia vigilia* profectus est. Galli *hieme* bellum parabant. Pyrrhi *temporibus* jam Apollo versus facere desierat. *Quo anno* Carthago deleta est, *eodem* interiit Graecia. Socrates *supremo* vitae *die* multa de immortalitate animi disputavit. *Die* ac *nocte (die noctuque)* iter perreximus.

M. Utrum est emendatum *bello* an *in bello* ?

D. Emendate dicimus *in* bello, *in* pace, quia nec bellum nec pax proprie significat modum temporis. Idem valet in gradibus aetatis hominum : *in* pueritia, *in* adolescentia, *in* juventute, *in* senectute.

Cum vero ejusmodi verba adjectivo aliquo sunt definita, *in* omittitur v. g. Bello *Punico,* bello *civili,* bello *Africano,* bello *Romanorum,* bello *Antiochi, Vejenti* bello. *Prima* infantia, *ineunte* adolescentia, *summa* senectute.

M. At equidem inveni *in* bello Punico.

D. In isto exemplo *in* significat id, quod factum est toto tempore belli Punici v. g. multi ceciderunt ; Romani acriter pugnaverunt.

M. Quid interest inter *initio (principio)* et *in* initio *(principio)* ?

D. *Initio* est quasi adverbium v. g. *initio* negavit, deinde (mox, post) delictum confessus est. Iste, qui *initio* proditor, deinde perfuga fuit.
Initio risit, mox flevit.

In initio est substantivum sensu proprio acceptum v. g. *In* initio belli Punici ; *in* initio mundi ; *in* initio orationis meae.
Dicimus praeterea : Aliquid *ab* initio exponere vel repetere.
Item : Cajus *a* recitando (recitandi) initium fecit, ac non : *cum* recitando.

M. Dicisne *adventu* Caesaris, an : *in* adventu Caesaris ?

D. *Adventu* Caesaris et sic semper, cum de ejusmodi substantivis quartae declinationis agitur v. g. *Exitu* superioris anni ; *discessu* quartae legionis ; *aspectu* urbis ; *uno, primo aspectu.*

Sed : *In* conspectu hostium castra ponere.

M. Estne hoc emendatum, Feliciane : Horatius *tempore* Augusti fuit ?

F. Istud dubitaverim ; latinum est : Horatius *temporibus* vel *aetate* Augusti fuit. Ciceronis *temporibus* ; Caesaris *aetate.* Imperatorum *temporibus* ; nostra *aetate,* nostra *memoria,* patrum nostrorum *memoria.*

M. Estne hoc emendatum : Homerus *tempore* fuit, *quo* Roma nondum condita erat ?

F. Latine dicendum est : Homerus fuit *quo tempore* vel *eo* tempore *quo* ; vel Homerus fuit,*cum* Roma nondum condita erat.

M. Quid de hoc : *Recto* tempore advenisti ?

F. Non est latinum. Apud auctores non invenimus nisi *tempore,* vel *in* tempore, *in ipso* tempore, *satis tempore, non sero* advenisti.

Praeterea : Omnia *tempore suo,* commodo, opportuno, idoneo tempore, nunquam vero *recto* tempore.

M. Quid significat : *in eo, in tali* tempore ?

F. Apud Livium significat : in hoc discrimine, in his angustiis ; apud ceteros scriptores denotat conditionem temporum vel reipublicae, v. g. Cicero : in hoc tempore ; in his jam aetatibus nostris ; in nostra aetate ; in illo tempore civitatis. — Sall. tali in tempore ; in tali die ; alia in tempestate.

M. Quid de hoc exemplo judicas : Multi *tempore ludorum* occisi sunt ?

F. Nunquam dicitur *tempore,* sed ; Multi *ludis* occisi sunt.
Ludis publicis, ludis circensibus ; *comitiis, Saturnalibus.*

M. At hoc denique emendatum esse videatur : Semel *vita* Crassus risit ?

F. Minime gentium. Cum enim quaeritur, quoties aliquid in tempore definito factum sit, requiritur *in* praepositio. Ergo : Crassus *semel in vita* risit.
Bis *in die* edere ; ter *in anno* epistolam scribere ; saepius *in hora* conari.
Nunquam *in vita* mendacium dixisse.

M. Quibus verbis *Ablativus copiae et inopiae* adjungitur, Tiberi ?

T. Verbis abundare, redundare, affluere,florere, vigere.

Carere, vacare, egere, indigere.

Complere, implere, explere, refercire, cumulare, onerare, afficere.

Privare, spoliare, orbare, fraudare, nudare.

M. Affer aliquot exempla.

T. *Porco, haedo, agno, gallina, caseo, melle* abundant. Flumina *piscibus* abundant. Urbs *multitudine* redundat, *divitiis* affluit.
Antiochia eruditissimis *hominibus* liberalibusque studiis affluebat.
Auctoritate, honoribus, fama, acumine ingenii florere.
Animo, memoria, mobilitate vigere. *Sensu*, dolore, febri, culpa carere.
Terra vacat *humore*. Nulla vitae pars vacare *officio* potest. *Culpa* vacare magnum est solatium. Corpus *multis rebus* eget. *Quibus rebus* egebis, eis te adjuvabo. *Pecunia* indigere (= non habere).

Honore, praemio, beneficio, voluptate, molestia, injuria, morte aliquem afficere.
Sensibus, oculis, liberis orbare ; *somno*, vita aliquem privare. *Honore*, gaudio, donis cumulare ; naves *frumento* onerare, navigia *militibus* complere ; mundum *bonis* explere ; oppidum *moenibus*, defensoribus nudare ; aliquem *fructu* victoriae fraudare, *fortunis* spoliare ; fossam *sarmentis*, pateram *mero*, forum *lamentatione* complere ; aliquem *honore*, laudibus, beneficiis, divitiis ornare.

M. Quaedam adjectiva eundem requirunt Ablativum ; quae ?

T. Orbus, nudus, vacuus, inanis, refertus, onustus, praeditus, liber, dignus, indignus, contentus, laetus, superbus, dives, plenus, purus, immunis.
Nudus, orbus, liber, plerumque cum *a* praepositione conjunguntur, cum de personis agitur. Urbs *praesidio* nuda ; respublica nuda *a magistratibus*. Domus libera *morbo* ; cives liberi *ab omni sumptu*.
Forum *omnibus rebus* orbum ; contio orba *ab optimatibus*.

M. *Complere* et *implere*, *egere* et *indigere* nonnunquam etiam cum Genitivo conjunguntur : Ollam *denariorum*

implere ; *auri, somni* indigere ; opus quod *magni* indiget *laboris* ; *tui consilii*, auxilii egeo.
Utrumque deinde est emendatum : plenus *spe* et plenus *spei* ; Genitivus tamen majore est in usu. Plenus timoris, vini ; domus plena ornamentis fanorum ; urbs omni bellico apparatu plena ; plenus exspectatione.
Cavete tamen dicatis : Pleno vel plenissimo jure hoc posco ; sed : *meo, (tuo, suo) jure, justissime* poscere ; neve : Cajus est homo plenus sui ; sed : Cajus *sui amore* est *captus, inflatus, elatus* ; neve : plena mente utor ; sed *mihi mens est integra*. Pro : Centum plenos annos vixit, dic : *Centum annos complevit (explevit)*.

M. Estne haec sententia emendata : Auctoritate tua nobis opus est ?

T. Cum Ciceronis est sententia, nihil, quin emendata sit, dubito. Si enim *opus est* impersonaliter utare, res qua indigeas Ablativum, et persona, quae indiget, Dativum exigit ; si personaliter utare, res, qua indigeas, fit subjectum sententiae, quod praecipue fit, cum res pronomine vel adjectivo neutrius significatur.

M. Utrum melius est : *Auxilio tuo* mihi opus est an, *auxilium tuum* ?

T. Cum de rebus agitur, melius est *opus est* impersonaliter uti cum Ablativo ; cum de personis agitur, sine discrimine alterutra constructione uti licet v. g. libro tuo mihi opus est. Dux (vel duce) nobis opus est. Sed semper : *Hoc, illud* nobis opus est. *Quae* nobis opus sint, dicam. *Omnia, multa* nobis opus sunt. Rogas *quantum* opus sit ? *Quid* opus est verbis ? *Nihil* opus est simulatione. *Quantum* argentum est tibi opus ? *Quae* opus erant, reperiebantur.

M. Quid, si res, qua opus est, declaranda est verbo aliquo ?

T. Fit Infinitivo vel Accusativo cum Infinitivo vel nonnunquam Ablativo participii Perfecti passivi v. g. Quid

opus est tam multa dicere ? Non opus est nunc introire. Te agere opus est. Opus est ipsos praecedere. Corpus exerceri opus est ad valetudinem. Maturato opus est.

M. Quid interest inter *opus est* et *necesse est* ?

T. Illud significat : *J'ai besoin, il est besoin, il faut*, quod tamen notionem necessitatis objectivae excludit v. g.
Illud tertium etiam opus est, minus est tamen necessarium.
Verres dicebat multa sibi opus esse.
Emas non, quod opus est, sed quod necessarium est *(indispensable)*.
Minus multi opus sunt boves. Hujus nobis exempla permulta opus sunt.
Maturato opus est. Quid opus est de Dionysio tam valde affirmare ?
Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis.
Si quid erit, quod te scire opus sit, scribam. Opus est lavare manus.

Necesse est illud significat, de quo, ratione rei habita, intelligentia nostra judicare cogitur, rem suapte natura aliter esse vel fieri non posse. v. g. Qui ex divisione tripartita duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam. Corpus mortale aliquo tempore perire necesse est. Homini necesse est mori. Virtus necesse est vitium aspernetur et oderit. Boves vendat necesse est. Dari litteras necesse fuit. Senatori necessarium est nosse rempublicam.
Intimi multa videant necesse est. Non habemus necesse semper concludere. Necesse habeo ad te scribere. Quod tibi necesse minime fuit.

M. Nonne *oportet* quoque et *debere* significant : *il faut* ?

T. Certe, sed utrumque excludit notionem necessitatis. *Oportet* id significat, quod postulat justitia, aequitas, prudentia, utilitas, officium ; ne plura, quandam *necessitatem subjectivam*. *Debere* significat obligationem moralem in semetipsum vel in alterum v. g. Leges oportet sint breves.

Si loquor de re publica, quod oportet, insanus existimor. Ego crimen oportet diluam. Exstent oportet vestigia. Quidquid non licet, certe non oportet. Alio tempore atque oportuerit. Hoc fieri non solum oportet, sed necesse est. Quod jam pridem factum oportuit. Signum ablatum esse non oportuit. Valde divites sint oportet. Inimico testi credi non oportet. Me ipsum ames oportet, non mea. Nihil in bello oportet contemni. Ex malis eligere minima oportet.

Si patria mater mea est, eam amare *debeo*. Debuisti in me esse officiosior. Eum patris loco diligere debebas.

M. Quae verba recipiunt Ablativum objectivum, Gaudenti ?

G. Utor, fruor, fungor, potior, vescor, dignor (passivum) ; item composita : abutor, perfruor, defungor, perfungor ;
Adjectiva : dignus, indignus.
Victoria *uti*, Hannibal, nescis. Quousque tandem, *abutere*, Catilina, patientia nostra ? Multis bonis *fruimur*. Eis sapientiae laude *perfrui* licuit. Officiis justitiae *fungimur*. Illis periculis *perfuncti* sumus. Honoribus, laboribus, periculis, vita *defunctus*.
Praeda, urbe, imperio *potiri*. Germani lacte et caseo *vescuntur*.
Tali honore *dignati sunt*.
Res *digna* scitu, cognitu, memoratu, notatu. Omni honore *indignissimus*. Indignum esse luce.

M. Quid significat *uti aliquo* ?

G. *Avoir des relations d'amitié avec quelqu'un ; entretenir des relations intimes* v. g.
His Fabriciis semper *est usus* Oppianincus. Trebonio multos annos *utor* valde familiariter. Lucceius, qui multum *utitur* Bruto *(très lié)*.

Utere Pompejo Grospho.

Uti saepius praeterea significat *avoir* v.g. patre diligente *uti*; adversis ventis, secundis proeliis, valetudine bona, iisdem legibus, varia fortuna, tempestate egregia *uti*. Neque magno neque bono portu *utebantur*.

Varro et Cicero Aelio Stilione *usi sunt* magistro.

M. Quid significat : *Deusus est* victis ?

G. *Deuti* significat *male tractare*.

M. Sunt, ut hoc breviter attingam, qui perperam censeant non aliam in verbo *abuti* inesse notionem nisi *perverse uti* aliqua re. — At contra *abuti* significat et licite et illicite non potius uti aliqua re, quam utendo consumere vel in usum consumere aliquam rem (= *employer entièrement, perdre par l'usage)* v.g. Sumus parati *abuti* tecum hoc otio *(à employer avec vous ce loisir, à vous le consacrer entièrement)*.

Otio ad laborem *abuti (employer à travailler)*.

Sole abuti in pratulo ; re patria abuti ; libero mendacio abuti ; studiis, sagacitate canum abuti *(tirer parti de)*.

Cum vero utendo consumere vel perdere saepius idem sit quod perverse uti, fit, ut *abuti* nonnumquam in verbum nostrum *abuser* quadret v. g. Quousque tandem abutere patientia nostra ?

Legibus ad quaestum et libidinem abuti. Indulgentia Populi Romani abuti ; libertate abuti.

Abuser de tamen latine plerumque sic redditur : Male, prave, perverse, immodice, intemperanter, insolenter uti aliqua re.

Neque *abusus*, quae vox ceterum raro invenitur, idem est ac vocabulum nostrum *abus*, quia significat *consumptio* v.g. patrimonii, bonorum. Latine dicendum est : aut *res mali* vel *pessimi exempli* est, aut *mala, prava, perversa, intemperans, insolens consuetudo* vel *mos est*.

Imperii, operum *usus intemperantior (abus de l'autorité et des richesses)*.

Intemperanter munere publico *abusus est (commettre des abus)*.

Magna inducta est consuetudinum depravatio *(il s'est introduit bien des abus)*.

Tanta est malae consuetudinis corruptela *(la force des abus)*.

Si quis ea potestate male vel temere usus est.

Vinum nocet culpa (vitio) male utentium vel pravitate utentium.

Gaudentius ante dixit *potiri* recipere Ablativum : at saepissime inveni Genitivum, Honori.

H. Genitivus sane invenitur, praecipue *imperii, regni* potiri ; semper autem dicimus *rerum* potiri *(s'emparer du pouvoir)*.

M. Quid significat : Hoc dii *alienum* non ducunt majestate sua ?

H. *Les dieux ne croient pas cela indigne de leur majesté.*

Alienus significans *il ne convient pas* promiscue conjungitur cum solo Ablativo aut cum *a* praepositione v. g. Utrumque *homine* est alienissimum. Hoc alienum est *a vita*, a dignitate mea. Alienum mihi videtur *dignitate* imperii. Nihil tam *alienum est a* sapiente ; alienum *ab aetate* nostra.

Alienus significans *défavorable, ennemi* conjungitur cum *a* praepositione v. g. alieno *a te* sum animo. Si *a me* es alienior.

Alienum *a studiis* animum habere. Homo alienus *a litteris*.

Illud Genitivum quoque admittit ; hoc Dativum.

M. Quae verba exigunt *Ablativum separationis* ?

H. Pellere, depellere, amovere, demovere, removere, dejicere, deturbare,

arcere, prohibere, excludere, intercludere, deterrere ;

liberare, levare, solvere, exsolvere.

Cedere, abscedere, decedere, excedere,

Abstinere, desistere, supersedere.

Cum de personis agitur haec verba semper junguntur cum *a* praepositione ; cum agitur de rebus, sequitur aut solus Ablativus aut praepositiones *a*, *de*, *ex*.

M. Affer, Juliane, exempla.

J. *Pellere* aliquem (ex) regno, patria, civitate, possessionibus.

Depellere hostes loco, e loco, ab urbe, de moenibus ; depellere aliquem de spe conatuque, de suscepta causa, de sententia *(forcer à abandonner)*.

Movere aliquem loco, tribu, senatu *(chasser)* ; signum loco.

Dejicere aliquem honore, principatu, spe, de gradu, de sententia.

Deturbare aliquem de moenibus, spe, de mente (= privare) : de tribunali.

Arcere aliquem tecto, *prohibere* fuga, *excludere* a re frumentaria, a reditu, a republica.

Intercludere aliquem commeatu, a castris.

Deterrere aliquem a consilio ; *liberare* aliquem metu, patriam a tyrannis ; *levare* aliquem onere, legibus ; *exsolvere* se occupationibus, suspicione ; *supersedere* aliquo labore, proelio *(cesser)*.

Cedere loco, urbe, vita, possessione hortorum ; *abscedere* incepto.

Decedere provincia, vita : *abire* magistratu *(déposer)*.

Abstinere injuria, maledicto, scelere ; manus ab alienis, a praeda ; *desistere* conatu.

M. Quomodo igitur in latinum converti potest *mourir ?*

J. De vita *decedere*, e vita *cedere*, *discedere* vel *excedere* ; vita excedere, e vita *abire* ; *decedere*. *Exire* de (e) vita, e vita *egredi*.

M. Verba separationis juncta cum *dis* et *se* plerumque exigunt *a* praepositionem ; enumera aliquot ejusmodi verba.

J. Discernere, distinguere, discrepare, differre, dijudicare, dissentire, dissidere, distare ; secernere, segregare, sejungere, separare, sevocare.

Adde verba : alienare, abalienare, abhorrere. v. g. Haud difficile est hominem stultum a sapiente *discernere*.

Vera a falsis *dijudicare* et *distinguere*. Romani valde *differunt* a Graecis. Testimonium tuum *discrepat* a patris.

Scriptum a sententia *dissidet*. *Dissentit* Caesar a Pompejo.

Blandus amicus *secerni* non potest a vero. *Segregemus* virtutem a summo bono. Bonum, quod ab honesto non potest *sejungi*. Animum a voluptate *revocare*. Omnes a se amicos *alienat*. Haec causa filium a patre *abalienavit*.

Atticus eos ad coenam vocabat, quorum mores a suis non *abhorrerent*.

Distat amicus ab infido scurra.

M. Quid judicas de hac sententia : Hostem castris fortiter defenderunt ?

J. Falsa est ; quia *defendere* semper jungitur cum *a* praepositione.

Hostem *a* castris *defenderunt*, vel : castra ab hoste defenderunt.

Italiam ab armatis hostibus defendere. Dignitatem suam ab inimicis defendere. Vitam a telis, gladio se a multitudine, teneras myrtos a frigore defendere *(garantir)*.

Cicero praeterea habet : Aliquem *contra* injuriam ; et Livius : Vejentes *adversus* populum Romanum defendere.

M. Quae alia verba exigunt Ablativum, Luciane ?

L. Verba *assuesco* et me *assuefacio (s'habituer à)* conjungi possunt cum Dativo, sed Ablativus majore in usu est, praecipue cum participio *assuetus* v. g. labore, sociis, modo vivendi, genere pugnandi *assuetus*. Milites custodia regis *assueti*.

Item : *stare* v. g. conditionibus, promissis, foedere, pacto, jurejurando.

Facere v. g. Quid hoc homine faciam ? Quid fiet navibus ?

Fidere, *confidere* v. g. auxilio Romanorum, tempestate.

Cum vero agitur de personis, semper Dativus v. g. fido, confido tibi, diffido Romanis.

M. Multa praeterea sunt adjectiva, quae admittant Ablativum ; quae ?

L. *Praeditus* v. g. sensibus, virtute, vitio grandi, spe, metu, amentia.

Onustus v. g. naves onustae frumento, asinus auro, plaustrum ligno.

Plenus v. g. urbs plena bellico apparatu, domus ornamentis.

Refertus v. g. insula referta divitiis, domus referta aleatoribus, theatrum refertissimum celebritate. Xerxes refertus omnibus praemiis donisque fortunae. Vita undique referta bonis.

Fertilis v. g. fertilis terra arboribus, agro insula, frumento.

Opimus v. g. praeda ; ager opimus copiis. *Dives* agris, auro.

Inanis v. g. vas vino inane ; domus ornatu inanis.

Orbus v. g. rebus omnibus ; res orba consilio auxilioque.

Vacuus v. g. arvum vacuum arboribus ; animus curis.

Nudus v. g. urbs praesidio. *Immunis* v. g. militia.

Contentus v. g. parvo contentus ; sorte sua.

Fretus v. g. intelligentia, voce, copiis, opulentia.

Anxius v. g. pater salute filii, gloria ejus.

Superbus v. g. doctrina, scientia, victoria.

Laetus v. g. hereditate, nato filio. *Moestus* morte matris.

M. *Fertilis, plenus, dives,* ut jam alias demonstravimus, etiam cum Genitivo conjungere licet.

Explica hanc sententiam : Macti virtute, milites Romani, estote !

Quid significat *macti ?*

L. Adjectivum *mactus* ductum esse videtur ab antiquo verbo *mago, xi, mactum,* quod significat *augere,* illustrare et celebrare, laude decorare v. g. in sacrificiis : Mactus hoc ferto (vel fercto) esto *(sois honoré par ce gâteau sacré).*

Mactus hac dape esto. Mactus hoc vino inferio esto (= oblato).

Sed multo saepius invenitur immutabilis Vocativus *macte* v. g.

Macte hisce suovitaurilibus lactentibus immolandis esto.

Sermone profano autem *macte* est acclamatio gratulatoria.

Macte, macte virtute esto ! Macti virtute este ! = feliciter tibi ! *courage ! salut à toi ! Bien, bravo ! à merveille !* Macte virtute ! mihi quidem gratum... *Courage ! cela me fait plaisir.* Macte virtute ; sic itur ad astra !

3. De Dativo.

M. Quid est Dativus, Caesari ?

C. Dativus est ille casus, qui respondet interrogationi *cui.*

Aut *cujus commodo* vel *incommodo* ? v. g. *Tibi* non credo. Avarus non *sibi,* sed *aliis* divitias parat.

Cum verbo transitivo Dativus est casus objecti remotioris v. g. Commendo *vobis* libros meos. Ostendit *eis* consilium suum.

Solon et Lycurgus leges dederunt *civibus suis.*

Dativus deinde explet verbum intransitivum v. g. Tu mihi *nocere* non potes. Commodis tuis nemo *obstabit.* Libertati et nomini tuo non *officiam.* Omnes isti tuo incepto *adversantur* ; omnes huic consilio *renituntur.* Fortuna mihi *repugnat.*

Voluntati eorum *resistam.* Faba *prodest* voci. Hoc omnibus *placet,* Caesari soli *displicet.* Cupiditatibus tuis *impera.*

Praeceptis Dei *paremus* et *obedimus.* Voluntati senatus *obsequuntur.* Legibus *obtemperant.* Jussis patris *dicto est audiens.* Graecis *diffido,* Siculis *fido.* Cur mihi *irasceris* ? Qua de causa praetori *succenses* ?

Auxiliantur hostibus, non *subveniunt* patriae, non *succurrunt* urbi. Voluptas *blanditur* sensibus. Omnes *favent* huic legi. Nolite *servire* turpitudini. Hoc mihi *arridet*.
Magistro *assurgimus*. Tibi non *deero*.

M. Estne hoc emendatum : Hoc tibi pater facere jubet vel vetat ?

C. Non est profecto, quippe cum *jubere* et *vetare* exigant Accusativum cum Infinitivo : pater te hoc facere jubet vel, ut est apud Livium : pater hoc facias jubet, sed nunquam : *facias vetat*.
Pater te exire vetat. Iubemur hoc facere ; vetamur exire.

M. At inveni apud ipsum Ciceronem : Jubet *mihi* facere.

C. Illic Ciceronis animo obversabatur verbum *imperare*, quod scriptores aetate posteriores imitati sunt.

M. Item apud scriptores inveni : Jubet, *ut*. Quomodo hoc explicas ?

C. Invenitur sane in edictis et jussis magistratuum, quia *ut* plus habet vigoris quam Accusativus cum Infinitivo.

M. Affer aliquot exempla, quae contineant Dativum commodi vel incommodi.

C. Non *scholae*, sed *vitae* discimus. Non solum *nobis* divites esse volumus, sed *liberis*, *propinquis*, *amicis*, maximeque *reipublicae*.
Tibi aras, *tibi* occas, *tibi* seris, *tibi* metis. Non sum *uni angulo* natus. Quis *huic rei* testis est ? Filius meus, si quid peccat, *mihi* peccat. Pisistratus *sibi*, non *patriae* Megarenses vicit.

M. Enumera, Rufine, aliquot adjectiva, quae cum Dativo jungi solent.

R. Dativum trahunt omnia quae in his exemplis continentur : Verna *idoneus* arti cuilibet.
Hoc consilium tibi *utilissimum* erit. Atticus adolescens seni Sullae fuit *jucundissimus*. Terra, quae vitibus *apta* est, etiam arboribus est utilis. Nihil est naturae hominis *accomodatius* quam beneficia et liberalitas. Cunctis esto *benignus*, nulli *blandus*, paucis *familiaris*, omnibus *aequus*. Bellum illud nobis *pestiferum* atque *exitiosum* fuit. Studium omnibus *salutare* est. Qui sibi *amicus* est, scito hunc amicum omnibus esse.
Nihil *gratius*, nihil *acceptius* Deo est, quam animus beneficiorum memor. Ineptum id dicitur, quod nec tempori nec loco nec homini *aptum* est. Nihil est morti tam *simile* quam somnus. Atticus omnibus fuit *carus*. Non eadem omnibus sunt *honesta* atque *turpia*. Omni aetati mors *communis* est. Id Deo est *proximum* quod est optimum. Voluptatibus maximis fastidium *finitimum* est. Divitibus *difficile* est contemnere aurum.

M. Multo tamen saepius invenimus : hoc utile, inutile, aptum, idoneum, necessarium est *ad* v. g. bellum gerendum.

Pro Dativo etiam admittunt praepositiones *erga*, *adversus*, *in* haec adjectiva : amicus, aequus, comis, fidelis, liberalis, benignus, benevolus, malevolus, inimicus, infestus, iniquus, infidus, crudelis, saevus, etc.

Cum adjectiva : amicus, inimicus, familiaris, aequalis, affinis, propinquus, necessarius, finitimus, vicinus eadem sint substantiva, non solum cum Dativo, sed etiam cum Genitivo attributivo et cum pronomine possessivo conjungi possunt.
Amicus, inimicus, familiaris meus.
Cicero aequalis (*contemporain*) Caesaris. Aequalis meus, etc.
Utrum melius est : Filius *patris* an *patri* est *similis (dissimilis)* ?

R. Veteres grammatici censent Genitivo similitudinem moralem, Dativo similitudinem physicam designari v. g. Numa in civitate bellicosa plures *Romuli*, quam *sui* similes fore putabat.

Hominem *homini* similiorem nunquam vidi alterum.

Alii putant Genitivo veram imaginem, Dativo similitudinem ex parte significari v. g. Filius similis *patris*. Infans similis *monstri*. Caput simile *bovis*. Sed : Filius in hoc *patri* est similis.

Semper autem : *mei, tui, sui, nostri, vestri* similis *(nos semblables)*.

Cicero vero Genitivo utitur, cum agitur de animantibus (homines, dii, animalia), Genitivo vel Dativo, cum agitur de rebus v. g. Deos hominum similes putamus.

M. Utrum est emendatum : Est homini similitudo Dei, an similitudo cum Deo ?

R. Utrumque aeque est emendatum.

M. Cavete dicatis : Aliquid *simile* mihi accidit *quam* tibi. Latine dicendum est : *ac (atque)* tibi.

Licetne *par, dispar* conjungere cum Genitivo ?

R. Cum se referunt ad pronomen, semper conjunguntur cum Genitivo.

Ut dicimus, mei, tui, sui, nostri similis, sic dicimus mei, tui, sui, nostri, cujus, etc. par, dispar. — At : Caesari par, viribus par, dispar.

M. Quid significat : Par columbarum ?

R. *Une paire* v. g. par gladiatorum. Tria aut quatuor paria amicorum. — Par nobile fratrum. Par oculorum.

M. Estne hoc latinum : Proxima occasione tibi par *pro* pari reddam ?

R. Emendatius dixerim : Par pari reddam (referam), sine *pro (rendre la pareille)*.

M. Estne hoc emendatum, Sabine : Ille gladiatori propior est, quam senatori *(plus semblable)* ?

S. Nihil dubito. Cum vero *prope* spectat locum non admittit nisi Accusativum *(propius* et *proxime* etiam sensu translato exigunt Accusativum).

Propius urbem, propius virtutem, proxime hostem, Carthaginem ; propius fidem est, proxime morem Romanum esse. Ubii proximi Rhenum incolunt. Proxime Pompejum sedebam.

M. Estne hoc latinum : Sed haec propius consideremus oportet ?

S. Dicendum est : Haec *diligentius* vel *accuratius* consideremus oportet, quia hic de cura, non de loco agitur.

Item falsum est : Aliquem propius observare, custodire ; aliquem propius nosse, pro : *restrictius* observare, *familiariter* nosse.

M. At hoc emendatum esse videtur : *Proprium est oratori* ornate dicere ?

S. Nihil minus ; proprius semper cum Genitivo conjungitur ; ergo : *Proprium est oratoris*. Fuit hoc *proprium populi Romani* longe a domo bellare. *Harum virtutum proprium* est nihil extimescere. Zeno censet *artis maxime proprium esse* creare et gignere.

Hominis est propria veri investigatio. Aliae nationes servitutem pati possunt, *populi Romani est propria* libertas. Haec *justitiae* ita *propria sunt*, ut sint reliquarum virtutum communia.

M Estne hoc emendatum : Haec sunt virtutum contraria ?

S. Cum Ciceronis sit sententia, nihil dubii relinquitur. *Contrarius* cum Genitivo vel Dativo conjungitur, sed semper congruit cum subjecto. Falso igitur nova latinitas habet : *Contrarium* doloris est voluptas. Veteribus enim ignotum est substantivum *contrarium*.

Latine dicimus : *Contraria* doloris vel dolori est *voluptas*. Vel : *Contrarius* voluptatis (voluptati) est *dolor*. *Contraria* urbanitatis (urbanitati) est *rusticitas*. *Calor* frigori est *contrarius*. Neque sermo purus ac latinus hujusmodi sententias admittit : Si contrarium facis, te poenitebit. Sive

sum pauper sive contrarium : semper sum contentus. Dicendum est : Si *contra* facis, te poenitebit. Sive pauper sum sive *contra*.

M. Quid de hac sententia judicas : Coelum omnium commune est ?

S. Est emendata. Cum enim *commune* idem est ac « *communis possessio* », cum Genitivo conjungitur, secus cum Dativo.

Mors omni aetati communis est. Patria omnium communis. Praeterea : Sensus nobis communis est *cum* animalibus. Terra *inter* homines communis est.

M. Quid interest inter : Cibus *communis* et cibus *vulgaris* ?

S. Illud significat cibum de quo omnes edunt ; hoc cibum minus bonum et delicatum (cibus vulgi).

M. Quid de hac sententia existimas : Homo vulgaris raro cibis delicatioribus vescitur ?

S. Adjectivum *vulgaris* homini attributum sensu morali accipitur. Quapropter dicendum est : Homo de plebe, homo plebejus, sordidus, obscurus, obscuro vel infimo loco natus.

Neque invenimus : miles *vulgaris*, sed miles gregarius (manipularis, caligatus). Vulgus militum (*les soldats*).

Mos denique *communis* ab omnibus observatur, mos *vulgaris* a solo vulgo.

M. Adjectivum *sacer* item cum Genitivo et Dativo conjungitur v. g. Mensis sacer Manibus. Quercus Jovi sacra. Affer, Urbane, exemplum aliquod Genitivi.

U. Apud Ciceronem inveni : Illa insula *deorum* sacra putatur.

Item *superstes (survivant)* modo cum Genitivo, modo cum Dativo jungitur v. g. Ut sui sibi liberi superstites essent. Superstes filio pater.

Videbatur vivere tamquam superstes sibi.

Aliquem non solum vitae, sed etiam dignitatis suae superstitem relinquere.

Alterius vestrum superstes. Gloriae suae superstes.

M. Quomodo explicas Dativum hujus sententiae : Filia mea nunquam *nubebit viro* ?

U. Est Dativus commodi = nunquam se velabit viro.

M. Licetne *nubere* etiam uti de viro ?

U. Numquam ; vir uxorem ducit, cum aliqua matrimonium init, matrimonio conjungitur.

M. Nonne licet dicere : Lucina nupsit *cum* Petronio ?

U. Minime licet ; latinum est : Lucina *nupta* est Petronio vel cum Petronio.

M. Profer aliud verbum, quod conjunctum sit cum Dativo commodi.

U. *Vacare*, quod significat : liberum esse occupationibus ideoque otium habere alicui rei v.g. philosophiae vacare (*s'occuper de*). Studia, quibus vacant cives. Huic uni vaco negotio, clientum negotiis, rescribendis epistolis.

M. Quid significat : Nobis venari nec vacat nec licet ?

U. Verbum vacandi impersonaliter usurpatum *vacat* vel *mihi vacat* conjunctum cum Infinitivo idem est ac : mihi tempus est ad aliquid, tempus habeo aliquid faciendi v. g. Tibi scribam, cum vacabit.

Veni ad nos, si tibi vacat. Non vacat mihi versus facere. Tunc et elegiam vacabit in manus sumere.

M. Quid est *Dativus ethicus* ?

U. Ille, qui cum pronominibus personalibus *mihi, tibi* conjunctus humanitatem quandam aut indignationem significet.

Ad illa *mihi* pro se quisque acriter intendat animum.

Hic *mihi* quisquam misericordiam nominat ! Quid *mihi* Celsus agit *(comment va)* ? Hic *mihi* etiam Rufus pacis commoda commemorat. Quid hoc *sibi* vult ? Quid ait *nobis* Gannio. Ecce *tibi* nuntius.

Haec *vobis* illorum per biduum militia fuit.

M. Quomodo ejusmodi sententias convertis in Gallicum?

U. v. g. *Comment va mon ami Celsus ? Que dit notre Gannio ? Quelqu'un va-t-il ici parler de compassion ? Voilà quel fut le service de vos soldats pendant deux jours.*

M. Enumera, Valentine, praecipua verba, cum Dativo jungenda.

V. Arrideo, assurgo, convicior, faveo, incommodo, invideo, nubo, maledico, medeor, obtrecto, parco, patrocinor, studeo, supplico, persuadeo.

M. Quam rationem instituis, cum ista verba exigunt modum passivum ?

V. Eis impersonaliter utimur v. g. *Mihi* invidetur, invisum est, invidebitur. *Mihi* invideri potest ; *nobis* invideri solet. *Ei* persuaderi non potuit. Vir probus *nemini* invidet. A viro probo *nemini* invidetur.

M. Estne hoc emendatum : Pompejus Caesari invidet gloriam ?

V. Non vero est ; Romani enim rem interpretabantur objectum invidiae, non personam. *Pompejus* igitur *invidebat gloriae Caesaris,* non *Caesari.* Pauperes invident *divitiis* divitum. Invideo *virtuti* tuae. Invidetur *successui* ejus. Nullius *honori* invideo Ab omnibus invidetur *venustati* et *pulchritudini* ejus.

M. Sic res se habet. Si vero Livius et Tacitus nonnunquam Ablativo rei utuntur, *invidere* idem significat quod *privare* v. g. Laude sua mulieribus invidere. Ne hostibus quidem sepultura invidere.
Alicui spectaculo proelii invidere.
Alicui autem invidere *ob* vel *propter* aliquam rem est nova latinitas.

Quomodo verbo uteris *convenire,* cum Gallice significat 1) *être d'accord sur* ; 2) *s'accorder sur une question, convenir de* ?

V. Cum *convenire* significat *être d'accord,* impersonaliutor *convenit* : mihi convenit *cum* aliquo *de* aliqua re v. g. Mihi convenit cum socero de dote filiae. Inter nos convenit de dote. Non modo inter Patres, sed ne inter consules quidem de hac re conveniebat. Quibus consulibus Hannibal interierit, non convenit *(on n'est pas d'accord).* Inter omnes convenit in obsidione esse perseverandum. Non convenit *(on n'est pas d'accord).*

M. Estne hoc emendatum : de illo mihi cum fratre non convenit ?

V. Est illud quidem emendatum, sed propter ambiguitatem praestat pronomen mutare in subjectum : *Illud* mihi cum fratre non convenit *(sur ce point je ne suis pas d'accord). Illud unum* inter nos non convenit. *Hoc* non convenit. *Quae* conveniunt *(de quoi est-on d'accord).*

M. Explica *convenire,* quod significat *s'accorder sur, convenir de.*

V. Cum isto *convenire* optima latinitas vix unquam *de* conjungit praepositionem, sed objectum, dummodo sit nomen substantivum, pronomen vel adjectivum plurale neutrius, fit subjectum verbi v. g. *Conditiones* pacis conveniunt *(on s'accorde sur les conditions). Tempus* et *ratio* convenit. *Id* convenerat *signum (c'était le signal convenu). Res* convenit. *Cetera* jam convenit. Posse *rem* convenire.
Quod tempus inter eos committendi proelii convenerat.
Pax quae cum L. Quinto convenerat.
Hoc, illud convenit *(on s'est accordé sur ce point).* Neminem voluerunt judicem, nisi *qui* inter adversarios convenisset. Ita mihi cum patre convenit. Nunc ita inter me et hunc convenit, ut te mittam. Mihi cum Dejotaro convenit, ut ille in castris meis esset *(il a été convenu).* Convenit, ne quid dotis filia afferat. *Pax* ita convenerat, ut Etruscis fluvius Albula finis esset *(on convint de la paix à condition*

que). Convenit *judex* inter eos Atilius *(ils prennent d'un commun accord Atilius pour juge)*.

M. Estne hoc emendatum : Neque hominibus neque aedificiis ab hostibus parcitur ?

V. Nemini dubium est ; in locum Perfecti passivi autem *(parsum est)*, quod in usu non est, subrogatur verbum *temperare* :
Neque hominibus neque aedificiis ab hostibus *temperatum est*.
Temperare enim cum Dativo idem significat quod *parcere* v. g.
Sociis, hostibus superatis, templis temperare.

M. Quid aliud, ut hoc in transitu attingam, significat *temperare*, Albane ?

A. *Miscere* aliquid aliqua re : acetum melle, vinum aqua temperare.
Dirigere, constituere, regere, gubernare v. g. rempublicam legibus temperare *(donner des lois à la république)* ; civitates temperare *(diriger)*. Qui mare ac terras, qui orbem temperat *(gouverner)*.

Modum servare, moderatum se praebere, moderari v. g. linguae, manibus, oculis, irae temperare. Victoriae temperare *(se montrer modéré dans la victoire)*.

Aliqua re se abstinere v. g. temperare (ab) injuria, a maleficio ; lacrimis, risu.

Se continere : v. g. Usque *mihi* temperavi *(je me suis maîtrisé jusqu'au bout)*. Nequeo mihi temperare, quominus unum exemplum antiquitatis afferam *(s'empêcher)*.

M. Quid significat *conviciari* ?

A. *Insulter, injurier qn., lui faire des reproches, gronder* v.g. Turpe est contra sentientibus conviciari. Conviciari accusatoribus.

M. Quid significat : *Mihi persuasi* ?

A. *Je suis persuadé*. Idem significat : Mihi persuasum est, persuasum habeo v.g. persuasum est mihi de tua fide. Omnes sic persuasum habent. Illud mihi satis persuasum est. Hoc ipsis Siculis persuasum est. Persuasissimum mihi est eum venturum.

M. Converte : *Il ne se laisse point persuader*.

A. Ei non persuadetur ; nunquam vero : non sinit, non patitur sibi persuaderi.

M. Quid significat timeo (metuo) *tibi*, timeo *a te* ?

A. Illud : *Je crains pour vous ;* hoc idem est quod *timeo te*. Hannibalem timeo, ab Hannibale timeo. Times *de* valetudine tua.

M. Estne hoc emendatum : Ciceroni fuit una filia.

A. Emendatissimum est ; namque *esse* cum Dativo declarat possessionem alicujus rei = habere.
Homini cum Deo similitudo est. Non idem semper floribus color est. Ei multae oves erant et boves. Omnibus inter se virtutibus amicitia est. Cui nomen erat Arethusa. Dives est, cui tanta possessio est, ut nihil optet amplius.

M. Licetne igitur dicere : *Mihi timor est*, ne veniant ?

A. Minime licet, quia timor, spes, gaudium, ira, taedium, amor, etc. non sunt possessio, sed fortuiti affectus animi.

M. Quid differt : Haec villa est meae *sororis* ; et : *Sorori* meae est, Beate ?

B. Genitivus pondus affert possessori, Dativus possessioni ; vel : Genitivus respondet ad : *Quis* possidet ? Dativus ad : *Quid* possidet ?

M. Quid tibi videtur de hac sententia : Illi viro magna est prudentia ?

B. Illa quidem non est falsa, sed potior est Ablativus qualitatis vel verbum *(esse) inesse in* cum Ablativo, cum agitur de qualitatibus corporis vel animi.
Vir fuit ille magna prudentia (vel magnae prudentiae).
Cajus juvenis est egregia facie. Magna prudentia in illo

viro inest. In me sunt multa vitia. Cicero maxima eloquentia fuit vel : Maxima in Cicerone eloquentia fuit.

Sed : Res hoc vitii habet (non : in re hoc vitium est).

M. Converte in latinum : *Comment vous appelez-vous ?*

B. Qui vocaris ? Quod nomen (cognomen) est tibi ? Quo nomine es ?

M. *Je m'appelle Fabius.*

B. Nomen est mihi Fabio.

M. Cur dicis *Fabio* ac non *Fabius ?*

B. Etsi licet dicere *Fabius*, quia Fabius est appositio subjecti *nomen*, tamen multo saepius nomen proprium attrahitur a Dativo personae.

Numitoris filia duos pueros enixa est ; nomina pueris alteri *Remo*, alteri *Romulo* fuere. Attus Clausus, cui postea *Appio Claudio* nomen fuit, Romam transfugit.

Romani leges quibus *tabulis duodecim* nomen est, in aes inciderunt.

Sed etiam : Syracusis est fons aquae dulcis, cui nomen est *Arethusa.*

Ei morbo nomen est *avaritia.* Scipioni cognomen fuit *Africanus.*

Idem valet in : Mihi nomen *datum, inditum, impositum est* v. g. Puero ob inopia *Egerio* nomen inditum est. Mihi datum est nomen *Rufino* vel *Rufinus.*

M. Quid de hoc : Ei nomen *Scipionis* dederunt ?

B. Verba activa : *nomen dare, indere, addere, imponere, tribuere* habent nomen proprium in Accusativo vel in Dativo. Ei nomen *Scipionem* vel *Scipioni* dederunt.

M. Errare non potest, qui in omnibus his semper Dativum teneat.

Est, datur, inditur mihi nomen, cognomen cum Genitivo conjungi potest, cum nomen proprium est adjectivum v.g. Siciliae primo nomen *Trinacriae* fuit. Metello cognomen *Numidici* inditum fuit.

Licet quoque cum Infinitivo *esse* vel *fieri* geminum Dativum admittit. Affer, Damase, exempla.

D. Licuit esse *otioso Themistocli.* In re publica *mihi negligenti* esse non licuit. *Patricio* Romano *tribuno* plebis fieri non licebat.

Cur *his* non licet *liberis* esse ? Licuit *eis* esse *fortunatissimis.*

M. Estne haec sententia vitiosa : *Non licet te esse otiosum?*

D. Minime gentium. Vel optimi latinitatis auctores Accusativo quoque cum Infinitivo utuntur v.g. Consulem me fieri licet. Is erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret.

M. Quid differt *licet (licuit)* a *licitum est (licitum fuit)* ?

D. Nihil omnino.

M. Quomodo explicas geminum Dativum hujus sententiae : Hoc *vobis* non est *honori* ?

D. Dativus nominis abstracti conjunctus cum *esse (fieri)* respondet interrogationi *ad quid* ? Plerumque huic Dativo adjunctus est Dativus personae v.g. Hoc *mihi* est *detrimento,* usui, emolumento, impedimento, calamitati, oneri, saluti, laudi, honori, decori, dedecori, probro, opprobrio ; illud est testimonio, argumento, documento = illud est argumentum, documentum, indicium.

Virtutes hominibus decori gloriaeque sunt. Magno malo est hominibus avaritia. Ampla domus dedecori saepe domino fit, si est in ea solitudo. Nimia fiducia calamitati solet esse.

Cui bono ? = Cui hoc est bono ?

M. Idem Dativus cum *esse* vicem praestat verbi deponentis passivi v. g. Haec res omnibus *admirationi* est *(est admirée de tout le monde)*, omnibus *odio* est, etc.

Item : Hoc mihi *cordi est* (= carum est ; mihi placet).

Hoc *mihi curae est (être l'objet des soins de).*

Hoc *religioni* habeo *(se faire conscience de q. ch).*

v. g. Negant mundum diis curae esse *(s'occuper)*. Discede hinc, si fama tibi curae est. Magnae veteribus curae fuit gratiam dicendi acquirere. Hoc solum sit tibi curae *(s'occuper)*.

Cavete dicatis : Hoc laudi *tuae* erit, hoc laudi *fratris* erit; sed : Hoc *tibi*, hoc *fratri* laudi erit.

Suntne praeterea verba, quae hunc geminum Dativum admittant ?

D. Sunt sane et haec quidem : Dare, tribuere, vertere, habere, ducere, dare, accipere, venire, arcessere, mittere, relinquere v. g.

Quod *aliis vitio* vertis, *tibi laudi* ne duxeris. Pericles agros suos *dono reipublicae* dedit. Hoc *ei ignaviae* tribuerunt. Virtus sola neque datur *dono*, neque accipitur. Tertia legio eis *auxilio* venit, quintam Synacusanis *auxilio* misit. Urbem militibus *direptioni* reliquit. Eis captivos *muneri* misit.

Vel cum uno Dativo : Aliquem *ludibrio* habere, *odio* habere. Librum *praemio* accepit. Hoc apud eos *honori* ducitur. *Receptui* cecinit. Locum *castris* delegerunt. Hunc locum *domicilio* delegit.

M. Quomodo Dativum hujus sententiae explicas, Floriane :

Hoc *nobis* tolerandum est ?

F. Apud Romanos usitatum erat participio Futuri passivi pro *a* cum Ablativo Dativum personae adjungere. Pro : *a me, a te, ab illo, a Caesare*, etc. scribendum, faciendum, tolerandum est, dicunt : *mihi, tibi, illi, Caesari* scribendum faciendum, tolerandum est.

M. Estne igitur vitiosum dicere : *A me, a te* scribendum est ?

F. Minime gentium, immo propter ambiguitatem saepius necesse est. v. g. Ambiguum est : Mihi fratri subveniendum est. Tibi hoc ceteris relinquendum est.

Cicero praeterea nonnunquam utitur *a*, ut subjectum magis appareat v. g. Sed tamen et Crassus *a* consulibus meam causam suscipiendam esse dicebat et eorum fidem Pompejus implorabat.

M. Licetne quoque dicere : Hoc *mihi, tibi, pueris* non intelligitur, intelligebatur, intelligetur, pro *a* me, *a* te, *a* pueris ?

F. Ejusmodi Dativus, quem Graecum vocant, certe non est imitandus, quippe qui non inveniatur nisi apud poetas et scriptores aetate posteriores.

Licet tamen Ciceronis et Caesaris exemplo Dativum pro *a* participio Perfecti passivi et temporibus ex eo formatis adjungere v. g.

Quidquid in hac causa *mihi* susceptum est, Quirites, id omne me reipublicae causa suscepisse confirmo.

Praecipua autem ejusmodi participia sunt : *auditus, cognitus, constitutus, deliberatus, perspectus, provisus.*

Idem Dativus nonnunquam, sed raro apud Ciceronem invenitur cum verbo passivo *quaeri* v. g. *Tibi* consulatus quaerentur.

Sic *dissimillimis bestiolis* cibus quaeritur. Honesta *bonis viris* quaeruntur.

M. Quid interest inter : Ista sententia *mihi* probatur, et : Ista sententia *a me* probatur ?

F. *Probare alicui aliquid* significat *satisfacere alicui aliqua re* v. g. Cicero : Quos libros, ut spero, tibi valde probabo. — Passive : Hi libri mihi probantur = Hi libri mihi placent. Mihi egregie probata est oratio tua (valde mihi placuit).

Ista sententia *a me* probatur idem est quod : a me bona agnoscitur, approbatur, laudatur.

M. Estne hoc emendatum : Illi pro beneficio *gratos se probant* ?

F. Est ista nova latinitas pro : gratos *se praestant*. Virum fortem, clementem te praesta.

M. Utrum, Laurenti, cogitas melius esse : Appulerunt navem *terrae*, an : Appulerunt navem *ad* terram ?

L. Optimi latinitatis auctores, cum agitur de verbis unctis cum praepositionibus *ad*, *con*, *in* multo saepius praepositionem repetunt v. g. *com*municare aliquid *cum* aliquo ; *ap*pellere navem *ad* ripam ; *in* hac vita nihil *inest* nisi miseriae, *in*cumbere *in* gladium, *in* litteras ; *ad*hibere orationem *ad* vulgus ; juventus *con*ferre, *com*parare *cum* vere ; *con*tendere, *con*jungere, *con*gruere, *con*sentire *cum*. *Adire ad* praetorem. *Ac*cedere *ad* consulem.*Adhibere* tamen, cum de personis agitur, semper fere cum Dativo conjungitur : vim, manus alicui adhibere, etc.

Praepositio autem tunc maxime convenit, cum significatur locus v. g.

Accidere *ad* aliquem ; accidere *ad* pedes alicujus ; accidere *ad* aures ; adesse *ad* judicium, adesse *in* senatu ; admovere copias *ad* urbem ; incidere *in* periculum, *in* invidiam ; quid incidit tibi *in* mentem ? incurrere, irruere invadere *in* hostem ; injicere se *in* medios hostes ; inferre signa *in* hostem ; procumbere, se projicere *ante* pedes, *ad* genua alicujus.

M. Utrum melius est : Navis appropinquat *ad* insulam, an : appropinquat insulae ?

L. Nisi *appropinquare* spectat spatium, Dativus potior habetur.

Illis poena, *nobis* libertas appropinquat. Centuriones, qui jam *primis ordinibus* appropinquabant (dignitas militaris). Ceterum Dativus universe multo saepius invenitur quam *ad*. *Finibus* Bellovacorum appropinquat; ubi *Rheno, Oceano* appropinquat, etc.

M. Estne haec sententia emendata : Puer sibi calceos induit ?

L. Est vero ; licet tamen praeterea dicere : *Puer se calceis induit.*

Verba enim : induo, aspergo, inspergo, circumdo, circumfundo, exuo,

dono, impertio, intercludo, aut Dativum personae cum Accusativo rei aut Accusativum personae cum Ablativo rei admittunt v. g.

Orationi aspergantur sales. Oleam *sale aspergito.* Fossis et muris *circumdedit* Romam. Ciceroni populus Romanus immortalitatem *donavit.* Vere ineunte arbores foliis se *induunt.* Puerilem aetatem doctrinis *impertire* debemus. Caesar hostem commeatu *interclusit.*

Montes multitudine fugam intercluserunt.

Caesar hostes omnes armis *exuit.* Corpus ejus cera *circumfuderunt.* Ignis naturis omnibus salutarem *impertit* calorem.

M. Quid tibi de hac sententia videtur : Nulli interdicito misericordiam ?

L. Non est illa quidem falsa, sed loquendi consuetudini magis respondet : *interdicere alicui aliqua re.*

Nulli interdicito *misericordia.* Ei interdicunt *sacrificiis.*

Interdici non poterat *socero* gener. Amoribus interdictum juventuti.

Ariovistus *omni Gallia* Romanis interdixit.

Semper vero invenimus: *aqua et igni alicui interdicere* v. g. Caesaris leges jubent, ei, qui majestatis damnatus sit, *aqua* et *igni* interdici.

Licet praeterea dicere : Interdico libi, *ne* amplius pedem ponas in limine meo.

M. Quid significat : Neque plebi militia volenti esse putabatur ?

L. Est locutio Graeca, quae semel iterumque apud historiae auctores invenitur v. g. apud Tacitum.

Volenti est significat : delectari aliqua re. Neque plebs mili-

tia delectabatur. Mihi volenti est : *delector, juvat me.* Quibus bellum *invitis* aut *cupientibus erat.*

M. Albanus ante dixit verbum timendi (metuendi) Accusativum et Dativum admittere : timeo te (a te) et timeo tibi ; scisne, Pauline, alia ejusmodi verba ?

P. Et Accusativum et Dativum, notione tamen mutata, haec verba recipiunt :

Cavere aliquem (prendre garde à) v. g. canem, interventum alicujus, ictum fulminis, vim, periculum, fossam, insidias.

Praeterea : *Cavere a* veneno, ab homine, a serpentibus.

Cavere alicui (avoir soin de, garantir qn. de) v.g. Melius ei cavere volo, quam ipse aliis solet *(veiller sur).* — Veterani quibus hic ordo diligentissime caverat. Cave securitati. Cavere pecori.

Consulo tibi (donner conseil à, pourvoir, se soucier de) v. g. Parti civium consulunt, partem negligunt. Est humanitatis tuae eorum commodis et utilitati consulere. Consulo famae, dignitati meae, reipublicae.

Consulo aliquem (consulter qn.) v. g. amicos, Apollinem, oraculum, Cumaeam anum, vates, sortes, senatum, populum, vires suas, speculum.

Cupio tibi (vouloir du bien à qn.). Favent et cupiunt Helvetiis.
Quid ego Fundanio non cupio ? Cupio tua causa omnia. Tibi maxime cupio.

Cupere aliquid (désirer), novas res, domum, nuptias. Cupio te conventum ; volo te paucis *(je désire vous parler).*

Prospicere (providere) tibi (pourvoir) ; saluti, rei frumentariae.

Prospicere (providere) aliquid (prévoir) v. g. hanc tempestatem, futuros casus reipublicae.

Moderor linguae, irae, animo, *(maîtriser, modérer) ;* cursui *(ralentir sa marche),* orationi *(mesurer).*

Moderari aliquid (diriger, conduire) navem, equos, res rusticas, rempublicam, tempora, orbem terrarum ; cantus numerosque.

Manere aliquem (attendre). Mors sua quemque manet. Quis me manet exitus ? Romae vincula me manent. Manet nos omnes una nox.

Manet mihi hoc solatium *(rester).*

M. Quid significat : Crudeliter consuluit *in* victos ?

P. *Il sévit cruellement contre les vaincus.*

M. Nemo ignorat, verba transitiva copulata cum praepositionibus *ad, ante, cum (con), in, inter, ob, post, prae, sub, super,* dummodo significationem praepositionis servent aut Dativum recipere aut magnam partem vel eandem vel similem praepositionem admittere. — Affer, Romane, exempla.

R. Victoria militibus animos *addidit (encourager).* Laudando animos mihi addidisti. Dii hunc ardorem mentibus addunt. Addis mihi alacritatem scribendi *(encourager).* Addere alicui calcar *(faire sentir l'éperon ; aiguillonner).*

Afferre alicui aliquid v. g. sibi manus *(se tuer),* manus templo *(piller).* Afferre alicui molestiam *(causer, occasionner),* aegritudinem *(chagrin),* spem, metum, dolorem, luctum, taedium, delectationem, gaudium, detrimentum, consolationem.

Alicui *adesse* consilio.

Adhibere remedia morbo, lumen rebus *(les rendre claires),* alicui consolationem *(adresser une consolation),* preces diis immortalibus, calcaria equo *(appliquer).*

Adjungere scientiae juris eloquentiam *(adjoindre),* rei fidem *(croire).* Natura sensibus rationem adjunxit.

Adjecit imperio Aegyptum.

Tuscus ager Romano *adjacet.* Homines cruci affigere.

Pelopidas omnibus *adfuit* periculis.

Anteponere amicitiam omnibus rebus humanis *(préférer).*

Academiae gymnasium, virtutes bonis corporis anteponere. Macedones eum sibi anteponi indigne ferebant.

Inimicissimos imperio Romano sociis et civibus *anteferre*.

Bellum *inferre* Gallis *(déclarer, faire la guerre)*. Scythis bellum inferre decrevit. Alicui vim, injuriam inferre *(faire violence, tort)*, periculum, calamitatem, infamiam, moram et impedimentum, plagam, mortem inferre.

Injicere alicui terrorem, formidinem, metum, *(inspirer)*; cogitationem, religionem *(scrupules)*.

Injungere civitatibus aeternam servitutem ; novum alicui laborem, onus, leges, tributum, delectus *(des levées)*.

Imponere aliquem jumento *(placer sur)* ; nomen, leges, servitutem civibus, rei finem, plagam alicui, summam manum operi ; modum alicui *(bornes)*, modum dolori.

Intercedere iniquitatibus magistratuum *(s'opposer)*.

Nasus quasi murus oculis *interjectus* esse videtur.

Proelio, spectaculo, convivio, sacrificio *interfuisse*.

Nox proelio *intervenit (la nuit survenant suspendit le combat)*.

Hiems aspera rebus gerendis intervenit.

Equitatui *interponit* praesidia levis armaturae. Se interponere audaciae alicujus *(s'opposer)* ; bello se interponere *(se mêler de)*.

Huic equites *opposuit (lui opposa sa cavalerie)*; se periculis ; Eumenem adversariis.

Sine causa se periculis *offerre*, consiliis nonnunquam *obstat* fortuna.

Porcis aut canibus cibum *objicere* ; offam Cerbero.

Exercitum tantae magnitudinis flumini objicere *(exposer l'armée à la traversée)*.

Se objecit telis hostium. Cratippus nobis *obrepit* senectus ; *(se glisser furtivement, surprendre)*. *Obversatur* aliquid oculis, animo *(avoir devant les yeux ; se présenter à la vue, à l'esprit)*.

Omnibus telis fortunae *proposita est* vita nostra.

Hannibalem Alexandro *postponere*. Omnes terras huic insulae.

Manlius *posthabuit* filii caritatem publicae utilitati.

Praefero vestram voluntatem meis omnibus commodis. Pecuniam amicitiae. *Praeficere* imperatorem bello *(mettre à la tête)*.

Aliquem provinciae, classi, exercitui praeficere.

Ut magistratibus leges, ita populo *praesunt* magistratus.

Praesidere ludis, spectaculis *(diriger)*.

Ova aliena gallinis *subjicere*, *supponere*. Ille solus genti *superfuit*.

Succumbere somno *(céder)*, numero, labori, dolore, tempori.

Saepe solent auro multa *subesse* mala. Subest silentio facinus *(le crime reste caché)*. Rei subest causa aliqua.

M. Quando pro Dativo praepositio repetenda esset, supra jam commemoravimus. — Dic latine : *Vous ne faites pas attention à notre discussion.*

R. Animum non attendis disputationi nostrae.

M. Non est illud quidem prorsus falsum, sed optima latinitas semper habet : Animum vel animos attendere *ad* aliquam rem, ad aliquem, vel sine *animum* : attendo aliquam rem, aliquem sine *ad*.

Attendo animum ad disputationem tuam vel ad te ;

Attendo disputationem tuam, attendo te.

Verbum *illudere (se moquer de qn.)* aeque cum Dativo ac cum Accusativo conjungitur ; *irridere* cum solo Accusativo.

4. De Accusativo.

M. Quae verba sua natura recipiunt Accusativum, Severe ?

S. Omnia verba transitiva, quae respondent interroga-

tioni *quem ? quid ?* v. g. Amo *patrem*. Interficiam *hostem*. *Praeterita* mutare non possumus. Deus *mundum* aedificavit. Luna varias lucis *mutationes* habet.

M. Converte istas sententias in passivum.

S. Pater *a me* amatur. Hostis *a me* interficietur.

M. Sunt verba, quae modo sint transitiva, modo intransitiva ; quae ?

S. Verba affectus et alia :

dolere, lugere, maerere, flere, gemere, lamentari v. g. mortem alicujus ; cur Cajus flet ?

Flet mortem patris.

queri, conqueri v. g. fortunas suas, injurias, omnia ;

horrere, reformidare v. g. crimen parricidii ;

fastidire v. g. preces alicujus (= repudiare), mores Macedonum.

Ridere stultitiam hominum, nostram amentiam.

Haec omnia carent passivo, *ridere* excepto :

Nihil magis ridetur. Stultitia tua ridetur. Illi ridentur *(on)*.

M. Profer etiam alia.

S. Verba : *olere, redolere, sapere, resipere, sitire.*

Flos, qui bene, male, jucunde *olet (exhaler une odeur, sentir).*

Unguentum *ceram olet (a l'odeur de, sent la cire).*

Vina dulces Camenae *olent (sentent le vin).*

Haec verba *olent militiam* ; haec verba *olent alumnum* urbis *(trahissent le nourrison de Rome).*

Unguentum *redolens (odorant, qui répand, exhale une odeur, qui sent.)*

Testa *redolet vinum ; redolet foetorem, redolet thymum (sent).*

Orationes, quae redolent antiquitatem ; doctrinam paene puerilem.

Aqua non *sapit (avoir du goût)*. Oleum male sapit.

Piscis, qui sapit mare *(qui a le goût de).*

Caro, quae aprum sapit ; crocum sapit.

Mustum *resipit* picem *(a le goût de la poix).*

Sanguinem nostrum *sitiebat (il avait soif de notre sang).*

Populus sitiens libertatem ; homo sitiens honores.

M. Quid significat : Olfacio vinum ?

S. *Percevoir l'odeur de, sentir, flairer* v. g.

Gustamus, *olfacimus*, tractamus, audimus, videmus.

Quamquam enim unus ex quinque sensibus est *odoratus*, tamen non dicimus *odorari*, quod plerumque sensum translatum habet, sed *olfacere* vel *sentire.*

M. Quid judicas de hac sententia : Filium meum desperare coepi ?

S. *Desperare (désespérer)* conjungi potest cum Accusativo rei ; rarissime conjungitur cum Accusativo personae v. g. *Despero pacem* vel *de pace*. Despero salutem. Salus desperanda est. Despero victoriam vel de victoria. *De filio meo* desperare coepi.

M. Suntne, Turibi, alia verba intransitiva, quae cum Accusativo conjungantur ?

T. Sunt vero, sed objectum ejusdem stirpis et significationis ac verbum esse necesse est ; praeterea nomini plerumque adjectivum vel pronomen aliquod additum esse invenimus. v. g. Mirum *somnium somniavi*. Justam *servitutem servimus*. Ruri *vitam vivit* jucundissimam.

Verissimum *jus jurandum juravi*. Longam *viam ire*. Hoc *bellum bellare*, gravem *pugnam* (proelium) *pugnare* ; alterius *gaudium gaudere* ; consimilem *ludum ludere* ; bonas *preces precari, risum* Sardonium *ridere* ; eundem *cursum currere* ; hac *pugna pugnata.*

M. Item verba intransitiva conjunguntur cum Accusativo pronominis vel adjectivi pronominalis generis neutrius ; affer exempla.

T. *Illud* tibi assentior (pro : de illa re tibi assentior).

Hoc laetor (pro : (de) hac re laetor). *Idem* glorior. *Utrumque* dubito. *Hoc unum* omnes student. *Illud* tibi gratulor.

Hoc, quod rogo, responde. Tu *idem* peccasti. *Utrumque* errasti. *Nihil* delector. *Nihil* differt. Hoc non laboro. Stomachor *omnia (je suis fâché de tout)*. *Aliquid* tibi succenseo.

Quidquid subveneris, nobis gratum erit. *Hoc* certe tempori non parcam *(en cela)*.

Ipsum, quod maneam in vita, peccare me existimo *(en cela même)*.

Consilium petis *quid* tibi sim auctor *(ce que je te conseille)*. Sapiens multum habet, *quod* gaudeat. Obligatus ei *nihil* eram.

Intelligo, *quid* erraveris.

M. Sunt multa praeterea verba intransitiva, quae copulata cum praepositionibus fiunt transitiva ; quae ?

T. Verba intransitiva movendi juncta cum praepositionibus :

circum, inter, per, praeter, trans, super, subter.

v. g. *Circumire* castra, *circumvenire* moenia exercitu ; aciem hostis; *circumvenire* multitudine. *Circumvehi* promontorium. Sequana *interfluit* urbem. *Percurrere* agrum Picenum. *Pervagari* omnes domos. Cupiditates et timores pervagantur mentes hominum.

Ripas flumina *praetereunt*. *Transire* Rhenum, saltum Pyrenaeum.

Transilire murum, fossam. *Transnatare* flumen. *Supergredi* limen. *Subterfugere* poenam, periculum *(échapper)*. *Transcendere* maceriam, Caucasum.

M. Licetne his verbis uti modo passivo ?

T. Certe licet, quia verba sunt vere transitiva v. g. *Circumventa est* urbs. Flumen pedibus *transiri* potest. Periculum *subterfugitur*.

M. Quomodo hanc sententiam explicas, Vincenti : Caesar exercitum Rhenum transportavit ?

V. Verba *trajicere, traducere, transportare* gemino conjunguntur cum Accusativo, quorum alter est objectum verbi, alter ex praepositione *trans* pendet.

Agesilaus *Hellespontum copias* trajecit. Hannibal nonaginta *millia* peditum *Iberum* transduxit. *Milites* navibus *flumen* transportavit. *Exercitum pontem* traduxit.

Licet tamen repetere *trans* praepositionem v. g. Copias *trans* Hellespontum *trajecit*. Exercitum *trans* Rhenum *transportavit*.

Passive dicimus : Ab Agesilao *Hellespontum copiae* trajectae sunt. A Caesare *exercitus Rhenum* transportatus est.

M. Neque tamen raro *trajicere* et *transmittere* sunt intransitiva v. g. trajecit in Africam ; transmisit fluvium ; trajecit Hellespontum. Quomodo hunc modum explicas ?

V. Objectum verbi est *se* (se trajecit, se transmisit), quod simul auditur. Caesar Rhenum trajecit. A Caesare Rhenus trajectus est.

Poeni Iberum transmittunt. A Poenis Iberus transmissus est.

Participia *transmissus, trajectus* et de flumine. et de homine dici possunt : amnis transmissus, amnis trajectus ; classis transmissa ;

Marius in Africam trajectus ; amne trajecto, transmisso.

M. Cavete dicatis : *Ubi* flumen transmisisti ? — Sed : *Ex quo loco, unde* ; *a Brundisio* vel *Brundisio*. *Inde* in Africam trajecimus.

Neque dicimus : *Ubi* navem conscendisti *(s'embarquer)* ? sed *unde, inde, ab eo loco*. Ab Ostia vel Ostia.

Estne haec sententia emendata : Exercitum Rhenum transduxit ?

V. Si, cum quaeritur : *Quo transducitur ? in* vel *ad* praepositionibus utimur, flumen vel mare aut in Ablativo collocatur, aut repetitur *trans* praepositio v. g. Exercitum *Pado* trajecit *Cremonam* ; exercitum transmisit *trans* Rhenum *in Germaniam*.

Romanae naves vacuo ab hostibus *mari Samum* trajecerunt.
Exercitum *Hellesponto* trajicere *in Italiam*.

M. Multa verba copulata cum praepositionibus *ad*, *cum*, *in*, si sensu translato accipiuntur, fiunt transitiva ; Ambrosi, affer exempla.

A. *Adire (visiter)* consulem, urbes, terras, oracula, deos, libros Sibyllinos (*consulter*) ; pericula, labores (= suscipere).

Societatem cum aliquo *coire (former une société avec qn.)* Item : *inire* societatem ; inire magistratum, proelium, consilium, rationem.

Obire terras, maria, oras *(visiter)*, res suas, negotium (= curare), diem supremum *(mourir)*.

Subire labores, invidiam, poenam, dolorem.

Aggredi (adoriri) hostem ; ad disputationem, ad dicendum, ad crimen *(entrer dans la discussion ; entrer en matière)*.

Intrare domum, urbem, castra (raro : *in* urbem, in castra).

Ingredi iter, orationem *(commencer)* ; *convenire* medicum *(consulter)*.

Anteire, antecedere aliquem (alicui = *surpasser)* ; *praecedere* aliquem aliqua re.
Antecellere, excellere, praestare (surpasser) cum Dativo ; excellere ceteris, omnibus (semper cum Dativo pluralis) ; excellere, praestare *inter*.
Inter omnes, inter suos excellit, praestat ; praeter ceteros florebat.

Excedere, egredi, exire (ex vel solus Ablativus) v. g. ex pugna, e vita vel vita ; egredi e portu ; exire domo, e vita.

M. Pro : *excedere modum, fidem*, Cicero ait : *transire* modum, extra modum prodire ; transire fines verecundiae.

Cavete Perfecto utamini *excellui*, quod nusquam invenitur nisi apud Gellium, qui duobus fere saeculis post Ciceronem fuit. Cicero autem ceterique optimi scriptores pro *excelluit* utuntur : *floruit, viguit, eminuit, praestitit* v. g. floruit gratia et auctoritate, acumine ingenii, fama, justitia. = Inter omnes eminuit ; in academia viguit ; eloquentia praestitit.
Animum praeterea intendite ad : excellere *in* aliqua arte v. g. in musica, in re militari, in arte gymnastica.

Sed : excellere virtute, fortitudine, viribus corporis.

Cum agitur de comparatione, *excellere* et *antecellere* conjunguntur cum Dativo personae v. g. Demosthenes eloquentia *omnibus aequalibus* excellit. Vir justitia *omnibus* excellens vel : vir justitia *inter (praeter)* omnes excellens.

Praecedere sensu proprio non invenitur nisi apud Livium et alios aetate posteriores. Cicero autem utitur *antecedere, antegredi, praecurrere* v. g. Stellae antegrediuntur solem. Causae antegressae. Antecedere agmen, gregem. Praecurrentia signa etc.

Praestat (= melius est), ut alias vidimus, conjungitur cum Infinitivo v. g. Praestat mori, praestat tacere ; nunquam vero : Praestat, *ut* moriamur, *ut* taceamus. Emendatum tamen est : Praestat *nobis* mori etc.
Converte in latinum : *Qui a jamais égalé l'audace de Catilina ?*

A. Quis unquam *aequavit* audaciam Catilinae : vel Catilinam audacia.

Pariter cum Accusativo conjunguntur haec verba :

Nemo Ciceronem aequiparat eloquentia *(égaler)*.

Vires me *deficiunt*. Me vox, latera, tempus deficiat, si haec omnia enumerare velim. Hostem tela deficiunt. Me solatia deficiunt.

Fortes fortuna *juvat* (adjuvat).

Gloria virtutem tamquam umbra *sequitur*.

Sermonem et aditum alicujus *fugere* ; *defugere* creditores, societatem bonorum.

Effugere invidiam, periculum, vituperationes, mortem.
Sectari philosophum. *Imitari* chirographum alicujus.
Aliquem *aemulari* ; instituta, studia ejus, virtutes, exempla.
Adulari principes. Velocitatem equi *aequiparare*.
Diem *subsequitur* nox. *Ulcisci* inimicos, mortem patris.
At : *obsequi* alicujus *voluntati* ; fortunae, tempestati.

M. Quae verba praeterea recipiunt Accusativum, Corneli ?

C. Verba impersonalia :

me *fallit, fugit, praeterit, decet, dedecet,* quorum illa tria significant *immemor sum,* haec duo *mihi convenit, non convenit, mihi decori, dedecori est.*

v. g. *Me non fallit* deos a te contemni. *Me fallit (échapper),* quis hoc dixerit. *Hominem rudem* fortasse hoc *fugiat. Neminem* haec utilitas *fugit.* Nihil hujus viri *scientiam fugit.* De Dionysio *me fugit* ad te antea scribere *(j'ai oublié).* Nihil *Parmenonem praeterit.* Hoc *decet quemque.* Illud alterum quam sit difficile *te non fugit. Non me praeterit* de hac re longius prolapsum esse. Nec dubitamus, quin multa sint, quae et *nos praeterierint. Non decet oratorem* irasci, simulare non *dedecet.*
Parvum parva *decent. Miseros* convicia *non decent.*
Candida pax *homines,* trux *decet* ira *feras.*

M. Estne hoc emendatum : Me fefelli in illa opinione (spe, exspectatione — *je me suis trompé)* ?

C. Non est latinum. Veteres scriptores, cum de ejusmodi abstractis agitur, semper habent : Opinio (spes, exspectatio) illa me (vel patrem) fefellit ; aut :
Opinionem (spem, exspectationem) meam vel patris fefelli.

Idem valet, cum pronomen vel adjectivum neutrum, vel *res,* quod pronominis vicem praestat, objectum est erroris. Falsum est igitur : in hoc, in hac re, in omnibus me fallo ; sed : hoc, nihil, omnia me fallunt.
Haec est Roma, nisi omnia me fallunt ; nisi fallor ; nisi animus me fallit ; nisi me fallo. Ratio constat, nisi quid me fefellerit.

Si contra objectum est substantivum concretum, licet dicere : fallere aliquem et fallere in aliqua re.

v. g. Tempus me fallit, dies, res me fallit *(je me trompe).* Nulla in re falsus sum. In amicis eligendis se fefellit.

M. Inveni : Causa *me latet* ; nihil Deum latet. Estne hoc latinum ?

C. Bona latinitas verbum *latere* nunquam conjungit cum objecto.
Dicendum est igitur : *Causa latet (on ignore la cause)* ; me fugit causa ; nihil Deum fugit. (Res) latet *(on ignore la chose ; c'est un secret).*

M. Quae verba geminum Accusativum admittunt, Faustine ?

F. Aliquem aliquid appellare, nominare, dicere, vocare :

Aliquem aliquid putare, habere, existimare, ducere, arbitrari, judicare.

Aliquem aliquid dare, addere, adjungere, sumere, adsumere.

Aliquem facere aliquid, efficere, reddere, creare, designare, declarare, renuntiare, eligere ;
se aliquid praebere, praestare.

Passive eadem verba cum gemino conjunguntur Nominativo.

Summum consilium majores nostri appellarunt *senatum.*
Ciceronem universus populus *consulem* declaravit.
Iram Ennius dixit *initium* insaniae.
Cato *Siciliam* nominavit *nutricem* plebis Romanae.
Hamilcarem imperatorem fecerunt. Euphrates *Mesopotamiam fertilem* efficit. *Sapientem beatum* habemus. Stoici *nihil* praeter *virtutem* expetendum putant. Pericles habuit *collegam* in praetura *Sophoclen.* Nesciebant *quem* sibi *imperato-*

rem sumerent. Lacedaemonii regibus suis *augurem assessorem* dederunt. *Homines caecos* reddit cupiditas et avaritia. *Philippum ducem* eligunt. Omnes fere civitates Graeciae *Athenienses duces* delegerunt sibi. Agesilaus *templa* deorum *sancta* habebat. Socrates totius mundi *se incolam* et *civem* arbitrabatur. Cicero *se* praestitit acerrimum *propugnatorem* communis libertatis. Volo pro acceptis beneficiis *gratum te* praebeas ; *bonum, cautum.*

M. Estne hoc emendatum : Cajus se praestitit crudelem, mendacem, fallacem ?

F. Ut jam ante diximus, *se praestare* non admittit nisi adjectiva, quae verum virum significent v. g. Praesta te *fortem, fidelem, clementem, amicum, defensorem* patriae. — Sed : Bene, modeste, superbe *se gerere.*

M.Quid tibi videtur de hac sententia : Virtus beatum te faciet ?

F. Romani cum adjectivo plerumque conjungunt verbum *reddere*, non *facere.*
Virtus *beatum te reddet* ; felicem, hebetem, mansuetum, meliorem reddere ; iter tutum, domum nudam atque inanem reddere.

Sed semper aliquem *certiorem facere.* Et passive : Beatus fieri.

M. Estne hoc emendatum : Quid per virtutem intelligis *(qu'entendez-vous par)* ?

F. Minime vero. Verba *intelligere, significare, dicere, vocare, appellare, interpretari (entendre par)* requirunt geminum Accusativum v. g. *Quem* intelligimus divitem ? *Rusticos* intelligimus eos, qui... *Illud* intelligi hanc rem volo. Non intelligimus *quam* dicatis voluptatem. *Stultos senes significo* credulos.
Non habeo *(je ne sais pas), quod* intelligam *bonum illud.* Liquet, *quos* dicam bonos.

Licet etiam dicere v. g. Huic verbo, cum *beatum* dicimus,

subjecta est haec notio. Quae res huic voci subjicitur ?
In hoc verbo inest notio.

Neque emendatum est : Hoc per se intelligitur; sed *ex se* intelligitur.

M. Estne hoc latinum : *In* Cajo cognovi verum amicum ; *in* eo inveni familiarissimum meum. *In* hoc vino nihil peculiare invenio ?

F. Et haec verba *(cognoscere, invenire, reperire)* requirunt geminum Accusativum et passive geminum Nominativum: Cajum cognovi verum amicum; eum inveni familiarissimum meum. Hoc vinum peculiare non invenio.
At : Cognoscere aliquem v. g. ex voce, e facie vel voce, facie.

M. Quid interest inter : Tua fama agitur ; et : *De* tua fama agitur ?

F. Illud significat : Tua fama in discrimine versatur, in periculo est *(être en question, en jeu)* ; hoc : Quaeritur de tua fama *(on parle de, il s'agit de)* v. g. Agitur populi Romani gloria *(est en jeu).*
Agitur salus sociorum. Tua res agitur *(ton intérêt est en jeu.)*
Aguntur certissima populi Romani vectigalia.
Aguntur bona multorum. Agitur pars tertia mundi.

Sed : Qua de re agitur ? Agitur de vectigalibus *(il est question de).* Actum jam de isto est *(il ne s'agit plus de).* Agitur de salute civium *(il s'agit de).*

M. Licetne dicere : Hic liber agit de re militari ?

F. Quis veterum unquam ita dixerit ? Latinum est : Hic liber est de re militari ; in hoc libro tractatur res militaris; in hoc libro disseritur vel disputatur de re militari.
Admitti tamen potest : in hoc libro agitur de re militari.

M. Quid significat : bene, praeclare, optime, male, pessime mecum agitur vel actum est ?

F. Gallice : *Je suis heureux* ; *je suis malheureux* ; *je vais bien mal.*

M. Putasne, Libori, hanc sententiam esse emendatam : Catilina juventuti mala facinora edocebat ?

L. Nequaquam ; verba enim *docere, edocere, celare* item de iis sunt, quae geminum Accusativum recipiant. Ergo : Catilina *juventutem* mala *facinora* edocebat.

Docere *pueros litteras*, elementa, omnes artes. Fortuna *victos* quoque *artem belli* docet.

Sententia autem : Magister puerum docet grammaticam, passive declaranda, fit : Puer a magistro *grammaticam* docetur.

Melius tamen est dicere : Puer a magistro *discit* grammaticam, vel : Puer a magistro instituitur (imbuitur, docetur) grammaticâ.

Cajus iter suum *omnes* celat. *Matrem* mortem filii celant.

M. Quid significat : Caesar senatum *de* consilio ipsius celavit ?

L. Senatum in ignorantia tenebat. Ceterum passivum *celari*, pronomine neutro excepto semper fere cum *de* praepositione conjungitur v. g.

Debes existimare te maximis *de* rebus a fratre esse celatum. Non est profecto *de* illo veneno celata mater. Pater diu celatus est *de* morte filii. Cur nos *hoc* celati sumus ?

M. Estne hoc emendatum : Quis te natare docuit ?

L. Est vero, namque *docere* cum Infinitivo conjungi potest : docere aliquem rapere, tacere, pugnare, etc.

M. Quid de hac sententia existimas : Apollo me docuit lyram ? Ab Apolline didici lyram ?

L. Falsa est : namque organa musica collocanda sunt in Ablativo, cum simul audiatur verbum *canere*. Ergo : Apollo me docuit lyrâ (scil. canere).

M. Quid significat *canere* ?

L. Sonum aliquem creare sive voce sive instrumento aliquo.

Qua voce canis ? Voce summa, alta, gravi, gravissima, ima, media

Quo organo (instrumento) canis *(quel instrument jouez-vous)* ?

Tibia cano, calamo pastorali, tuba, organo, clavicordio, tympano, cymbalo, fidibus (viola), lyra, cithara, harpa, etc.

Socrates docuit fidibus (canere). Nos discimus tuba (canere).

Ego disco clavicordio. Quis te docuit harpâ ? Quam multis instrumentis didicisti ? A Cajo cithara et tibia docendum me curavi *(j'ai pris des leçons de)*. Multi pueri fidibus ab eo discunt.

M. Corrige : Quaeritur vir *doctus in re militari.*

L. Quaeritur vir *doctus rem militarem* vel *re militari.*

Eodem modo : Vir graecis vel latinis litteris doctus ; vir latine, graece loqui doctus ; vir latine, graece doctus. Nemo doctus.

M. Licetne dicere : Tempora vel saecula docta ?

L. Praestat rebus adjectivum *eruditus* adjungere v. g. Oratio erudita ; disputationes eruditae, tempora erudita ; vita litterata.

Pro : antiquitas docta : antiquae litterae.

Sunt tamen, qui dicant : liber doctissimus, sermo doctissimus.

M. Quid significat : Caesar legatum *de* adventu hostium docet ?

L. Docere et edocere aliquem *de* aliqua re idem est quod : certiorem aliquem facere de aliqua re. Edocere senatum de morte proconsulis.

M. Restantne alia verba cum Accusativo conjungenda, Probe ?

P. Poscere, reposcere, flagitare aliquem aliquid (sed etiam ab aliquo ; *postulare* semper *ab* aliquo).

Quotidie Caesar *Aeduos frumentum* flagitabat. *Verrem simulacrum* Cereris et Victoriae reposcebant. In amicitia nihil nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit.

M. Estne hoc emendatum : Veniam te oro, vel rogo ?

P. Verba *oro* et *rogo* praeter Accusativum personae non admittunt nisi Accusativum pronominis neutrius ; secus recipiunt *ut* vel *ne*. Ergo : *Te oro,* ut mihi ignoscas. Nihil *aliud vos* rogo.
Illud unum te rogo. *Petere* semper : aliquid ab aliquo.

Precari autem ad Deum se refert : aliquem vel ab aliquo aliquid vel *ut, ne.*

M. Quid significat : Hostem petere ?

P. Irruere in hostem, aggredi hostem. Restant verba *interrogare, rogare,* quae praeter Accusativum pronominis neutrius non admittant nisi *de* aliqua re v. g.
Socrates eum interrogat de dimensione quadrati.

M. Quid de *percontari, quaerere, sciscitari* ?

P. *Percontari,* quod significat interrogare cum otio et diligentia *(s'informer) aliquem de* aliqua re vel *aliquid ex* aliquo v. g. Solebat *ex me* Dejotarus *percontari* nostri augurii disciplinam. Ego illum *de* suo regno, ille me de nostra republica percontatus est.

Sciscitari, quod significat iterum atque saepius et studiose interrogare, *ab (de, ex)* aliquo aliquid v. g. Sciscitabatur *ex* servis, quot homines armati intus essent. *De* unoquoque nostrum sciscitantur, quid quisque senserit.

Quaerere, quod idem fere significat quod *rogare,* sed rogare diligenter, aliquid *ab, de, ex* aliquo. Alius ex alio causam tumultus quaerit.
Eadem Caesar secreto ab aliis quaerit.
De te ipso, Vatini, quaero, utrum verum sit an non.

M. Quid interest inter quaerere patrem et quaerere ex patre ?

P. Qui vult reperire aliquid, id quaerit ; qui scire vult aliquid, id ex aliquo quaerit.

M. Quid interest inter poscere et postulare ?

P. Qui poscit, jus suum usurpat v. g. mercator mercis venditae poscit pretium. Quantum poscit ? Simulacrum ablatum reposcere, rationem reposcere.

Qui vero suo jure poscere non potest, *postulat* v. g. Ut sibi ignoscam, postulat. Ut eum in societatem nostram assumamus, postulat.
Sibi diem deliberandi postulare.

Sed : tempus, res, etc. postulat vel poscit.

M. Accusativo praeterea significantur quaedam exclamationes ; Semproni, affer exempla.

S. O beatum hominem ! Heu me miserum ! Heu me perditum ! O fallacem hominum spem ! Me caecum ! Me stultum !

Si vero aliquem alloquimur, Vocativo est locus v. g.
O dii immortales ! O fortunate adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris !
Item : *Pro* sancte Juppiter ! — Cum vero sequitur *fides* :
Pro deum hominumque *fidem* !
Interjectiones *vae* et *hei* conjunguntur cum Dativo ; *heu* cum Accusativo : heu me miserum !
Vae victis ! hei mihi ! vae misero mihi, vae illi, vae tergo meo !

M. Utrum melius est : Ecce *tabellarium* an : Ecce *tabellarius* ?

S. Cicero non utitur nisi Nominativo : Ecce tabellarius ; ecce tuae litterae ; ecce tibi nuncius. Ecce nova turba atque rixa ! Idem valet in *en* interjectionem.

M. Quid significat *en* ?

S. Idem quod *ecce* : *voici, voilà.* En liber tuus. En causa, cur. En dextra fidesque. En hic ille est. Ecce adest. En ego vester Ascanius.

En, cui tu liberos committas.

M. Nolite dicere : Ecce *vero* ; apud latinitatis auctores semper inveniatis :

Ecce *autem*, *sed* ecce v. g. Cicero : Sed ecce in manibus vir praestantissimo ingenio. Ecce autem hic adest senex noster.

Quid est *Accusativus Graecus* (absolutus, adverbialis) ?

S. Ille, qui more Graecorum in locum Ablativi limitationis vel relationis substituitur v. g. pro *clari genere* : clari *genus*. — Accusativus Graecus haud raro invenitur apud poetas et scriptores argenteae, quam vocant, aetatis idque plerumque cum verbo passivo conjunctus v. g. Dexterum *genu* lapide *ictus* ; adversum *femur* tragula graviter ictus ; *membra* sub arbusto *stratus* ; redimitus *tempora* laureo ; nube candentes *humeros* amictus ; miles fractus *membra* labore, longam indutus *vestem*. Utrumque *brachium* consauciatus. Feminae Germanorum nudae *brachia* et *lacertos*. *Os humerosque* deo similis (*).

M. At etiam in optima prosa oratione, quamquam minus saepe, hic Accusativus invenitur v. g. *magnam*, *maximam partem* pro *magna*, *maxima ex parte*. Magnam partem ex jambis constat nostra oratio. *Maximam partem* ad injuriam faciendam aggredientur. *Maximam partem* piscibus vivunt.

Item pro *ceteris* : *cetera et reliqua* v. g. Proximum regnum, *cetera* egregium, ab una parte haud satis prosperum fuit. *Cetera* bonus, cetera laetus, cetera similis.

Id temporis, *id (hoc, idem)* aetatis, pro *eo tempore, ea aetate*. v. g.

Purgavit se quod *id temporis* venisset. Quid *hoc noctis* venis ?

(*) Confer : Edoctus artes. Sententiam interrogatus.

Non potuit honeste scribere in balneis se cum *id aetatis* filio fuisse *(avec un fils de cet âge)*.

Cum ceteris *idem aetatis* nobilibus. *Id temporis* ubique terrarum pax erat. Epistolam aut aliquid *id genus* scripsi. Homines *id aetatis* tyrannicam crudelitatem non patiuntur. Saepissime invenitur Accusativus pronominis et adjectivi neutrius cum verbis intransitivis, ut jam ante ostendimus v. g. id, hoc, illud, omnia, multa gaudeo, irascor, pro : *de hoc* etc. gaudeo.

Quomodo designetur rerum spatium et dimensio.

M. Cum quaeritur de longitudine, latitudine, altitudine, crassitudine alicujus rei, mensura significatur Accusativo (adverbiali).

Affer, Tiberi, exempla.

T. Arabes gladios habebant *longos quaterna cubita*.

Milites aggerem *latum pedes trecentos*, *altum pedes octoginta* exstruxerunt. Campus Marathon ab Athenis *decem millia* passuum abest. Antiochus fossam *sex cubita altam*, *duodecim latam* duxit. Tigna conjunxerunt *binos pedes crassa*.

Ne *digitum* quidem discedere a recta conscientia.

M. Dixisti : Tigna binos pedes *crassa*, quod apud veteres scriptores vix invenies, qui pro *crassus* et *magnus* semper dicunt *crassitudine*, *magnitudine* cum Genitivo. Ergo tigna *binum pedum crassitudine*.

Clavi ferrei *pollicis crassitudine*. Saxum *sex pedum magnitudine*.

Quomodo intervallum vel spatium describitur ?

T. Cum verbis *distare* et *abesse* mensura intervalli aut Accusativo aut Ablativo significatur.

Ipsa autem verba *spatium* et *intervallum* semper inveniuntur in Ablativo mensurae.

Teanum abest a Larino duodeviginiti *millibus* passuum.

Certior factus est Caesar Ariovisti copias a Romanis *millibus* passuum quatuor et viginti abesse. A Labieno non longius *bidui via* hostes aberant. Turres *pedes* octoginta inter se distabant.
Ancus Martius apud ostium Tiberis civitatem *sexto decimo milliario* ab urbe condidit. Ariovistus *millibus* passuum *sex* a Caesaris castris consedit.
Quindecim ferme millium *spatio* castra ab Tarento posuit.

M. Quid, si locus a quo computatur intervallum auditur tantum, non nominatur ?

T. *A* praepositio numero praeponitur v. g. *a* millibus passuum duobus castra posuerunt *(deux milles de là)*.
A quingentis fere passibus castra posuit.
Non jam *a* tertio lapide (= ex intervallo trium millium), sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat.

Quomodo designetur locus.

M. Quod ad locum attinet, haec tria quaeri possunt : *Ubi* ? *quo* ? *unde* ? Quid ad haec tria respondes, Aemiliane?

A. Adverbio *ubi* ? respondet *in* cum Ablativo ; adverbio *quo* ? *in* cum Accusativo ; adverbio *unde*, *ex* cum Ablativo v. g. Ubi est mater ? In horto. Quo proficiscitur pater ? In Galliam. Unde venit Cajus ? *Ex* silva.

Idem valet in nomina propria terrarum et maiorum insularum ut Britanniae, Cretae, Euboeae, Sardiniae, Siciliae.

M. Quae est ratio nominum urbium ?

A. Cum de urbibus agitur, praepositio omnino praetermittitur.
Idem valet in minores insulas.

Itaque cum quaeritur *quo* ? respondet solus Accusativus nominis proprii ;
cum quaeritur *unde* ? solus Ablativus ;
cum quaeritur *ubi* ? singularia primae et secundae declina-

tionis recipiunt Genitivum, pluralia Ablativum v. g.
Quo vadis ? Romam, Athenas, Carthaginem, Delum.
Unde venis ? Roma, Athenis, Carthagine, Delo, Corintho.
Ubi fuisti ? Romae, Athenis, Carthagine, Deli, Corinthi.
Ut *Romae* consules, sic *Carthagine* quotannis bini reges creabantur.
Dionysius tyrannus *Syracusis* expulsus *Corinthi* pueros docebat.
Syracusis est fons, cui nomen est Arethusa.
Curius primus *Romam* quatuor elephantos duxit.
Lacedaemone fuit honestissimum domicilium senectutis.
Conon plurimum *Cypri* vixit, Timotheus *Lesbi*.
Latona *Delum* confugit, Demaratus *Corintho Tarquinios*.

M. Licetne igitur dicere : *Totius Romae* ne gutta quidem aqua fuit ?

A. Deus prohibeat. Cum enim nomen proprium urbis conjunctum est cum quibusdam adjectivis vel cum pronomine vel *totus*, interrogationi *ubi* ? respondet Ablativus solus vel *in* cum Ablativo. Ergo : Tota (in tota) Roma : tota Corintho ; totis Athenis ; Athenis tuis ; Alba longa ; Carthagine nova ; ipsa Bononia.

M. Hoc igitur emendatum esse videtur : Roma *vicina* magni facti sunt tumultus ?

A. Non est profecto ; si enim ejusmodi adjectiva non sunt propria, ut Alba *longa*, Carthago *nova*, etc. in appositionem mutantur.
Ex *Roma vicina (opulenta, bellicosa)*, etc. fit : *Romae, urbe vicina*, magni facti sunt tumultus, quod idem valet in : *oppidum, civitas*.
Syracusas, in urbem opulentam, me contuli. Syracusis, ex opulenta urbe, in Graeciam confugit.
Archias Antiochiae natus est, celebri urbe et copiosa.
Albae constiterunt, in urbe opportuna.

M. Cum vocabula *urbs*, *oppidum*, *municipium*, *colonia*,

locus, etc. apponuntur nominibus urbium, plerumque cum praepositione *in*, *ex* conjuncta inveniuntur ; si vero cum praepositione antecedunt, nomen proprium urbis praepositioni se accommodat.

Affer, Claudi, exempla.

C. Demaratus Tarquinios confugit, *in urbem* Etruriae florentissimam.

In urbem Romam venit. *Ex urbe Corintho* discessit. *In oppido* Cittio mortuus est. Neapoli, *in* celeberrimo oppido.

Consul in oppidum Cirtam pervenit. Vercingetorix ex oppido Gergovia expulsus est.

M. Quid significat *ad* nominibus urbium praepositum ?

C. Significare potest aut idem quod *versus*, aut viciniam urbis v. g.

Tres viae sunt *ad* Mutinam.Iter dirigere *ad* Brundisium. Pugna *ad* Canas. Caesar pontem qui erat *ad* Genevam, jubet rescindi.

Marius *ad* Zamam pervenit. *Ad* Syracusas profectus est.

M. Quid significat *ab*, quod nonnunquam nominibus urbium praepositum invenimus ?

C. Significat loca urbis vicina v. g. Libo discedit *a* Brundisio.

Caesar *a* Gergovia discessit.

M. Sunt alia quaedam vocabula, quae eadem ac nomina urbium sequuntur praecepta. Quae ?

C. *Domus, rus, humus*. Domi, domum, domo. Ruri, rus, rure. Humi, humo

v. g. *Domi* sedere ; *domum* redire ; *domo* venire.

Ruri degere ; *rus* se conferre ; *rure* reverti in urbem.

Humi jacere ; *humi* prosternere aliquem ; *humo* tollere aliquid.

M. Quid, si *domus* conjunctum est cum adjectivo ?

C. Quod cum ita est, praepositiones *in* et *ex* locum suum vindicant v. g. Se proripere *ex* domo ruinosa ; *in* domum regiam intrare. Cicero *in* domo paterna educatus est.

Cum *domus* vero conjunctum est cum pronomine possessivo, cum adjectivo *alienus* vel cum nomine possessoris, aut cum Genitivo, Accusativo, Ablativo, ut paulo ante diximus, aut praepositionibus *in* et *ex* uti licet v. g. Illo die *domi meae* (tuae, vestrae, nostrae) fuit. Contionem habuimus *domi Caesaris*. *Domi alienae* pernoctare. *Domo Ciceronis* exire. *In domum Pisonis* convenire. *In domo tua*.

Mortuos domi servant. Manlius ruri habitabat.

In domo privata. Domos invitant *(dans leurs maisons)*.

Eundem vultum domum referebat, quem domo extulerat.

Olim domi militiaeque boni mores colebantur.Vir domi belique fortissimus.

M. Quid significat *humi* ?

C. Idem respondet interrogationi *ubi* et *quo* v. g. humi jacet ; humi eum prostravi. Nunquam conjungitur cum adjectivo v. g. humi nudae dormire.

M. Estne hoc emendatum : De domo ad domum mendicare ?

C. Ista est latinitas hujus aetatis. Sermo purus et latinus semper habet : Stipem *ostiatim* cogere. Circa domos stipem rogare.

M. Quid interest inter : Iuventus *rusticana* et *rustica* ?

C. Illud significat : Iuventus nata vel degens ruri ; hoc significat *agrestis, rudis*.

M. Estne hoc emendatum : *Quo* posuistis corpus ejus ?

C. Non est,sunt enim quaedam verba latina, quae interrogationi *ubi* pro *quo* respondeant. *Ubi* posuistis corpus ejus ? Responsum est : *hic, ibi, istic, illic*.

M. Pie, dic aliquot ejusmodi verba.

P. *Ponere* v. g. Pedem ubi ponat in regno suo non habet.

Donum ex auro in aede Jovis posuit. Vas ponere in mensa.

Statuere : Signum in foro ; equum in vado.

Constituere : Arma in templo ; legiones in acie.

Consistere : *(se placer)* in muro.

Considere : In pratulo propter Platonis statuam ; in molli herba.

Locare : Homines in amplissimo gradu dignitatis.
Omnem operam, curam, industriam in Milonis magistratu.

Collocare : aliquem in cubili, in tuto, in navi ; tabernaculum sibi in campo Martio.
Adolescentiam in voluptatibus collocare.

Figere : Mucronem in cive ; aliquem in cruce.

Defigere : Clavum in arbore, crucem in campo, sicam in corpore.

Insculpere, inscribere, incidere : in basi statuae. Incidere nomina in tabula (sed etiam : in aes, in tabulas).
Insculpere, inscribere aliquid in animo.

Imprimere : sigillum in cera ; in animis imprimere.

Numerare : in primis ; voluptatem in bonis ; facta in gloria.

Habere : in numero oratorum ; in suis ; in numero suorum ; in turpissimis rebus ; in servorum, in hostium numero ; in summis ducibus, in inimicis.

Ducere, putare : in hostium numero, aliquid in malis, in gloria.

Sed : aliquid *pro nihilo* ducere, putare.

M. Sunt alia praeterea verba, quae respondeant *quo* quaestioni ; quae ?

P. *Advenire* v. g. Athenis Megaram ; in provinciam, (in) domum, ad me, in urbem.
Item : *Adventus* in urbem, ad Ciceronem, Romam.

Pervenire : in Asiam,in senatum, Romam, ad aures meas, in invidiam, in odium, in amicitiam alicujus ; huc ubi perventum est.

Convenire : in unum locum ; in domum Calvini, Romam,

Pisas, in senatum convenimus ; ad Caesarem ; ad ripam; in consilium frequentes. Legati ad Caesarem (nunquam *apud)* gratulatum convenerunt.

Coire : in porticum Liviae ; in locum ; *coitio* Romam, in locum.

Confluere, concurrere : Romam ; eo ; concursus in forum.
Ex proximis castellis eo concursum est.

Cogere, contrahere : copias,exercitum in provinciam ; in unum locum ; senatum in curiam.

Congregare : dispersos homines in unum locum ; in basilicam ; congregantur in fanum ; ad Caesarem.
Sed : in basilica, in fano, in academia *congregati,* quia actio congregandi jam ad finem est adducta.

Nunciare : in urbem ; Romam, Athenas, domum.

M. Quae verba recipiunt *ad* praepositionem ?

P. *Devertere* : *(descendre, aller loger)* ad aliquem, ad hospitem ; ad (in) cauponam, domum vel in domum alicujus ; ad villam. Ad quem devertisti ? Romam deverti ad Caesarem. Devertemus ad Agnum Aureum *(nous descendrons à l'auberge de)*.

Appelli : Navis appellitur ad villam ; Athenas appelli ; eo appulsi sunt.

M. Verba haec omnia motionem significant, quam ob rem quaerimus *quo,* cui respondemus : *eo, eodem,huc, istuc, illuc* v. g. Quo convenistis, quo congregati estis, quo rem nunciasti ?
Eo, huc, illuc convenimus ; huc devertimus, quo devertistis ?

Hoc etiam advertite : *In urbe* convenimus *in domum* privatam.
Romae convenimus *in templum* Jovis. *Athenis* convenimus *ad Isocratem.*

De tempore designando.

M. Cum quaeritur *quando* factum sit aliquid, quo casu nominis utimur, Sulpici ?

S. Ablativo sine praepositione v. g. Profectus est *nocte, vespere, hieme, priore anno, hora tertia, quarta vigilia.*

M. Si quaeritur *quamdiu* aliquid fuerit ?

S. Nomen, quod significat tempus, collocatur in solo Accusativo v. g. Romulus *septem et triginta annos* regnavit. Quaedam bestiolae *unum diem* vivunt. Urbs *decem annos* oppugnata est. Pericles *quadraginta annos* praefuit Athenis. *Annum jam tertium* et *vicesimum* regnat. Cogitationem sobrii hominis *punctum* temporis suscipe *(un moment).*

M. Licetne dicere : *per* decem annos ?

S. Certe licet, quippe cum multa ejusmodi inveniamus exempla.

Dies festus Dianae *per triduum* agitur. Luscinia *per totam* fere *noctem* cantat. Hannibal *per annos sedecim* variis cladibus Italiam fatigavit. Ludi *decem per dies* facti sunt. Incendium *per duas noctes* tenuit. Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam *per hosce annos* ?

Sed dicimus : Bellum *triginta annorum.* Supplicatio *quindecim dierum* decreta est. Caesar tamen : Supplicatio 15 dies decreta est.

M. Interrogamus praeterea *quamdiu* aliquis sit *natus.* Affer exempla.

S. Alexander *triginta tres annos natus* vita excessit. Soror mea quindecim annos est nata *(âgée de).* Ille decem annos natus jam versus fecit. Dionysius quinque et viginti annos natus dominatum occupavit. Quot annos es natus ?

M. Quo alio modo aetas hominis declarari potest ?

S. Substantivis *puer, adolescens, senex* cum Genitivo temporis v. g. *Puer decem annorum* jam versus fecit. Adolescens sedecim annorum jam interfuit proelio ad Trebiam.

Senex septuaginta annorum mortuus est.

Aetas praeterea declarari potest verbo *agere* conjuncto cum ordinali aliquo v.g. *Vicesimum annum ago.* Qui sextum et octogesimum annum agens causam dixit *(qui dans sa).*

M. Quomodo aetas inter binos vel plures comparatur ?

S. Locutionibus : *major natu (major annis),* vel *minor natu (minor annis)* v. g. Frater meus major natu est, quam ego. Soror mea minor natu (minor annis) est, quam ego. Tu non multo, haud multo, paullo, aliquanto, tribus annis maior vel minor es natu, quam ego.

Cajus major, quam octo annos natus est. Vel : Cajus major octo annis natus. Sempronia minor (quam) octo annos (minor octo annis) nata est. Accedant pueri majores natu (vel annis) ; minores natu recedant. Julius est parvus natu, avia ejus grandis natu.

M. Quando *natu* omitti potest ?

S. Cum de consanguineis i. e. de filiis, fratribus, sororibus agitur, aut anni declarantur, quibus aliquis maior vel minor est v. g. Filius major, filia minima ; frater minor, soror maxima.

Maximus natu e filiis tribus annis major est, quam soror maxima.

M. Quomodo res se habet, cum quaeritur *quamdiu ante, quamdiu post,* Auguste ?

A. Istud Ablativo mensurae declaratur cum adverbiis *ante* vel *post,* quae Ablativum sequuntur v. g. Judices, qui *multis saeculis post* de te judicabunt.

Themistocles fecit idem, quod *viginti annis ante* fecerat Coriolanus.

Falsum est igitur : *multos annos ante (post) proelium* Canense.

Paucos annos ante (post) Virgilii mortem. Aliquot annos post Sardes captas.—Latine praeterea dicimus : paulo ante (post); anno post ; biduo post ; paucis diebus post (ante).

Ablativo tamen et Accusativo *uti licet*, cum *ante* et *post* inter substantivum et numerale interponuntur v. g.
Tribus post *annis* decessit. *Tres* post *annos* decessit.
Tertium post *annum* decessit. *Tertio* post *anno* decessit.
Item : *Post tres dies* decessit. *Post tertium diem* decessit. (Praepositio).

M. Proter aliquot adverbia, quae plerumque cum *ante* et *post* jungantur.

A. Ante *multo, multo* ante, *longe* ante, *aliquanto* ante, *paullo* ante. *Paullo* post, post *paullo, multo* post, post *multo*; neque ita *multo* post ; post non *multo, aliquanto* post, post *aliquanto.*

M. Advertite etiam: Quinque annis (vel quinto anno) *post quam* regnum adeptus erat. *Post* quintum annum *quam* regnum adeptus erat.
His rebus pace confirmata *post* diem quartum, *quam* est in Britanniam ventum, naves ex superiore portu leni vento solverunt.

Quid interest inter : *ante hos sex menses* maledixisti mihi et *abhinc sex menses* ?

A. Nihil interest ; utrumque significat : Nunc sunt sex menses, cum... Quaestor fuisti abhinc annos quatuordecim.

M. Licetne dicere : Abhinc sex mensibus ?

A. Licet illud quidem, sed Ablativus comparate raro invenitur.

Numquam *abhinc* spectat futurum, quapropter falsum est :
Qui abhinc centum annis ejus scripta legent, mirabuntur etc.

Neque *abhinc* conjungitur cum ordinali neque verbo, quod significet tempus, postponitur. Quam ob rem dicere non licet : *Annos abhinc* centum, sed : Abhinc centum annos ; abhinc annos centum.

M. Licetne dicere : Evolve omnes libros, qui de ea re abhinc viginti annis prodierunt ?

A. Nequaquam licet. Latinum est : Qui *intra* proximos viginti annos, vel *proximis viginti annis* prodierunt, quia *abhinc* initium solum, non totum spatium temporis significat.

M. Quid significat *intra* cum ordinali v. g. tertium annum ?

A. Significat : ante tertium annum exactum v. g.
Intra tertium annum omnis Gallia devicta erat.

M. Quid significat *pridie quam, postridie quam* ?

A. Diem qui antecedit aliquam rem v. g. *Pridie quam* Athenas veni.
Pridie quam Athenis discessi *(la veille de mon arrivée, de mon départ).*
Etsi dicimus *pridie* Calendas, Nonas, Idus ; *pridie* Saturnalia, Pascha, etc., tamen nunquam *pridie adventum, discessum, mortem,* etc. sed : *pridie, quam* mortuus est, pridie quam occideretur, etc.

Postridie significat diem, qui sequitur aliquam rem v. g.
Andricus *postridie* ad me venit, *quam* exspectaveram *(un jour plus tard).*
Utrum *pridie* an *postridie, quam* me exspectas, ad te veniam nihil refert *(un jour plus tôt ou plus tard).*

M. Quo casu respondes, si quaeritur *ex quo tempore ?*

A. Accusativo cum ordinali aliquo, cui Adverbium *jam* addere licet.
Cajus jam *decimum annum* in carcere vitam miserrimam trahit.
Nestor jam *tertiam aetatem* hominum vivebat.
Iam *tertium annum* te exspecto.

M. Quid significat : Lacedaemonii *in annos* triginta pepigerunt pacem ?

A. *In* cum Accusativo praefinit vel praestituit spatium temporis v. g. Cibaria habent *in* paucos dies, *in* multos menses, *in* hodiernum diem. *In* posterum diem me ad coenam invitavit. Visne mihi tuum librum *in* diem commodare ? *In* diem vivere. *In* futurum, *in* posterum, *in* reliquum *(pour l'avenir)*, *in* aeternum, *in* praesens, *in* perpetuum. *In* crastinum diem haec omnia diligenter ediscetis.

M. Estne hoc emendatum : *De die in diem* vitium crescit ?

A. Esse nego. Latinum est : *In dies* vitium crescit.
In dies singulos breviores litteras ad te mitto.
Quotidie te exspecto.

Sed etiam : *Diem ex die* aliquid exspecto.
Diem de die rem differre vel ducere.
Eodem modo : *in* horas, *in* annos, etc.

M. Spatium temporis, intra quod aliquid fit vel factum est, solo Ablativo aut *in* praepositione cum Ablativo significatur. Cicero solo Ablativo utitur, alii scriptores *in* praepositione, cum plus ponderis dare volunt notioni *intra*. Affer, Calliste, exempla.

C. Agamemnon cum universa Graecia vix *decem annis* unam cepit urbem.
Senatus decrevit, ut legati Iugurthae *in diebus proximis decem* Italia decederent.
Pompejus *undequinquagesimo die* ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxit.

M. Hic igitur Ablativus idem fere est quod *intra*, nonne ?

C. Ita est. *In* tamen praepositio semper est necessaria, cum quaeritur, quoties aliquid intra certum spatium temporis fiat vel factum sit v. g. Bis *in die*, *in mense*, *in anno* vestimenta mutare. Vix *ter in anno* nuntium audire. Sol binas *in singulis annis* conversiones facit. *Ternas in hora* epistolas dare. De medicina *bis in hora* cochlearis mensuram sumere. Crassus *semel in vita* risit.

DE PRAEPOSITIONIBUS.

M. Quae praepositiones Accusativum recipiunt ?

C. Ad, adversus, ante, apud, circum, circa, cis, citra, contra, erga, extra, inter, infra, intra, juxta, ob, penes, per, (pone) post, praeter, prope, propter, secundum, supra, versus, ultra, trans.

1. Ad.

M. Quid significat *ad* ?

C. Significat accessum vel directionem ad aliquid v. g. *Venire ad* Pompeji castra. Venire ad aliquem. *Spectare ad* orientem solem. *Vergere ad* septentriones. *Ducere* cohortem *ad* eam partem munitionis, quae .. *Mittere* legatos *ad* aliquem. *Tendere* manus *ad* coelum. *Convertere* simulacrum Jovis *ad* orientem. Venit ad me (domum meam). *Jacere ad pedes* alicujus. *Habere* hortos *ad* Tiberim. *Esse ad* portam. Esse ad dextram. *Esse ad* vadum. *Ad pedes* desiluerunt.

Progressum : ad manus atque ad pugnam veniebat. Ad internecionem redigere. Ad inimicitias res venit. Legiones ad hostem ducere. Ad coenam promittere (scil. se venturum).

Saepius = apud. Ad portum. Ad forum. Ad laevam. Ad Mutinam, ad Misenum, ad Tiberim, ad fretum, ad montem Taurum. Proelium ad Canas, ad Trebiam, ad tertium miliarium Ad omnia deorum templa, ad villam esse. Fuit ad me, ad te. Ad aedem Felicitatis, ad Apollinis. Ad vinum disputare. Ad sonum chordarum canere.

Respondere ad : Nisi quid vis *ad haec*. Nisi quid ad haec vultis.
Ad istam omnem orationem brevis est defensio. Forma ejus non respondet ad exemplar.

Idem atque adversus, contra : Herbarum genera, quae sunt *ad* morsus bestiarum, *ad* oculorum morbos, *ad* vulnera. Nisi animum obduruisset *ad* novum dolorem.

Ad tempus se referens : Ad diem praestitutum venerunt. Stipendium ad diem datur. Ad lucem *(vers)*, ad vesperam, ad mensem Januarium. Ad extremum hoc te moneo. Ad breve tempus, ad paucos dies, ad annum.
Virgis aliquem ad necem caedere ; aliquid ad insaniam concupiscere ; ad vivum resecare.

Concursio duarum actionum. Spero te Romae fore *ad* meum adventum. *Ad* singulos nuntios consilia mutat.
Ad prima signa. Ad crescentem tumultum. Ad horum preces.

Idem quod circiter : Cum annos ad quadraginta natus esset. Ad triginta millia caesa sunt aut capta. Occisis ad hominum millibus quatuor.
Ad duorum millium numero. Ad medium. Ad palmum. Ad numerum.
Ad unum omnes occisi sunt. Ratio ad nummum, ad libellam convenit.

Idem quod secundum : ad hunc modum: quem ad modum. Ad similitudinem bellicae disciplinae. Ad speciem atque ad usurpationem vetustatis.
Ad effigiem justi imperii.Ad perpendiculum ; ad lineam ; ad naturam ; ad istorum normam ; ad meum sensum ; ad voluntatem nostram ; ad eorum arbitrium et nutum ; ad certum pondus ; ad verbum cum re convenire ; ad verbum ediscere.

Idem quod respectu : praeclarus ad aspectum ; ad rationem praestantior.
Multa ad veritatem mirabilia. Nihil tam clausum ad exitum,nihil tam tutum ad custodias.Timidus ad mortem. Ad honorem antecellet.
Mentis ad omnia caecitas. Virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum ac disciplinam peritum, ad consilia prudentem,ad casum fortunamque felicem. Invicti ad labores corporis. Ad pugnam impedimento esse.

Ad summam = uno verbo ; summum *(au plus)*.

Idem quod comparatione : Nihil ad tuum equitatum. Haec ad nostram consuetudinem levia sunt. Exiguum ad universi coeli complexum.

Significans finem alicuius rei : Ad agrum utile et ad cibum. Annus fatalis ad interitum huius urbis. Paulo ad facinora audacior. Ut hanc causam habeat ad injuriam. Opportunitates ad cultum hominum reperiuntur. Ne illis quidem ad fugam locus est.
Equus ad cursum, bos ad arandum. Homo ad duas res, ad intelligendum et agendum.

M.Cavete dicatis : *ad instar* castrorum,sed : *instar* castrorum ; hic liber *ad* summum *(ad* minimum) constat tribus denariis ; sed : *summum, (minimum)*. Romam venit *ad* magnam calamitatem reipublicae ; sed : *cum* magna calamitate.
Quis prooemium seu praefationem *ad* hunc librum scripsit? sed : *prooemium hujus libri*. — Ad annum significat : *l'année prochaine* ; ad punctum temporis v. g. adero : *dans un moment*.

2. Apud.

Maximam partem se refert ad personas, *ad* ad loca.
Apud aliquem sedere.Plus apud me antiquorum auctoritas valet.
Apud viros bonos gratiam consecuti sumus. Nihil turpius apud homines.
Sulpicius erat apud eum. Fuisti apud Laecam illa nocte.
Haec apud majores nostros, apud antiquos factitata.
Tantopere apud nostros justitia culta est.

Idem quod coram : Loqui apud populum, apud senatum, apud judices, apud imperitos, de me apud te : apud milites contionem habere.

Apud Ciceronem, apud Caesarem, apud auctores legi, inveni.
Apud Platonem hoc nusquam invenies.

De loco : Apud Alyziam, apud oppidum. Moriens apud Mantineam Epaminondas. Castra habuerat apud Issum Alexander.
Quid apud hasce aedes negotii est tibi ?

M. Latinitas argentea, quam vocant, saepius habet *apud* pro *in* v. g. Apud forum, apud villam, apud Graeciam, apud Asiam, apud urbem Nolam fui, etc., quod non est imitandum.

Licet dicere : Non sum apud me (= mentis non sum compos) ; non vero : Hoc non apud me est, pro : *penes me*, in mea potestate est.

Falsum est contra : Illud apud manum non habeo, illud apud manum non est ; pro :
Illud *ad* manum non habeo, *ad* manum non est.
Neque : Nummos nunquam apud me fero ; sed, *mecum* fero ;
Ille plerumque disertus est apud vinum, sed : *ad* vinum.
Explica, Fabiane, praepositionem *ante*.

3. Ante.

F. *Ante* et locum et tempus significat v. g.
Ante pedes, ante oppidum. Vinctum aliquem ante se agere.
Causam ante aliquem dicere.
Ante lucem ; multo ante noctem ; ante has meas litteras ; ante aedilitatem meam ; ante annum ; ante diem certam ; factus consul ante tempus.

M. Raro legimus : Dicere *ante* aliquem, pro : *coram*, vel *apud*.

Quamquam apud Ciceronem non invenitur, tamen licet dicere *ante alios*, *ante omnes*, *ante ceteros*, *ante omnia* v. g.
Tibi ego, Neptune, ante alios deos gratias ago.
Scelere ante alios immanior omnes.

Unus ante alios carissimus. Dulces ante omnia Musae.

Cavete vero dicatis : Ante judicium adesse *(paraître devant le tribunal)*, sed : ad judicium adesse.

Neve : Aliquem ante judicium vocare, adducere, sed : *in* jus, *in* judicium vocare, adducere.

Neve : Ante judicem, ante praetorem se purgavit, sed : *apud* judicem.

4. Adversus (rarius *adversum*).

F. Significat directionem in aliquem locum :
Impetum adversus montem in cohortes faciunt.

Idem quod e regione, in conspectu : Ut adversus montes consisteret hostis. Porta Jovis quae adversus castra Romana erat. Adversus aedes publicas.
Adversus vallem.

Sensu hostili : Impius adversus deos. Copiis, quibus usi adversus populum Romanum.
Videntur adversus leges, adversus rempublicam. Non contendam ego adversus te. Ne quid faceret adversus id senatus consultum. Adversus jus hospitii.
Adversum divitias animum invictum gerebat. Firmus adversus pecuniam. Dimicare adversus aliquem. Stare adversus aliquem. Adversus morem.

Sensu amico : Reverentia adversus homines. Adversus magistratum modestus. Iustitia, pietas, beneficentia, officia adversus aliquem.
Summa adversus alios aequitas. Ob egregiam fidem adversus Romanos.

Remedium : adversus inflammationem, serpentes, vim veneni.

M. Verba tuendi et protegendi, etc. conjunguntur cum *a* praepositione. Cavete igitur dicatis : Defendit eum adversus (contra) hostem, sed *ab* hoste, *a* periculo, *ab* injuria. Portus tegebatur *ab* Africo.

Tueri, protegere, custodire, munire, tutum esse *ab* aliqua re.

Nonnunquam, sed raro invenimus *exadversus, exadversum* pro : *e regione, contra* v. g. Exadversum eum locum *(vis à vis)*.

Exadversus Athenas. Exadversum fontes Indi.

Cis, citra, Hilari.

5. Cis, citra.

H. Contraria sunt praepositionibus *trans, ultra*.

De loco : Cis Taurum, Euphratem, cis Tiberim, Padum. Citra flumen Rubiconem, citra Rhenum, citra Tauri juga. Citra Veliam.

M. Nolite dicere : Cis dies paucos, cis mensem decimum, sed :

Intra paucos dies ; intra mensem decimum.

Neque : Citra dubium veniet ; sed : *sine* dubio. — Licet tamen dicere : bellum citra sanguinem (= sine) ; citra suspicionem, citra aemulum ; citra vulnus, etc.

6. Circa, circum.

De loco ; *ubi* ? et *quo* ? Capillus circum caput rejectus. Noctu ligna contulerunt circa eam casam. Terra circum axem se summa celeritate convertit. Stellae circum terram feruntur. Circa flumen frequens nebula est. Templa quae circum forum sunt.

Circum haec loca commorabor. Eos, qui circum illum sunt Circum villulas nostras errare. Canibus suis, quos circum se habebat. Servos circum se habere. Pueros circum amicos dimittere (mittere). Concursare circum tabernas ; circum omnia fora sectari.

De tempore, numero, mensura : Oppida circa septuaginta ; circa eandem horam ; circa lucis ortum ; circa quingentos, circa annum octavum, circa meridiem, circa Idus Februarias.

M. Latinitas argentea, quam vocant, hac praepositione saepius utitur pro *de, in*, etc. v. g. Circa consularia occupatus comitia.

Circa pecuniam plurimum vociferationis est. Circa hoc summa cura.

Varia circa hoc opinio. Quae circa eos dicta sunt. Circa salutem mariti sollicita.

Falsum est dicere : circum meridiem, circum horam sextam, pro : circiter, sub vel circa meridiem, circiter Calendas, circiter ducentos.

Cavete praeterea dicatis : circumire circum aliquem, sed : circumire aliquem.

Quod ad tempus et numerum attinet, optimi latinitatis auctores semper utuntur *circiter, ad, sub*: circiter quindecim, sub meridiem, sub dies festos, ad septuaginta, circiter noctem, etc.

Constans scriptorum usus est dicere : Aliquem mittere, ducere circum (circa) urbes, amicos, cum nova latinitas habeat : aliquem *circum* mittere *in* urbes, ad amicos. Idem valet in verba *cursare, errare* v. g. Ego volo circum villulas meas errare. Ille circum hospites cursabat.

M. *Contra*, Severine.

7. Contra.

S. *De loco* : = *e regione* v. g. Insulam, quae contra Brundisium est, occupavit. Terra, quae contra eas regiones posita est. Tertium latus Britanniae est contra septentriones ; contra meridiem.

Sensu hostili : Orare contra Caesarem coepit. Contra aliquem pugnare, conjurare, contra deos disputare. Contra opinionem, exspectationem, spem. Contra naturam esse.

Contra vim atque impetum fluminis.

M. Sermo purus et latinus habet : Adverso aut secundo

flumine natare, vel remigare, adverso vento navigare ; ac non : contra flumen, contra ventum.
Item : Contra, e contrario, contrarie, contra ea, ac non : e contra *(au contraire)*.

8. Erga.

S. *Sensu amico* : Bonitas erga homines. Mores erga necessarios declarare. Studia erga dignitatem.

9. Extra.

Extulisse extra aedes puerum. Extra ostium limenque carceris. Extra portam. Extra provinciam.
Latrocinia quae extra fines civitatis fiunt.

Raro = *praeter* : Extra ducem, extra praedam, conjurationem.

Idem quod : *Sine* : Extra culpam esse, extra jocum, extra sortem, extra modum, extra hanc contentionem, extra ordinem, periculum.
Extra cancellos egredi. Ne extra modum prodeas.

M. *Extra quam si*, quod apud Ciceronem quoque invenitur, idem est quod : *nisi, nisi quod, praeterquàm si.*

Barbara latinitas est : Extra me sum (prae) gaudio vel laetitia, pro :
Elatum esse gaudio vel laetitia.
Extra animam vel spiritum esse, pro : exanimatum esse.
Extra coenare, pro : foris coenare.

10. Intra.

S. Quaeritur : *ubi* et *quo* ? Intra parietes, intra montem, Oceanum, intra vallum et foris, intra se.

De tempore : Intra paucos dies urbem in deditionem accepit.

Intra biennium. Intra legitimos dies. Intra legitimum tempus.

M. *Inter*, Adriane.

11. Inter.

A. *De* numero *et multitudine* : Inter multos consul saucius relictus.
Inter multitudinem sociorum. Eminet inter omnes in omni genere dicendi. Inter alia prodigia et carnem pluit.
Moror inter aras, templa. Aliquem inter manus auferre (ac non : *in* manibus).

De relatione mutua : Omnes virtutes inter se nexae et jugatae sunt.
Caritate, quae est inter natos et parentes. Amicitia nisi inter bonos esse non potest. Prosunt inter se boni. Nosque inter nos esse complexos.

De tempore : Inter coenam. Inter scyphos. Inter epulas. Inter proelia. Inter spectacula. Silent leges inter arma. Inter fulmina et tonitrua. Inter viam. Inter ambulandum, ludendum. Inter verbera et cruciatus. Inter incendia et ruinas. Inter tantam vim armorum. Inter leges et judicia. Inter horam tertiam et quartam.

M. Falsum est : *Nos* inter *nos* amamus, vos inter vos amatis, *se* inter *se* amant. Latinum est : inter nos amamus, inter vos amatis, inter se amant.
Inter se aspiciunt. Inter se consalutant. Inter se colunt. Inter nos similes sumus.

Si vero subjectum sententiae aliud est atque objectum, grammatice dicitur v. g. Respublica *nos* inter *nos* conciliabit.

12. Infra.

De loco : Ad mare, infra oppidum. Infra lunam omnia caduca.

Accubuerat supra me Atticus, infra Verrius.. Infra pontem.

De mensura et dignitate: Uri magnitudine paulo infra sunt elephantos.
Quem infra omnes puto.

De tempore: Homerus non infra Lycurgum fuit *(plus tard)*.

M. Cum de dignitate agitur, praestat dicere v. g. Cajus dignitate inferior est, quam Pomponius.

13. Iuxta.

Atticus sepultus est juxta viam Appiam. Ad oppidum constitit juxtaque murum castra posuit.
Apud Livium et Tacitum saepius = secundum :
Iuxta deos in tua manu positum est *(après les dieux)*.
Apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur.
Juxta seditionem ventum *(presque)*.

M. Nolite imitari illos, qui dicunt : *Juxta Herodotum*, juxta Livium, juxta Caesarem, juxta praeceptum Hesiodi, sed : *secundum* Herodotum ; cum illud cadentis sit latinitatis.

14. Ob.

De loco : Mors mihi semper ob oculos versatur.

Indicans causam vel finem aliquem =*propterea quod* v. g. Qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur. Ob rem judicandam pecuniam accipere. Ob merita sua carus est. Unius ob iram prodimur. Pretium ob stultitiam fero. Ob aliquod delictum poenas expetere. Ex vulnere ob rempublicam excepto. Bellum motum ob superbum responsum.
Ob unam mulierem. Ob metum, timorem. Ob egregiam victoriam de Hannibale Scipio *Africanus* appellatus est.

M. *Ob* soli relativo postponitur v. g. *quam* ob rem ; aliis

pronominibus praeponitur *ob eam* rem, ob *eam* causam, ob *ea*, ob *id*, ob *id ipsum*, ob *hoc*, ob *haec*.
Ob viam ire, prodire, procedere, proficisci, venire, mittere alicui sic explicare licet : Viam sequi, quae est ob oculos.— Aliam jam profer, Caesari, praepositionem.

15. Penes.

C. Ad solos homines se refert et res in personas constitutas. Significat in manu, in potestate alicujus esse.
Ille *quem penes* est potestas. Jus de vita sua *penes illum* est.
Penes eos summam victoriae constare.
Victoria certaminis *penes tribunos* fuit. Ephori, *penes quos* summum imperium erat.

Idem quod : possidere. Eloquentia non modo eos ornat, penes quos est, sed etiam universam rempublicam. Pompejus, penes quem omne judicium et potestas debet esse.
Penes te es ? = esne sana mente ?

16. Per.

De loco. Per impluvium intro spectant. Alterum iter *per* provinciam nostram erat multo difficilius. Sanguis *per* venas in omne corpus diffunditur. Membranas oculorum perlucidas fecit, ut *per* eas cerni posset. *Per* Romam Neapolim profectus sum.
Coronam auream *per* forum ferre. *Per* temonem percurrere.
Transire *per* corpora. *Per* munitiones se dejicere.
Equites *per* oram maritimam erant dispositi. Omnia *per* Italiam opportunis locis parare. Instructa *per* litus acies.
Invitati hospitaliter *per* domos. Custodibus divisis *per* domos.
Dissipati *per* proximas civitates. *Per* omnes partes perequitant. *Per* medios hostes evasit.

Traditae *per* manus religiones (= de patre ad filium). *Per* manus trahere. *Per* partes, *per* singulos artus, per singula membra mori.

De tempore. Ludi decem *per* dies facti sunt. Incendium *per* duas noctes tenuit. *Per* triennium, *per* hos dies ; *per* idem tempus. *Per* somnum, *per* otium, *per* noctem. *Per* illa tempora ; aetates *per* multas.

De instrumento. Statuerunt injurias *per* vos ulcisci. Res *per* nuntium defertur. *Per* Caecilium accusatur. *Per* quem vivimus. *Per* indicem damnari. *Per* populos potiri. *Per* se facere (= solus). *Per* scelus adipisci aliquid. *Per* litteras certiorem facere aliquem. *Per* manus alicujus servari et educi. *Per* inducias et opem pacis decipere aliquem. *Per* senatus consultum, *per* leges, *per* seditionem, *per* luxuriam, *per* vim, *per* insidias ; *per* fidem fallere. Neque per vim neque insidiis. Aut per vim aut dolis ; non vi sed per deditionem.

De persona vel re concedente. Si *per vos* licet *(si vous le permettez).* Si *per vos* licitum erit. Omne illud tempus *per me* habeat librum *(je ne m'y oppose pas).*
Et ita saepius apud Ciceronem.

Ut primum *per aetatem* judicium facere potueris *(l'âge le permet).*
Qui per aetatem arma ferre possint. Ubi primum potuisset *per negotia* publica. Cujus per aetatem pater esse potuisti. Cum primum *per anni tempus* potuit. Cum *per valetudinem* navigare potueris. Cum antea per aetatem nondum auderem. Per valetudinem nequiverat.
Per me stat, stabat, stetit = il dépend de moi.

Juris jurandi formula : Per Jovem juro.
Quid est *per deos* sapientia optabilius ! Oro te per deos. *Per dexteram* te istam oro. Per deos. Per deos atque homines. Per deos immortales.

De modo. Per ludum et jocum. *Per lusum* atque lasciviam. Per ludum et negligentiam ad honores pervenisti. *Per seria* et ludum. *Per occasionem. Per scelus* possidere. *Per vices* clamare.

M. Cavete dicatis : semel per annum, quinquies per mensem ; sed : semel *in* anno, quinquies *in* mense.

Neve : per testamentum declarare ; sed : *testamento* declarare.
Licet dicere : Iter *per*difficile, *per*quam difficile erat ; sed nunquam : Iter perdifficillimum fuit, cum *per* jam locum teneat superlativi.

17. Post (Pone).

C. *De loco.* Qui post erant. Qui pugnabant post. Manibus post tergum rejectis. Post me erat Aegina, ante me Megara. Collocare impedimenta post legiones. Post equitem sedet atra cura. Post aliquem esse. Flumen, quod erat post castra.
Post principia. Post eos.

De tempore. Post devictum Hannibalem. Post Vejos captos. Post diem tertium. Post ea. Post haec. Post hominum memoriam.

Pone est verbum obsoletum, quod apud bonos scriptores raro invenitur v. g. Pone castra ibant. Pone quos labantur. Vinctae pone tergum manus. Pone sese aliquem locare. Pone nos recede.

Peu de temps après. Paulo post. Post paulo. Eodem modo : multo post, post multo. Multo post, quam discessisti. Neque ita multo post. Aliquanto post, post aliquanto ; anno post, biennio post.

M. *Post multo* rarissime invenitur ; item : *post brevi,* pro : brevi, paulo vel non multo post.

Cicero ait : Post haec, post ea, pro : postea ; numquam vero : post hoc, post id.

Pro : Cajus est secundus, tertius post Corvinum, bona latinitas habet : Cajus secundus, alter, *tertius a* Corvino est.

Quartus, tertius, secundus *ab ultimo* est.

Pro : Ego proxime post Cajum interrogatus sum : Ego proxime *a Cajo* interrogatus sum.

Pro : Post Deum parentibus plurimum debemus : secundum Deum parentibus plurimum debemus. Secundum te nihil mihi amicius est solitudine ; quia hic nec de loco nec de tempore agitur.

Nunquam : Post naturam vivere, sed : secundum naturam.

Aliam affer, Donate, praepositionem.

18. Praeter

D. Significat : *Devant, près de, le long de* v. g. Copias suas praeter castra Caesaris transduxit *(il les fit passer devant).* Praeter oculos Lollii ferebant omnia *(ils faisaient passer tous les mets sous les yeux de Lollius).*
Praeter omnium oculos. Praeter modum = ultra. Praeter consuetudinem. Praeter naturam. Praeter aetatem, spem, morem, opinionem, optatum, voluntatem, exspectationem.

Item quod : *excepto*. Omnes praeter Hortensium. Omnes praeter unum.
Praeterea. Nihil praeter suum negotium agere. Ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles haberent quidquam.
Ut praeter se denos adducerent.Praeter auctoritatem vires quoque. Praeter ceteros florere eloquentia.

19. Prope.

Près, proche. — *De loco.* Prope me. Prope aquam moveri. Prope castra.
Propius urbem. Proxime hostem, Carthaginem. Proxime Pompejum sedebam. Proxime januam.

De tempore. Prope Calendas.

M. Ad hoc etiam animos advertite : *Prope fuit, ut* consules crearentur. Prope *fuit, ut* in summum jugum evaderem.
Prope *est, ut* ille moriatur. Prope *est, ut* ningat.
Nunquam personaliter : Prope sum, prope fui etc., ut.
Prope abesse ab aliqua re significat v. g. similitudine simiae non longe abesse.

20. Propter.

D. *De loco* = juxta. Propter urbem. Insulae propter Siciliam.
Propter ipsum introitum. Propter Platonis statuam consedimus.

De causa. Legionem propter paucitatem despiciebant. Propter pecunias judicio liberati. Propter loci iniquitatem. Propter adolescentiam, amorem, perfidiam, timorem, infirmitatem.

Apud Ciceronem saepius cum relativo = cujus vel quorum opera vel culpa.
Propter *quos* hanc suavissimam lucem adspexerit.
Propter *quos* vivit. Propter *quem* ceteri laetentur. *Quem* propter urbs incensa non est. Propter *quem* ceteri liberi sunt. *Quos* propter omnia amisimus.

M. Cum de causa impediente agitur, Latini plerumque *per* utuntur praepositione v. g. Per valetudinem, per pluvias, per nives, per tempestatem, per frigus, per aetatem, etc. venire non potui.
Neque tamen desunt exempla, quae habeant *propter*.

Nolite dicere : Propter quam causam istud fecisti ? Sed : Quid est ; quam ob rem ; quid est quod, vel cur hoc fecisti ?
Neque : Propter me tu potes exire ; sed : Per me exeas.

21. Secundum.

D. *De loco* : *le long de*. Secundum flumen paucae stationes videbantur. Iter secundum mare supernum faciunt.

De tempore = statim, continuo post. Secundum ludos, comitia.

Secundum Calendas Januarias. Castra secundum proelium capta. Secundum hanc pugnam consul venit. Secundum vindemiam. Secundum hunc diem.

De ordine et serie = proxime ab. Secundum vocem vultus valet.

Proxime et secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt.

Nos, qui secundum deos violati sumus. Heres est secundum filiam.

De convenientia. Secundum naturam vivere. Collaudavi secundum facta et virtutes tuas. Secundum naturam fluminis. Secundum legem aliquid facere.

M. Pro : Secundum consuetudinem agere, latine dicendum est : *Ex* vel *pro* consuetudine agere.

Pro : Secundum suam clementiam : *pro* sua, vel *quae ejus est* clementia.

Pro : Secundum voluntatem tuam : *ad* tuum arbitrium.

Pro : Secundum tempus agere : *tempori servire, cedere (circonstances.)*

Pro : Res secundum sententiam meam cecidit *(désir)* : *ex* sententia cecidit. Aliam, Feliciane, explica praepositionem.

22. Supra.

F. *De loco* : *sur, au-dessus de* Supra tribunal et praetoris caput. Supra me accubuerat Atticus. Supra se in summo jugo. Supra lunam omnia sunt aeterna. Supra eum locum duo tigna injecerunt. Ille, qui supra nos habitat.

Ecce supra caput homo levis ac sordidus.

Dux hostium cum exercitu supra caput est *(sur les talons, sur le dos)*.

Supra segetes navigant. Exire supra terram.

De mensura. Murus supra ceterae modum altitudinis munitus erat. Caesa sunt supra millia viginti. Supra vires, supra duos menses, supra vigesimum annum. Supra hanc memoriam (= *avant*), supra modum, supra humanam fidem. Potentia, quae supra leges se esse velit. Virtus supra aetatem admirabilis.

M. Cavete dicatis : Eum supra bibliothecam, supra hortos, supra jumenta, etc. constituit ; sed : bibliothecae, etc. praefecit.

Pro : supra viginti, non supra mille, bona latinitas habet : plus mille, plus (amplius) viginti. Non amplius septuaginta.

Item : Plus (amplius) viginti annos est natus vel : viginti annis natu est major.

Non amplius viginti annos natus vel : viginti annos natus, non major. Viginti annos natus et (aut) non plus.

23. Trans.

F. *Au-delà*. Parare hortos trans Tiberim. Trans Rhenum incolunt. Trans Apenninum colonias miserunt. Trans Alpes transfertur.

24. Versus.

Quaeritur : *quo* ? Accusativus praepositionem semper antecedit. Falsum est igitur : Versus oceanum, versus urbem, versus terram. Semper invenimus : Oceanum versus, domum versus, Romam versus, Orientem versus, etc.

Plerumque praecedit *ad*, rarius *in* praepositio: *ad* orientem versus, *ad* Oceanum versus, etc.
Sed : domum versus, Romam, Neapolim, Athenas, etc. versus.

M. Falsum est: Finem versus hujus libri; meridiem, vesperum, horam tertiam versus, pro : sub finem, meridiem.

25. Ultra.

F. *Au-delà.* Quaeritur *ubi* et *quo*? — Cis Padum ultraque. Ultra eum montem castra fecit. Ultra Silianam villam est villula sordida. Ultra terminum vagari.
Ultra modum, vires. Non ultra heminam. Ultra numerum. Adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat.

M. Tiberius jam enumerabit

Praepositiones quae cum Ablativo conjunguntur.

T. a, ab, abs, cum, de,
coram, pro, ex, e,
tenus, sine, prae.

1. A, ab, abs.

A, cum sequitur consonans ; *ab*, cum sequitur vocalis vel consonans, *m* et *v* exceptis ; *abs*, cum sequitur *q* vel *t*.
Cicero habet : *a* te et *abs* te.
Semper : hoc non est *ab re (être utile)*.

De loco, exitu, intervallo, separatione : Ab urbe proficisci. Ab anno decimo incipere, initium facere. Ab urbe mille passus abesse.
Flumen Rhenum dividit Helvetios a Germanis. Tutus a periculo.

Vacare a publico officio. Tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur.
Gallia attingit etiam a Sequanis et Helvetiis *(du côté de)* flumen Rhenum.
Cappadocia, quae patet a Syria. Ab humeris pendere.
A tergo, a fronte, a latere, a cornu dextro, sinistro aggredi. Ab oriente, ab occidente *(du côté de)*. Securos vos ab hac parte reddemus.
A corpore valui, ab animo aeger fui *(quant au)*. Ab equitatu firmus esse videbatur. A Pompejo stare. A mendacio contra verum stare.
A vobis facit, ab adversariis *(être du côté de)*. A scripto dicere. Servus a pedibus. Scriba ab epistolis *(secrétaire)*. a rationibus esse *(le comptable)*.

De tempore. Ab omni aeternitate. Ab urbe condita. A puero, a pueritia, ab adolescentia, ab initio, a principio, ab integro. A coena (= post ; saepius = statim, confestim, protinus post). Ab hac concione, a prima pugna *(dès)*.
Cum verbis passivis et intransitivis ut mori, interire, obire, occidere, cadere, vapulare, venire (= vendi), salvere (= salutari). Phalaris non a paucis interiit.
Item : Cognoscere, dicere, habere, accipere, audire ab aliquo. Hoc a patre tuo habeo.

Idem quod : respectu. Imparatus a militibus. Ab equitatu infirmus esse videbatur. A corpore valeo, ut supra. Mediocriter a doctrina instructus.
Cum verbis *tueri, custodire, munire, defendere,* ut jam alias commemoravimus, conjungitur *a*.

M. Pergat Gaudentius explicare *de* praepositionem.

2. De.

G. *Du haut, de.* De loco superiore dixerat. De capite abjicere.

De muro se dejecerunt. Etruria de coelo tacta. Exsilire de sella.

Remotio, exitus. Apud Ciceronem praecipue cum verbis junctis cum *de, ex, ab.*

Eripere de manibus. De manibus extorsit. Eum de manibus emiserunt.

Gladii de manibus exciderunt. De fundo expulsus, de suis bonis.

De fundo dejectus. De medio tollere. De civitate sublata est. Agros de hostibus captos. De fastis eximere. De civitate exterminari. De sanitate ac mente deturbare. Simulacra de templis ablata. Haustam aquam de puteo. De faece hauris, de dolio.

Migrare de vita, de vita decedere ; de meo jure detraho ; de patria discessus ; de sententia deterreri ; de scripto dicere ; de somno excitari ; de oppidis demigrare.

De parte. Homo de plebe. De plebe consulem non accipiunt. De plebe primus consul factus est. De tribus et decem fundis tres possidere.

De principum filiis sex. Aliquem de tribus. Nullus, nemo, nihil, unus, solus, aliquis, fortissimus de. Tres de legione prima.

De toto exercitu. De meo, de tuo, de publico, alieno sumere.

Vestalibus stipendium de publico statuit.

De templo carcerem fieri. Quid de nobis fiet ?

De tempore : Navigare de mense Decembri *(encore au mois).* De tertia vigilia proficisci *(encore pendant)* ; de nocte surgere.

Idem quod : secundum. De amicorum sententia, consilio agere ; de more patrio vivere.

De causa. De via fessus, de via languere.

Idem quod : quod attinet. Legatos de deditione ad eum miserunt.

De Theopompo neglexımus.

De aliqua re scribere, disputare.

De improviso, de integro ; de transverso *(inopinément).*

M. Emendate dicimus : Ecce legati ab Alexandro ; ecce a Pyrrho perfuga, legatio ab Ardea ; Ciceronis epistola ad Atticum.

Cavete vero dicatis : Hi versus sunt ab Homero, a Virgilio, ab Horatio ; haec oratio est a Cicerone ; pro : haec oratio *Ciceronis* est ; hi versus sunt *Homeri, Virgilii, Horatii.* Nulla scripta exstant *Socratis* ; ac non : a Socrate.

Falsum est : A quo tempore aegrotas ? A longo te exspectavi ; a tribus annis te exspecto ; pro : *Ex quo tempore,* vel *quamdudum, (quam pridem)* aegrotas ? Jam pridem, pridem, jam diu te exspectavi ; tres anni sunt, cum te exspecto.

Item omittitur *a* in hac sententia : Cajus multis testibus convictus est.

Falsum est : *Ab* itinere venio, redeo ; pro : *ex* itinere.

Falsum est : De die in diem vitium crescit ; pro : *in dies* vitium crescit, vel in dies singulos vel quotidie. In dies singulos breviores litteras ad te mitto. In horas te exspecto.

Plerumque invenimus : Hac *de* re, hac de causa, multis de causis, pluribus aliis de causis, etc. Neque tamen desunt exempla ut : *ex* hac re, ex hac causa, ex multis causis, etc. quae ceterum non imitari melius est.

Honorius significationem alius praepositionis exponet.

3. Coram.

H. Coram = *en face de, devant.* Cicero hac praepositione rarissime utitur v. g. Commodius fecisset, si ea coram me praesente dixisset.

Coram genere meo id dicere ausus es. Coram conventu Lacedaemoniorum.
Saepius invenitur adverbium : coram esse, coram loqui, agere, intueri, disceptare *(en personne)*.
Sed tecum haec coram agemus *(j'en traiterai avec toi de vive voix)*.

4. Cum

Significat comitatum, societatem et commercium hominum.
Vagari cum liberis. Caesar cum omnibus copiis Helvetios sequi coepit.
Cum republica simul exstingui. Cum aliquo colloqui.
Quid tibi mecum est rei ? Congruere cum natura. Agere cum aliquo.
Vivere, habitare, esse cum aliquo. Vivit habitatque cum Balbo.
Erit enim mecum si tecum erit. Secum vivere. Sentire, facere cum aliquo.
Dissentire, bellum gerere, bellare, dimicare, pugnare, certare, contendere, decernere, queri, conqueri, expostulari cum aliquo.
Mutare, commutare mancipia cum vino *(contre)*.
Mecum cogito ; cogito cum animo meo ; considerate cum animis vestris. Multa cum animo suo volvebat ; secum reputare.
Cum febri Romam rediit. Cum gladio et telo captus, cum epistola.
Cum magno incommodo civitatis ; cum salute patriae redire.
Cum clamore, cum gemitu.

De tempore. Cum prima luce surgere ; cum ortu solis.

M. Latine dicendum est : Mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, quocum, quacum, quibuscum, sed etiam *cum quo*, cum qua, cum quibus.

Cavete dicatis : *Ut cum poeta, ut cum Cicerone loquar* ; cum loqui cum aliquo significet : sermonem conferre cum aliquo. Latinum est : Ut poetae verbis, ut Ciceronis verbis utar.

Pro : *Cum Deo* v.g. *incipere*, dicimus : Cum Deo volente, cum Deo juvante, Deo auspice.

5. E, ex

H. Significat locum, unde fit aliquid.
Cecidisse ex equo ; pendere ex arbore. Ex equis desiliunt.
Surgere e lectulo. Ex errore pendere. Triumphum agere ex hostibus. Ex Etrusca civitate victoriam tulit. Victoria ex hostibus parta.
Ex cruce Italiam cernere. Ex equo pugnare. Ex loco superiore conspicatus. Ex vinculis causam dicere. Ut ex eorum corporibus pugnarent. Ex muro pacem petierunt.
Ex essedis pugnare.
Ex parte una. Omni ex parte. Neque ulla ex parte fuit cultus.
Si ulla ex parte sententia infirmata sit. Magna, maxima ex parte.
Audire, certiorem fieri, noscere, exquirere, scire, percontari, reperire, rescire, sciscitari ex aliquo.

De tempore. Ex hoc (eo, ea) die. Ex quo. Ex adolescentia.
Ex Metello consule. In diem ex die dilata.

Ex ipsa caede nuntium misit (= continuo post). Vilitas annonae ex summa inopia consecuta est. Ex maximo bello.
Ex interregno statim magistratum inire.

Ex itinere ad me litteras misisti ; ex fuga.
Ex labore, terrore, inopia, forensi strepitu, languore se reficere.

Animus ex multis miseriis atque periculis requievit.

Consistere ex aliqua re. Homo ex animo constat et corpore. Statua ex auro, argento, aere, marmore, robore facta. Natura animantis concreta ex pluribus naturis. Milites mixti ex colluvione omnium gentium. Unus ex fortissimis.

Secundum. Ex more, ex ordine, ex consuetudine, ex instituto, decreto, formula, sententia, senatus consulto, praecepto, voluntate, lege, jure, foedere, pacto, arbitrio, ex animo; e re publica (= utilitati rei publicae) e re mea esse.
Ex (de) industria, composito, improviso, ambiguo ; ex memoria pronuntiare, ex tempore dicere.

Causa. Nasci ex aliquo. Ex quodam regis cliente conceptus.

Ex renibus laborare. Ex invidia, ex vulnere aeger. Claudicare ex vulnere. Tuum ex me gaudium. Demetrium ex doctrina nobilem et praeclarum. Ex divitiis juventutem luxuria invasit. Ex virtute nostra intelliges. Ex aere alieno commota civitas.

M. Constans usus est dicere : *ex* (non : e) parte, ex sententia, ex toto. ex me, ex te, ex se. Ceterum semper licet dicere *ex* v. g. ex patre, ex matre, ex rege etc. sed : *e* regione ; *e* re publica ; e re esse.

Explica aliam praepositionem, Juliane.

6. Tenus.

J* *Jusqu'à.* Substantivum semper subsequitur v. g. Oceano tenus, Tauro tenus regnare. Pectore tenus in aquam descendere ; umbilico tenus, collo tenus. Hunc senem osse tenus dolabo *(= battre).*

Cicero hac praepositione etiam cum Genitivo utitur, quod certe imitari licet : lumborum tenus.

Alii : Cumarum, Corcyrae, etc. tenus.

Item apud Ciceronem : verbo tenus de republica disserebat, quod significat : verbis tantum ; ore.

7. Sine.

Sans. Contrarium *cum.*
Semper ille ante *cum* uxore, tum *sine* ea erat. Sine dubio, sine dubitatione. Cum fratre, an sine ? Vitiis nemo sine nascitur.

M. *Sine* nunquam conjungi potest cum Ablativo Gerundii. Pro *sine sentiendo* dicimus *sine sensu.* Neque conjungi potest cum Participio v. g. *Sine restituta potestate,* pacem nunquam fore.

Falsum est : *Sine quod* in castello erat ; pro *praeterquam quod.* Pro : *Cajus sine testamento mortuus est,* dicimus : Cajus *intestato* vel *intestatus* mortuus est.
Pro : Sine joco : *extra jocum, remoto joco.*
Pro : Sine meo merito : *nullo meo merito* vel *non meo merito.*

Absque pro *sine* est obsoletum v. g. absque dubio, absque magno, absque ullo labore, absque omni dubio ; pro : *sine dubio,* sine magno, sine ullo labore, sine ullà dubitatione. Lucianus jam usum *pro* praepositionis explanabit.

8. Pro.

L. *De loco* : *devant.* Sedens pro aede Castoris. Classis stabat pro littore *(en avant de, près).*
Caesar copias suas pro castris produxit *(en avant du).*

Sur le haut de, sur. Pro rostris, pro tribunali, moenibus. Hac re pro suggestu pronuntiata. Pro tectis aedificiorum saxa mittere *(du haut).*

Pour, en faveur. Non modo non pro me, sed contra me est potius.
Pro patria mori. Si pro mea patria ista virtus staret.
Pro se esse loci angustias rati. Noctem pro se rati.

Au lieu de, pour prix de. Tibi Marcelli statua pro patibulo erat.
Pro argumento uti. Pro vallo carros objecerant. Pro perfuga ad eos venit. Pro mortuo deserere. Tumultus repens pro nuntio fuit.

Selon, en proportion. Pro gloria belli angustos fines habere. Pro mea consuetudine, meo jure, pro tantis opibus, pro meis studiis, viribus, pro virili parte, pro dignitate, pro re nata, pro ratione, pro rata parte, pro numero, pro spatio loci. Pro imperio, pro potestate vestra. Pro se quisque (= pro viribus).

9. Prae.

De loco : devant, plerumque cum pronomine personali v. g.
Prae se pugionem tulit. Prae se mittere. Prae se agere armenta.
Prae se ferre, gerere.

De comparatione : plus que. Omnes prae illo parvos futuros.
Prae nobis beatus. Atticos prae se agrestes putat. Prae ceteris floruit. Non sum dignus prae te, ut... Romam prae sua Capua irridebunt.

Causa impediens. Reliqua prae lacrimis scribere non possum.
Nec loqui prae moerore potuit. Prae metu ferre non poterat.
Vix prae multitudine cerni poterat. Prae ira, prae gaudio.
Plerumque in sententiis negativis.

M. Restat, ut cognoscamus

Quae praepositiones cum Accusativo et Ablativo conjungi possint.

Respondeat Rufinus.
R. *In*, sub, super, subter.

1. In

a) *Cum Accusativo.* Quaeritur : *quo ?*

De loco. Legatos in Asiam mittere. Exercitum in urbem ducere, in Ubios, in ultimas gentes, in Persas. Filium in humeros efferre ; in aram confugere *(vers)* ; in aliquem liberalem, negligentem, gratum esse.
In liberos indulgentia.

De tempore : In diem crastinum. In omne tempus. In lucem dormire. In annum proximum transferre. Auctionem constituere in mensem Januarium. In posterum diem, in reliquum tempus, in aliud tempus. In annum, in noctem, in futurum, in perpetuum.

De modo. In servilem modum. Hostilem in modum cruciati.

Miserandum in modum. In hunc modum locutus est. Villas in urbium modum aedificatas. In modum fugientium.
In hanc formulam, in eam sententiam, in speciem.

Quae in confirmationem et reprehensionem dividuntur. Leges in omnes terras distributas. Discribebat censores binos in singulas civitates. Ternis nummis in pedem tecum transegi.
In modios singulos duodenos sestertios exigere. Ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat. Divisit in singulos tricenos aeris. Pecuniam conferre in statuam. Venerat in funus (= ut exsequias comitaretur).

b) *Cum Ablativo.* Quaeritur : *ubi ?*

De loco. In Persia, in Persis, in Gabinis, in Volscis esse. In famulis, in barbaris, in omnibus gentibus, in ceteris nationibus, in senatu, in Patribus.

Virtutem in bonis habere, aliquid in malis ducere. Id in lucris pono. Oratorum in numero est habitus. In poena, in fortuna putare, in damno habere. Sapientissimus in septem fuit. Cecidit in his Quintus. In quibus fuit Scaurus.

Pontem in flumine, in Arare, in Histro, in Rheno facere. In manu habere ; in animo cogitare, agitare, volvere, considerare.

Aliquem in sua potestate tenere. In servitio, in manifesto peccato tenebatur. Date illi in aliis potius peccandi locum. Nihil in eo se potestatis habere. In oculis, in ore (= ante) clarissimae provinciae. In auribus vestris. Crudelitatem exercere in vivo, in mortuo. Quae in liberis et conjugibus effecerit. In ejus persona multo fuit asperius. Duri fuimus in Dolabella. Crudelia in civibus facinora facere.

In exspectatione, spe, periculo, honore, invidia, fide, suspicione, timore esse. In eo esse, ut. In manibus habere, in manibus esse.

M. Optimi scriptores habent : *Bibere ex* poculo, ex auro, ex Tiberi, e manu ; *edere ex* catino, e manu. Auctores aetate posteriores : Bibere *in* auro, in poculis, in ossibus capitum.

Explica, Sabine, aliam Praepositionem.

2. Sub.

S. a) *Cum Accusativo.* Quaeritur : *quo ?*

De loco. Sub montem, sub muros, sub moenia succedere. Sub oculos, sub sensus, sub judicium aurium cadere. Omnes sub idem nomen cadunt. — Sub ictum venire, sub manus, sub potestatem, sub imperium, sub legis vincula.

De tempore. Sub dies festos, sub vesperum, sub noctem, sub lucem.

Sub idem fere tempus. Sub occasum solis.

b) *Cum Ablativo.* Quaeritur : *ubi ?*

Sub colle, sub monte, sub radicibus montis, sub moenibus, sub basilica. Sub armis, signis, vexillis, sarcinis, hasta, onere. Latere sub re.

Sub rege, sub regno, sub manu, sub persona, sub oculis domini, sub oculis omnium. Sub duce, judice, magistro.

M. Sed semper : Hac, ea conditione sine *sub.*

S. De tempore : Sub bruma, sub decessu suo, sub ipsa profectione, sub ipsa proscriptione. Sub nocte, die, luce, adventu, fine ; sub eodem tempore.

M. Perge explanare reliquas praepositiones.

3. Super.

S. a. *Cum Accusativo.* Quaeritur : *ubi ?* et : *quo ?*

Super aspidem sedere. Aqua super montium juga concreta erat.

Domos super se ipsos concremaverunt. Super currum. Super tabernaculum Darii imago solis fulgebat.

Cubabat super regem *(plus haut).* Erat super ipsum. Super flumen instruit aciem.

Super Sunicum navigans (= ultra). Super Indos protulit imperium.

b. *Cum Ablativo.*

Sed hac super re, nimis. Super tali causa. Hac super re scribam ad te. Agere super legatione.

4. Subter.

Sous, au-dessous. Semper fere cum Accusativo. Quaeritur : *ubi ?* et : *quo ?*

Locare cupiditatem subter praecordia. Consul subter muros ad cohortes advehitur. Virtus omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet.

M. Sic satis est. Sed haec quoque de praepositionibus velim memoriae infigatis :

Licetne dicere : *In et post* consulatum tuum populus Romanus magni te fecit ?

S. Cum uno eodemque nomine duas praepositiones conjungere, quae diversos exigant casus, certe non latinum est. Equidem dixerim : Et *in* consulatu tuo et *post* consulatum populus Romanus magni te fecit.

Item falsum est : Multi *pro* et *contra* hanc sententiam, pro et contra hanc legem fuerunt. Diu pro et contra disputatum est.

Emendatum est : Multi *pro hac* sententia, pro hac lege fuerunt, multi *contra eam.* Diu de hac re in utramque partem (vel in contrarias partes) disputatum est.

Aliter res se habet, si altera praepositio eadem est adverbium v. g. Et in corpore et *extra* sunt quaedam bona.

M. At licet dicere : Ante et post signa, Urbane ?

U. Neque hoc est latinum. Cum enim utraque praepositio eundem casum recipit, aut nomen repetendum est, aut pronomen in ejus locum substituitur. — Latinum est igitur : Post signa et ante signa ; vel : Ante signa postque ea.

Contra emendatum est : Cis Padum ultraque, quia *ultra* hic est adverbium.

M. Quomodo rem aggrederis, cum una praepositio pertinet ad duo vel plura nomina ?

U. Praepositio non repetenda est :

a. Cum plura nomina non significant nisi unam notionem v. g. A Senatu populoque Romano. In labore et dolore. Ad urendum et secandum.

b. In enumerationibus et divisionibus v. g. Hoc apparet

in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, feris. In formis aliis dignitas inest, aliis venustas.

c. Cum ejus modi nomina sunt *appositio* v. g. Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, *Pyrrho* et *Hannibale.*

Epicurus levationem aegritudinis in duabus rebus ponit, *avocatione* a cogitanda molestia et *revocatione* ad contemplandas voluptates.

d. In sententiis ut : Cimon in eandem incidit invidiam, quam pater suus : quia relativum respondet demonstrativo *eandem*, quod jam praecedit praepositio.

M. Cur haec sententia non est emendata : Vitia tam ex animi levitate quam petulantia oriunda ?

U. Praepositio repetenda est in sententiis partitivis et disjunctivis (et-et ; partim-partim ; cum-tum ; aut-aut ; vel-vel ; nec-nec ; non solum sed etiam).

Falsum est igitur : Animi in coelum quasi domicilium suum perveniunt.

Hominis dignitas non in sola mentis intelligentia, sed maxime animi integritate cernitur. Mens aut in corde aut sanguine jacet.

Ab animi magnitudine ductus, non superbia. Per neminem id rectius duci potest quam consule. Tum ob rerum varietatem, tum verborum antiquitatem.

M. Quomodo explicas hanc sententiam : Senectus a rebus gerendis abstrahit. *Quibus ?*

U. Cum pronomen interrogativum sequitur sententiam, quae continet praepositionem, neque conjunctum est cum novo verbo, non repetitur praepositio v. g. Ante tempus mori miserum est. *Quod* tandem tempus ? (pro : ante quod tempus) ? Sed traducis cogitationes meas ad voluptates. *Quas ?* Corporis, credo. A Jove incipiendum putat. *Quo Jove* ? A rebus gerendis senectus abstrahit. *Quibus ?* an *iis* quae geruntur juventute ? (Pro : a quibus ? an ab

iis). Si per alios fecisse dicis, quaeso, *servosne* an *liberos?*

M. Estne hoc emendatum : Inter medios hostes ?

U. Est illud quidem emendatum, sed plerumque, cum nomen substantivum conjunctum est cum adjectivo vel cum pronomine, praepositiones *ante, contra, inter, propter, post, de, ex, in,* utrique interponuntur v. g. Medios *inter* hostes ; aliquot *post* annos ; magna *ex* parte ; hanc *contra* legem ; hac *de* re ; quam *ob* rem ; certis *de* causis ; qua *de* causa ; magna *cum* laude, etc.

M. Quomodo explicas hanc Ciceronis sententiam : Per ego vos decora majorum oro et obtestor ?

U. In obtestatione *per* praepositio separatur Accusativo personae quae obsecratur, ab Accusativo rei, per quam obsecratur v.g. *Per* ego vos *decora* majorum oro et obtestor. Nolite, judices, *per* vos *fortunas* vestras inimicis meis dare laetitiam.
Patres conscripti, *per* vos *liberos* atque parentes subvenite misero mihi.

CAPUT TERTIUM.

I. DE PECULIARI USU NOMINIS SUBSTANTIVI.

M. Apud Ciceronem inveni : « Villa abundat porco, hoedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle » ; et apud Caesarem : « Leporem et anserem gustare fas non putant ». — Nonne mirum videtur, Valentine, quod uterque scriptor in his rebus pro plurali utitur singulari ?

V. Mirum quippe est ; sed Romani multa nomina, quae ad animalia, gignentia, inanima pertinent, sensu collectivo singulariter usurpare solebant v. g. *Triticum, fabam, lentem, rapum* serere. *Faba, glande, pisce* vescuntur. Pythagorei *faba* abstinuerunt. *Ciceris* catinus *(un plat de pois chiches).*

Nux, uva, pomum, etc. secundas ornabat mensas. In *rosa* et *viola* potare, dormire. Multa *fraxinus,* multa *populus,* multa *rosa,* multa *canis (beaucoup de frênes, de peupliers, de chiens). Aes* alienum solvere *(des dettes).* Multa et lauta *supellex. Tegula* publice praebita est. Lenta *pruna* aliquid decoquere. Parant equos, famulos, *vestem* egregiam.
Belli *apparatu* occupatum esse *(les préparatifs).* Urbs ipsa strepebat apparatu belli. Apparatus ingens belli. Curam intendere in belli apparatum. Belli apparatum non differre.
Instrumentum villae *(matériel),* instrumentum rusticum, instrumentum venatorium *(équipage de chasse),* militare *(bagages).* Omne instrumentum diripuit.

Quod autem ex ferro est factum, appellatur : *ferramentum, ferramenta.*

M. Estne hoc latinum : Instrumentum autem ejus sceleris erat Cajus ?

V. *Instrumentum* de solis rebus dicitur ; cum de hominibus agitur vocabulis utimur *minister, adjutor :* sceleris minister.

M. Licetne dicere : pretiosis vestibus se induere ?

V. Optimae latinitatis auctores singulari utuntur : pretiosa veste se induere ; scriptores tamen aetate posteriores etiam plurali : pretiosis vestibus se induere ; in rosis dormire, etc.
Singulariter autem semper usurpantur *indoles* et *scientia* v.g. Puer praeclara indole. Antiochus ingenio scientiaque putatur excellere.

M. Quid significant *indoles* et *scientia ?*

V. Illud gallice significat *dispositions intellectuelles ;* puer praeclara indole ; hoc significat id quod scio, summam rerum, quas didici, nunquam vero id quod disco.

Itaque non est latinum : Operam dat scientiae juris. Nos docet scientiam philosophiae. Docemur omne genus scientiarum.

Latinum est : Operam dat *doctrinae* seu *disciplinae* juris, *arti* medicinae, his doctrinis, variis disciplinis seu artibus. Cajus tradit disciplinam juris. Illa doctrina maxime delector.

M. Estne hoc emendatum, Albane : *Corpus* parum multum exercemus ?

A. Cum res concreta pluribus attribuitur, Latini utuntur plurali. Suum quisque enim corpus exercet ; ergo : *Corpora* parum multum exercemus. Milites *terga* vertunt, *corpora* curant, *corpora* lavant.

Contra singulariter dicimus: memoriam exercemus, quia memoria est res abstracta, quae omnibus communis cogitatur.

Si vero notio corporis cum notione animi comparatur, singulari utimur v. g. Animi imperio corporis servitio magis utimur.

M. Haud raro invenias nomina, quae materiam aliquam designant, pluraliter usurpata v. g. vina, ligna, carnes, imbres, nives ; quid significat ejusmodi pluralis ?

A. Significat aut varia genera materiae v.g. *vina (sortes)* aut partes v. g. *ligna (bûches)*, *carnes (morceaux de)*, aut res ex materia confectas v. g. *aera* (= vasa vel tabulae aenea), aut abundantiam et vim materiae v. g. *imbres, nives, grandines, pluviae, pruinae.*

M. Paulo ante dixisti, nomina abstracta, ut memoria, singularem exigere ; qui igitur fit, ut vel optimi scriptores ejusmodi nomina pluraliter utantur v. g. invidiae, odia, fortitudines ?

A. Plurali significant rem ad varias occasiones, res vel homines pertinere v. g. *Adventus* imperatorum nostrorum in urbes sociorum. *Exitus* bellorum. *Praesentiae* deorum. *Expulsiones* vicinorum. *Asperitates* viarum. *Interitus* exercituum. *Animos* addere militibus. Incurrere in *odia* hominum. *Potestates* magistratuum.

Plurali praeterea significantur varia abstracti genera et actiones v.g. *mortes, invidiae, iracundiae (accès de), insaniae, aegritudines, fortitudines, turpitudines, aetates, dementiae, gaudia, odia, familiaritates.*

M. Quid significat, Beate : *Pueri* illum poetam legimus ?

B. Idem est quod : *In pueritia* illum poetam legimus. Romani enim ad significandas varias hominum aetates concretum potius habent abstracto v. g. Cato admodum *senex* Graecas litteras didicit.

A puero hoc feci. *A pueris, a parvis, a parvulis* hoc audivimus

Juvenis (adolescens) interfuit bello Punico. *Cicerone consule* conjuratio Catilinae detecta est ; pro : in consulatu Ciceronis.

Neque tamen illicitum est dicere : a pueritia, ab adolescentia.

Contra ea nonnunquam invenimus abstractum pro concreto v. g. juventus, nobilitas, posteritas, vicinitas, servitium, legatio, custodia, etc. pro : juvenes, nobiles, posteri, vicini, servi, legati, custodes.

M. Proprium est linguae latinae nonnunquam pro solo nomine personali vel pro prononime vocabulis uti *animus* vel *corpus* v. g. Animum filii confirmavit (pro filium confirmavit). Imponere corpus lecto (pro : se imponere).

Affer aliquot hujusmodi exempla.

B. Caesar *animos* militum accendit. Hoc *animum* meum movet, commovet, turbat, offendit. *Animus* meus abhorret a sanguine. Hoc cum *animo* meo cogitavi ; hoc apud *animum* meum statui. *Animum* suum continere, submittere. Levare *corpus (se lever)*. *Corpus* applicare stipiti *(s'appuyer contre un arbre)*. Librare *corpus (se balancer)*. Offerre periculis *corpus*. *Corpus* suum dedere. Milites *corpora* humi prosternunt. *Animum* excolere. Omnium *animos* sibi conciliare.

M. Similiter invenimus pro *homines* : *vita hominum* v. g. Nulla pernicies major *hominum vitae* potuit afferri.
Sunt philosophi, qui censeant ab iisdem diis *hominum vitae* consuli et provideri. Sic *vita hominum* est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Nec eos a quibus *vita hominum* instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur.

Quid significat, Damase : Nemo Romanus, nemo patricius ?

D. *Nemo*, quod idem est ac *nullus*, haud raro conjungitur tam cum adjectivis, quae pro substantivis habentur v. g. *nemo Romanus, nemo mortalis, nemo ingenuus, nemo peregrinus*, socius, familiaris, propinquus, etc., quam cum substantivis personalibus, ut : *nemo miles*, poeta, civis v. g. *Nemo pictor* est inventus. *Nemo vir* bonus. *Hominem neminem* pluris facis. Adhuc neminem cognovi poetam. *Nemo unus, nemo quisquam (pas une personne).*

M. Quid interest inter : *Non nemo* hoc probabit ; et : *Nemo* hoc *non* probabit ?

D. Utrumque est affirmativum ; illud gallice significat : *quelqu'un,plus d'un* ; hoc : *tout homme,il n'est personne qui ne.* Eodem modo *non nihil (quelque chose)* differt a *nihil non (tout).*

M. Advertite, Genitivum *neminis* et Ablativum *nemine* non esse in usu, in quorum locum Genitivus *nullius* et Ablativus *nullo* substituuntur.
Latinum est : *Nemo unquam, nemo usquam, nihil unquam.*

Quid interest inter : Praetor hoc vobis *sine dubitatione* concedet ; et : Praetor hoc vobis *sine dubio* concedet ?

D. Illud idem est quod : Praetor non dubitabit vobis hoc concedere *(il ne fera pas difficulté de ; il n'hésitera pas)* ; hoc significat : Non dubium est, quin praetor vobis hoc sit concessurus *(il n'y a pas de doute que).*

M. Quid praeterea interest inter *dubitatio* et *dubium* ?

D. Illud est nomen substantivum *(doute, hésitation)* ; hoc est adjectivum neutrum *(douteux)*, quod substantivi significationem non habet nisi in locutionibus : *in dubio esse* ; *in dubio ponere* ; *in dubium vocare (mettre en doute)* ; *in dubium venire (devenir douteux) ; sine dubio,procul dubio (sans doute).*

M. At hodie saepissime invenias *dubium* conjunctum cum adjectivo vel cum pronomine v. g. *Magnum, leve* ne *minimum* quidem dubium ; *tuum, nullum* dubium ; *hoc, illud, quodvis* dubium ; sine *ullo*, sine *omni* dubio ; *ejusmodi* dubio locus non est, etc. Quid de hac latinitate judicas ?

D. Latinitas nova est veteribus non cognita, qui cum *dubium* sit adjectivum ob eamque causam neque cum altero adjectivo neque cum prononime conjungi possit, in ejusmodi exemplis pro *dubium* substantivo *dubitatio* utebantur.

Latinum est igitur : Illud *magnam* mihi dubitationem attulit (injecit — *faire naître).* Res *nihil* dubitationis, *nullam* dubitationem habet *(n'est pas douteuse).* Haec lectio sine *ulla* dubitatione praeferenda est. Litterae tuae mihi *omnem* dubitationem sustulerunt. Non intelligo *tuam* dubitationem. *Ejusmodi* dubitationi locus non est.

M. Adde, quod recentiores haud raro scribunt : *absque* dubio pro *sine* dubio, quod priscae latinitatis est et ideo non imitandum.

II. DE USU ADJECTIVI.

M. Quando, Floriane, veteres scriptores pro adjectivo utuntur substantivo abstracto ?

F. Cum adjectivum aut plus habet ponderis ac gravitatis, aut causam continet sententiae enuntiatae v. g.
Cur Poenorum *crudelitati* Reguli corpus est praebitum ? Huic *gravitati* hominis videbat ille gladiator se parem esse non posse.

Fabricii *virtus* a Pyrrho corrumpi non potuit. Contemno *magnitudinem* doloris, a qua me *brevitas* temporis vindicabit.

Quid attinet memoriae tradere litterarum *vetustatem* ?

Corporis nostri *infirmitas* multos subit casus. Num stulte anteponit exilii *libertatem* domesticae *servituti* ? Hannibalis iter impediebant *asperitates* viarum. Fontium gelidas *perennitates*, saxorum *asperitates immensitatesque* camporum.

Dolorem profectionis meae reditus *dignitate* consolor.

M. Nonnunquam invenimus bina nomina substantiva conjuncta, quorum alterum locum tenet Adjectivi vel Genitivi. Quod nomen est ejusmodi figurae ?

F. Graeci eam appellabant *Hendiadys* v. g. Vestra natura *bonitasque* (pro : vestra bona natura). Pateris bibamus et *auro* (pro : pateris bibamus aureis). *Levitas* et inconstantia (pro : inconstantia levis). Monumenta ac *litterae* (pro : monumenta litterarum). *Ardor* et impetus *Vi* et contentione. Tanta *ignominia* et calamitas.

M. Estne hoc latinum : Splendor *externus* fallit ?

F. Est latinitas nova Romanis ignota. Cum enim splendor ex se sit externus, auctores hoc adjectivum non admittunt nisi contrarium *intestinus (innatus, domesticus)* cogitari potest. Quapropter sermo purus et latinus habet :

Splendor fallit, *species* fallit *(l'apparence extérieure)*, sine *externa*, quia adjectivum contrarium *intestina* cogitari non potest.

Honos hominem meliorem non facit *(l'honneur extérieur)*.

Politi mores decent juvenem ; (non : politi mores externi).

Natura animi (non : natura intestina animi).

Dignitas (ac non : dignitas externa).

Laetitia (non : gaudium externum) ; *gaudium* (non : gaudium intestinum).

Virtus actionis tuae (non : valor intestinus).

Pretium rei (non : pretium intestinum).

Libido (non libido carnalis).

Usus, exercitatio (non : experientia practica).

Prudentia (non : sapientia practica).

Ars, scientia, doctrina (non : scientia theoretica).

Inopia, indigentia, lucrum (non : inopia, lucrum materiale).

Opinio (non : subjectiva opinio vel cogitatio).

Voluptas (non : voluptas materialis.)

Mens (non : mens cogitans) ; *animus* (non : animus sentiens.)

Ingenium, vis ingenii (non : ingenium productivum.)

Tempore, in tempore ; *loco*, in loco (non : recto tempore, recto loco.)

Occasio (non : occasio bona, melior, optima). Sed licet dicere :

Occasio praeclara, ampla, major, facilior, maxima, summa, brevis, optata, insperata. — *Per occasionem* (non : bona occasione.)

Cum causa sic egi (non : ex bona causa sic egi) ; *causa* (non causa externa.)

Utilitas, commodum (non : utilitas externa.)

Fortuna (circonstances extérieures — non : externa.)

Lineamenta (non : lineamenta externa).

M. Quomodo explicas : Longum vel difficile est haec omnia probare.

F. Scriptores positivo pro comparativo utuntur, cum adjectivum qualitatem quandam vituperabilem continet v.g. *Angustos* fines habent (pro : angustiores) ; *lente* respondes ; *sero* venisti ; *mature* surrexisti ; *longum* est omnia enumerare.

M. Estne haec sententia emendata : *Nimis* satis hic mos est notus, *quam ut* a me illustrari debeat ?

F. Emendate dicitur : Notior hic mos est, quam ut a me illustrari debeat ; si vero positivo utor cum *nimis* adverbio, *quam ut* falsum est.

Melius te novi, quam ut de voluntate tua dubitare possim. Urbs munitior erat, quam ut primo impetu capi posset.

M. Licetne dicere : *Nimis pauci* aderant ?

F. Minime licet, cum *nimis* id spectet, ut qualitatem adjectivi augeat, non minuat. Latinum est : *Parum multi* aderant.

Eadem de causa dicimus : Parum magnus *(trop petit)*, parum latus *(trop étroit)*, parum diu *(trop peu de temps)*, parum multum vini *(trop peu de vin)*.

M. Quomodo augetur comparativus, Laurenti ?

L. Ad significandam mensuram, qua una res alteram superet, Ablativo utimur mensurae : *multo, aliquanto (considérablement), paulo (un peu), eo (d'autant), eo-quo* ; *tanto-quanto (d'autant-que ; plus-plus)* v.g. Ille *multo* major natu est. Oratio *paulo* longior. Negotium *aliquanto* difficilius. *Eo* magis, *eo* minus. *Eo* gravior est dolor, *quo* culpa major *(la douleur est d'autant plus vive, que la faute est plus grave)*. *Quo* plures erant, *eo* major caedes fuit *(plus ils étaient nombreux, plus le carnage fut considérable)*. *Quo* difficilius *eo* praeclarius *(plus la chose est difficile, plus le succès est glorieux)*. *Quanto* diutius considero, *tanto* videtur res obscurior *(plus j'examine, plus la question me paraît obscure)*. *Eo* crassior aer est, *quo* terrae propior. *Tanto* brevius tempus, *quanto* felicius est. *Quanto* superiores sumus, *tanto* geramus submissius.

M. In sententiis generalibus pro *quo-eo* ; *quanto-tanto* alia praeterea uti licet ratione ; qua ?

L. Pro *quo* uti licet *ut quisque* cum superlativo ; pro *eo* : *ita* cum superlativo v. g. *Quo* quis est doctior, *eo* est modestior, fit : *Ut quisque* est doctissimus, *ita* est modestissimus.

In morbis corporis *ut quisque* est difficillimus, *ita* medicus nobilissimus atque optimus quaeritur. *Ut quisque* maxime excellit, *ita* maxime vult omnium princeps esse.

M. Haud raro ejusmodi sententiae, dummodo verbum contineant *esse*, omisso *ut quisque-ita* contrahuntur v. g. Ut quidque est optimum, ita est rarissimum, fit : Optimum quidque rarissimum est. Ut malum quodque est notissimum, ita maxime tolerabile est, fit : Notissimum quodque malum maxime tolerabile est.

Cum autem alterum verbum non est *esse*, *quisque* cum superlativo in eo casu collocantur, quem verbum illud recipit v. g.

Non est dubium, quin maximo cuique beneficio plurimum debeatur. Maximae cuique fortunae minime credendum est.

Quid interest inter *plures* et *complures ?*

L. *Plures* est comparativus, quem sequitur *quam*, quod nonnunquam cogitando expletur v. g. Plura vobis exempla protuli quam necesse erat. Quid plura ea de re dicam (quam opus est) ? Solere ajunt reges Persarum plures uxores habere (scil. quam unam). Unus mundus an plures. Librum de bello Punico scripsit et plures alios.

Complures, contra quod significat *aliquot, nonnulli, (quelques-uns, un nombre de)*, non est comparativus v. g. Cicero complures libros oratorios scripsit. Complures scriptores sic censent.

Cum Pompejo complures dies nullis in aliis nisi de re publica sermonibus versatus sum. — Latinum est igitur : Multo plures, sed nunquam *multo complures*.

Licet tamen dicere tam *alios plures* quam *alios complures*.

M. Quam rationem instituis, si binae qualitates alicui rei attributae inter se comparantur ?

L. Gradus major aut significatur adverbio *magis*, aut utrumque adjectivum collocatur in comparativo v. g.

Cajus magis audax est quam fortis. : Vel : Cajus *audacior* est quam *fortior*.

Acrius quam *cautius* dimicat. Disertus magis est quam sa-

piens. Romani bella *fortius* semper quam *felicius* gesserunt. Octavianus Reatinus ad dicendum veniebat magis audacter quam parate. Triumphus *clarior* quam *gratior* fuit.

M. Quomodo hoc explicas exemplum : Cohortes pulverem majorem *quam pro* numero excitabant ?

L Post *quam* cogitando explendum est : *exspectaretur, videretur, opus erat,* etc.

Minor caedes, quam pro tanta victoria, fuit. Major, quam pro numero hominum, pugna editur.

M. Estne haec sententia emendata : Polybio *duo* erant filii, quorum *maximus* in proelio cecidit, *minimus* febri ablatus est ?

L. Falsa est. Cum enim binae res vel bini homines inter se comparantur, comparatio fit comparativo ; cum plures, superlativo.

Ergo : Polybio duo erant filii, quorum *major* in proelio cecidit, *minor* febri ablatus est.

Asia *minor*, Asia major. Gallia citerior, Gallia ulterior.

Duas a te accepi epistolas, respondeo igitur *priori* prius. *Priori* Remo augurium venisse fertur. Pars libri *prior*, pars *posterior*.

Barbam Arabes abradunt praeterquam in *superiore* labro. Quaeritur ex duobus, uter sit *dignior*, ex pluribus, quis *dignissimus*. Similiter facere ait Plato eos, qui inter se contendunt, *uter potius* rempublicam administraret, ut si nautae certarent, quis eorum *potissimum* gubernaret.

Omnes hae Sibyllae, maxime tamen Erythraea, quae *celeberrima* inter ceteras ac *nobilissima* habetur.

Falsum est igitur : Ex his duabus sententiis tua est *verissima*.

M. Quomodo augetur superlativus, Pauline ?

P. Vocabulis : *multo, longe (de beaucoup), vel (peut-être, même), etiam (même), quam (possible), unus (omnium), facile (sans conteste)* v. g. multo ferocissimus ; multo maxima

parte ; longe ditissimus, longe clarissimus, longe primus civitatis, longe plurimum ; vel maximus, vel optimus, vel minimum ; etiam sapientissimus ; quam celerrime, quam maximis itineribus, quam maximus numerus, quam saepissime potuit, quam primum *(le plus tôt possible)* ; unus omnium maximus *(le plus grand de tous)*, rem unam omnium esse difficillimam ; facile princeps.

Tam sum mitis judex *quam qui lenissimus* (scil.*est—je suis aussi indulgent que personne au monde)*. Tam mihi gratum erit *quam quod gratissimum (cela sera pour moi la chose la plus agréable du monde)*. Tam sum amicus reipublicae *quam qui maxime (autant que personne au monde)*.

Praeterea superlativus significatur praepositione *per* cum adjectivo copulata v. g. *per*magnus, *per*multus, *per*pauci, *per*gratus, *per*facilis, *per*jucundus, *per*necessarius, *per*amans, *per*amplus, *per*arduus, *per*iratus, *per*tenuis.

M. Quomodo explicas : *Summus mons* a Labieno tenebatur ?

P. Proprie dicendum est : *Summa pars* montis a Labieno tenebatur. Scriptores tamen vocabulo *pars* omisso adjectivum plerumque conjungunt cum nomine cujus designat partem.

Gallice dicimus : *Le sommet de la montagne.*

M. Quae sunt ejusmodi adjectiva ?

P. Summus, extremus, ultimus, postremus, primus, infimus, imus, intimus, medius, reliquus v. g.

Summa urbs, summa rupes, summa aqua, in summa sacra via.

In hac insula extrema, extremo bello, extremo anno, extremo libro, extremo mense. In extrema fere parte epistolae haec scripta erant.

Tabellarius mihi epistolam reddidit, in qua extrema inveni (= in fine).

Se recepit in ultimam provinciam ; in ultimam Italiam. Se abdidit in intimam Macedoniam. Imum mare *(le fond)*. In infimo foro. Media aestate. Telum medium accensum mittere. In medio colle. Ex medio itinere.

Nonnunquam *medius* conjunctum invenimus cum Ablativo aut cum *inter* praepositione v. g. Megaram mediam *Corintho* Athenisque condidere. Cum *inter pacem* et bellum medium nihil est.

Reliquus exercitus *(le reste)*, reliqua multitudo. Alexandriam reliquamque Aegyptum visere. Sigillis avulsis (Verres) reliquum argentum reddidit.
Prima nocte = prima parte noctis, *(au commencement de la nuit)*, prima luce *(point du jour)*, primo anno, primo mense, primo vere *(au commencement de)*.

M. Quid interest inter *reliqui* et *ceteri* ?

P. *Reliquum* significat id, quod de integro restat et minus valet ; *ceterum* alteri parti contrarium idem valet v. g. Verres sigillis avulsis *reliquum* argentum, quod minus valebat, reddidit. Multi caesi sunt, *ceteri* in fugam se dederunt. Domos opulentas diripuerunt, reliquas incenderunt.

M. Laurentius paulo ante exemplum attulit : Priori Remo augurium venisse fertur ; — nonne licet dicere, Romane : *Prius* Remo augurium venisse fertur ?

R. Non licet profecto. Latinitatis enim auctores adverbiis *primum, primo, prius, postremum, postremo, unum, solum* utuntur, cum illa se referunt ad verbum ; cum vero ad nomen aliquod pertinent, utuntur adjectivis *primus, prior, posterior, postremus, ultimus, solus, unus,* quae genere, numero, casu cum nomine congruunt v. g. Lucillius, eques Romanus, *primus* artem poeticam exercuit.
Falsum est contra *primus fuit, qui... exerceret.*
Tyriorum gens litteras *prima* aut docuit aut didicit. Hispania *postrema* omnium provinciarum ductu Augusti Caesaris perdomita est.

Thrasybulus *solus* initio triginta tyrannis bellum indixit. *Sola* virtus veri honoris mater est. Homo non sibi *soli* natus est, sed patriae et suis. Omnium exterarum nationum *princeps* Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit ; *prima* omnium provincia est appellata.

M. Utrum est latinum : Ego vivo *miserrimus* an : Ego vivo *miserrime* ?

R. Cum adverbio notio aliqua subest, quae eadem subjecto sententiae attribui potest, auctores pro adverbio plerumque adjectivo utuntur v. g.
Socrates venenum *laetus* et lubens hausit. Nemo fere saltat *sobrius*. Sapiens *securus* moritur. *Invitus* dedi pecuniam. *Opportunus* aderat. *Perterritus* ad me venit. *Imprudens* in hoc malum incidi. *Insciens* hoc feci. Illi haud *timidi* resistunt.
Salvus, tardus advenit.

M. Nonne igitur licet dicere : *Tarde* venit, *misere* vivit, *libenter* hoc feci ?

R. Certe licet, cum in ejusmodi exemplis qualitatem actionis magis quam subjecti volumus significare.

M. Estne hoc emendatum : Timoleon *ex Corintho* : Lycurgus *ex Sparta* ?

R. *Ex* praepositio falsa est. Scriptores enim locum, unde aliquis oriundus sit, aut adjectivo a nomine loci appellato significant, aut Ablativo vel Genitivo nominis cum participio *natus* vel *oriundus* v. g.
Timoleon Corinthius, Lycurgus Spartanus, Miltiades Atheniensis, Dion Syracusanus, Pausanias Lacedaemonius.
Vel : Timoleon Corinthi natus ; Pausanias Lacedaemone oriundus.

M. Praeterea adjectivum haud raro locum tenet Genitivi subjectivi vel objectivi vel praepositionis alicujus cum casu suo.

Affer, Severe, exempla.

S. Bellum sociale (pro : sociorum) ; bellum civile, servile, Latinum, Gallicum, Iugurthinum, Mithridaticum, Numantinum, etc.

Tumultus servilis, herilis filius (= heri), Ciceroniana simplicitas, domus regia, domus paterna, sanguis fraternus, oratio Catalinaria (= contra Catilinam), urbs maritima (= ad mare sita), signum marmoreum (= ex marmore factum).

Contra veteres, cum adjectivo idoneo carent, substantivo utuntur v. g. castra *hostium,omnium* gaudium, *corporis* mores, voluptates ; *grammaticorum* praecepta, *bestiarum* crudelitas, *barbarorum* mos, etc.

M. De Ablativo comparationis alias egimus (p. 55).

Quid significat : Themistocles *liberius* vivebat ?

S. Comparativus saepius significat qualitatem, quae aut plus quam par est, aut plus quam solet, viget v. g.

Themistocles liberius vivebat *(trop librement)*. Voluptas cum major est atque longior *(trop)*, omne animi lumen exstinguit.

Caesar ambitiosius se gerebat *(trop)*.

Obscuriora sunt Datamis pleraque gesta (= satis obscura, *un peu)*.

Frumentum in Gallia propter siccitates angustius provenerat *(assez pauvrement)*.

M. Utrum est emendatum : Multi praeclari poetae, an : Multi *et* praeclari poetae ?

S. Oratio emendata plerumque jungit adjectivum *multi* cum adjectivo quod sequitur, conjunctione *et (ac, atque, — que)* Multi *et* praeclari poetae. Multae *et* magnae pollicitationes.

Multi *atque* crudeles tyranni.

M. Quid, ut hanc rem concludamus, de his sententiis judicas :

Cicero *sequentia* opera scripsit : De republica, de legibus,de officiis, etc.

Apud senatum *sequentem* orationem habuit.

Heri *sequentem* a quodam amico accepi epistolam.

Tum res acta est *sequenti* modo.

Anno *sequenti* Augustus mortuus est.

In capite *sequenti* quod quaeris, reperies.

Attende : *sequentia* imprimis ad te pertinent.

S. Ista exempla sermonis latini esse, haud facile concesserim. Neque enim uti licet *sequens*, nisi ad rem se refert, cujusjam mentio facta est v. g. tres libri hujus operis priores Varronis sunt, non item quatuor qui *sequuntur (sequentes)*.

Cum vero nova inducitur res, sermo purus et latinus pro *sequens* utitur pronomine demonstrativo *hoc*. Ergo :

Cicero *haec* opera scripsit : De republica, de legibus, etc.

Apud senatum *hanc* orationem habuit.

Heri a quodam amico *hanc* accepi epistolam.

Res acta est *hoc* modo (vel, *sic, ita)*.

Nunquam sermo purus et latinus admittit neutrum plurale *sequentia*. Ergo :

Attende ; *quae sequuntur (quae proxime sequuntur)*, imprimis ad te pertinent.

Sunt scriptores, ut Livius et posteriores, qui dicant : *sequenti* anno, *sequente* die ; optimi autem latinitatis auctores non conjungunt *sequens* nisi cum loco et numero.Ergo : *Postero anno, postero die, postridie ;* sed etiam : *insequenti* vel *consequenti* anno vel die.

Apud historicos, cum agitur de temporibus praeteritis, invenimus : Hic sequenti tempore in tabernaculo interfectus est. Atrocitas insequentium temporum. Tempora, quae secuta sunt. Tempus, aetas sequens, vel insequens — quem usum imitari licet.

Praeterea latinum est : Pergat legere sequens ; respon-

deat sequens (vel proximus).In capite sequenti,quod quaeris, invenies.

III. DE USU NUMERALIUM.

M. Haud raro fit, ut pueri nominibus numeralibus perverse utantur, usurpando cardinalia, cum distributivis uti deberent v. g. duos oculos habemus, duas aures, duas manus, duos pedes.

Equidem sane duos habeo ; cum vero de duobus vel de pluribus agitur, eorum quisque *binos* habet. Affer aliquot exempla, Turibi.

T. Scipio et Hannibal cum *singulis* interpretibus congressi sunt.

Milites *septena* jugera agri accipiebant. Octavius veteranis *quingenos* denarios dat. Pro *singulis* modiis tritici *ternos* denarios exegit. Pueri *septenum* annorum senatorium nomen nundinati sunt. Dividebatur manipulus in *binas* partes et *singulis* ordinibus *singuli* centuriones praeerant.

Filii ejus *ternos* annos stipendia fecerunt. Magister unicuique discipulorum *binos* libros distribuit. Lex plus *quaternos* equos habere cives vetat. *Bis bina* sunt quatuor, *quater quaterna* sedecim. Homerus pueros puellasque Niobae dicit *bis senos* fuisse. Lunae curriculum conficitur integris *quater septenis* diebus. *Ternas* in hora scribo epistolas. Alexander cuique oppido stipendium *binum talentum* imperavit.

M. Cur dicis *binum talentum* pro binorum talentorum ?

T. Quia numeralia distributiva et nonnulla nomina,quae pecuniam, mensuram, pondus significant, ut nummus, sestertius, denarius, cadus, modius, jugerum, drachma, talentum, amphora, etc., dummodo cum aliquo numerali sint conjuncta, Genitivum pluralis faciunt in *um* pro *orum, arum.*

M. Estne hoc emendatum : Non sunt *duae* Athenae ?

T. Non est profecto, cum nomina *pluralia tantum*, ut Athenae, Thebae, Syracusae, etc.et illa quae pluraliter accepta aliud significant, quam singulariter, ut littera et litterae, castrum et castra, cum numeralibus distributis conjungantur. Ergo : Non sunt *binae* Athenae, *binae* Syracusae, *binae* Thebae.

M. Cum vero in ejusmodi *pluralibus tantum* de distributione non agitur, scriptores pro *singuli* utuntur *uni*, et pro *terni*, *trini*. Vincenti, confirma hoc exemplis.

V. Heri *unas* ad te scripsi litteras, *trinas* ad amicos.

Sed : *Singulas* in mense tibi scribo litteras, *ternas* ad amicos.

Illo loco Romani *trina* castra posuerunt.

Sed : Romani in *singulis* provinciis *terna* castra posuerunt.

Caesar *una* ex *trinis* castris muniri jussit.

Sed : Caesar in *singulis* provinciis ex *ternis* castris *singula* muniri jussit.

Hodie *trinae* nuptiae in hac aede sacra celebratae sunt.

Sed : *Quotidie ternae* minimum nuptiae in hac aede sacra celebrantur.

Ecce duo infantes in *unis* cunis jacentes.

Sed : Ecce *trinae* cunae et in *singulis bini* infantes jacentes.

Trinis catenis erat vinctus.

M. Quando licet dicere *duae* litterae, *duo* castra, *duae* aedes ?

V. Cum de significatione agitur, quam ejusmodi nomina singulariter habent v. g. *duae litterae* duae formae litterarum.

A et *b* sunt duae litterae ; duo castella, duae aedes sacrae.

M. Quomodo Romani numerum designabant, quem Galli *million* appellant ?

V. Nomine proprio carentes hunc numerum multiplicando declarabant : *decies centena millia (un million).* Deux millions : *vicies* centena millia ; trois millions : *tricies* centena millia ; 10 millions : *centies* centena millia, etc. Haud raro invenimus simpliciter : *decies, vicies, centies,* etc. 1,300,000 = *tredecies,* 1,800,000 = *duodevicies* ; 2,100,000 : *semel et vicies* etc.

M. Quomodo Romani exprimebant : 2/5, 6/8, 4/10 etc ?

V. Duae quintae, sex octavae, quatuor decimae (scil. partes). 1/3, 1/4, 1/5, 1/6, 1/2 = tertia, quarta, quinta, sexta, dimidia pars. (*)

M. Utrum melius est : Unus et vicesimus, alter et vicesimus (vicesimus alter) an : Vicesimus primus, vicesimus secundus ?

V. Illud majore in usu est. Item : Unus et tricesimus. Alter et tricesimus vel tricesimus alter.
Unus et viginti milites. Unum et triginta millia equorum.

M. Utrum melius est : Quartus decimus, an decimus quartus ?

V. Optimi latinitatis auctores semper habent : Quartus decimus, tertius decimus, quintus decimus, etc. Numquam vero licet dicere tertius *et* decimus, quartus *et* decimus, sed tertius *et* vigesimus, etc.

M. Quomodo Romani multiplicabant numeros ?

V. Utebantur adverbiis numeralibus et distributivis v.g. Bis bina sunt quatuor ; ter bina sunt sex ; sexies bina sunt duodecim ; quater quaterna sunt sedecim ; sexies sena sunt triginta sex ; novies novena sunt octoginta unum, etc.

M. Utrum est emendatum : Mille passus, an : mille passuum ?

V. Cum *mille* est adjectivum, conjungitur cum Nominativo ; cum est substantivum (= *un millier*), conjungitur cum Genitivo. Mille homines et mille hominum. Mille equitum cecidit (rarius : ceciderunt). Sed *decem millia hominum* in proelio ceciderunt.

(*) Cum denominator uno est major quam numerator, dicere sufficit : duae partes (2/3), tres partes (3/4), quatuor partes (4/5), etc.

M. Estne hoc emendatum : Homines decem millia in proelio ceciderunt ?

V. Quin sit, minime dubito. *Millia* enim sic construi potest :

1. Cum *millia* antecedit nomen substantivum, hoc collocatur in Genitivo v. g. Decem millia *hominum* ceciderunt.

2. Cum vero nomen substantivum antecedit numerum, *millia,* quasi appositio vel complementum in eodem casu ac nomen collocatur v. g. *Homines* decem millia ceciderunt. *Talenta Attica* duodecim millia. *Equites* duo millia capti sunt.

3. Cum *millia* auctum est aliquo numero minore, nomen substantivum aut in eodem casu invenitur ac *millia* aut in Genitivo v. g. Habuit tria millia *trecentos milites.*
Milites tria millia *trecentos* habuit. Habuit militum tria millia *trecentos.* Habuit tria millia militum et *trecentos.*

M. Semper dicimus v. g. *Mille alii* ita censent. *Mille alia* ejusmodi exempla afferre possum. *Mille aliis* idem accidit.

Item invenimus : Potius mori *millies. Millies melius* est. *Plus millies* idem audivimus.

Converte in latinum : *Je connais un homme qui a à une main un doigt de plus et à l'autre un de moins.*

V. Novi eum hominem, qui in una manu uno digito plus habeat, in altera uno minus (Ablativus mensurae).

M. *Tu as reçu de moi plus d'une lettre.*

V. A me plus unam accepisti epistolam (v. p. 55). Eodem modo dicimus : Tribus denariis plus (vel minus) mihi dedisti *(de trop, de trop peu).* Plus unus molitus est perniciem imperatoris *(plus d'un).*

M. Non ita pridem aliquis ex vobis scripsit : In illo

proelio *duae* de viginti naves perierunt — pro : *duodeviginti*, quod numerale est indeclinabile.
Haud difficile fuerit intellectu *duae de viginti* significare : Duae de navibus perierunt, quae numero erant viginti.

IV. DE USU PRONOMINIS.

I. Quomodo utendum sit pronomine reflexivo sui, sibi, se, suus.

M. Raro pueri hunc scopulum salvi praetervehuntur ; quam ob rem usum hujus pronominis accuratius tractare operae pretium esse videatur. Dilucide igitur velim nobis exponas, Corneli, quando pronomine reflexivo sit utendum.

C.Pronomen reflexivum locum non habet nisi in sententia absoluta *(principale)* et in sententia conjuncta *(subordonnée)*. Excluditur sententia annexa *(coordonnée)*.

A. IN SENTENTIA SOLUTA.

Utimur *sui, sibi, se, suus*,cum pronomen se refert ad subjectum agens, quocum unam eandemque personam constituit v. g. *Cajus se* laudat. *Hannibal se* veneno interfecit. Omne *animal se* ipsum diligit. *Virtus* per *se* ponderanda est. *Titus sibi* blanditur. *Veturius sibi* mortem conscivit. *Caesar* civitatem liberam servire *sibi* coegit. *Themistocles* domicilium Magnesiae *sibi* constituit. Septem Graeciae *sapientes* civitatibus *suis* praefuerunt. Id *ille* consecutus est virtute exercitus *sui*. *Quis* non amat patriam *suam*. Bestiis *homines* uti possunt ad *suam* utilitatem.

M. Quid vero, si in ejusmodi sententia est participium aliquod vel gerundium vel Ablativus absolutus ?

C. Nihil refert, cum illa sint partes ejusdem sententiae, quae novas non constituant sententias v. g.

Marius percussorem *contra se missum* vultus auctoritate deterruit. Senatui populus ipse *regendi sui* potestatem tradidit. Etiam ferae *sibi injecto terrore* mortis horrescunt. Diu filiam flevit ab hostibus *sibi ereptam*. Sol lunam nunquam implet nisi *adversam sibi*.Cimon incidit in eandem invidiam *quam pater suus*.

M. Quid, si pro participio vel pro Ablativo absoluto totam interpono sententiam ?

C. In isto genere exigitur pronomen *is, ea, id*, quia ejusmodi sententia interposita non jam connexa est cum subjecto, sed ab illo manat, qui rem narrat v. g. Marius percussorem, *qui contra eum missus erat*, vultus auctoritate deterruit. Diu filiam flevit, *quae ei erepta erat*. Lunam sol nunquam implet, quam *cum ei adversa est*.

M. Utrum est emendatum, Semproni : Dux cum militibus *suis* fugit ; an : Dux cum militibus *ejus* fugit ?

S. Illud est emendatum. *Cum* enim praepositio sententiam simplicem non magis mutat,quam Ablativus absolutus vel participium.

At contra dicimus : Dux *et* milites *ejus* fugerunt, quia *et* constituit sententiam annexam (dux fugit et milites fugerunt), quae non admittit pronomen reflexivum. Nulla enim in ejusmodi sententia est relatio logica cum priore subjecto, sed simplex est enumeratio : Dux militesque *ejus* fugerunt. Omitto Isocratem discipulos*que ejus*. Noë *et* uxor et filii *ejus* ingressi sunt arcam. Admiramur solem *et* pulchritudinem *ejus*.

M. Satis est. Haud raro exempla invenimus, ubi *suus, sua, suum* non ad subjectum sententiae, sed ad aliud nomen se refert v. g. Alexandrum *sua* uxor noctu occidit. Quomodo rem explicas, Calliste ?

C. Minime dubito, quin pronomen *suus* hujus sententiae se referat ad subjectum i. e. ad subjectum logicum.

M. Quod vocas subjectum logicum ?

C. Persona, de cujus salute, commodo vel incommodo agitur, et quae etsi in casu obliquo collocata, tamen ut persona princeps atque subjectum sententiae animo obversatur.
In exemplo : Alexandrum uxor *sua* occidit, *Alexandrum* est subjectum logicum = Alexander ab uxore sua occisus est.

M. Profer alia ejusmodi exempla.

C. Reddidi fratrem *sibi*. Deum testantur opera *sua* (= Deus apparet in operibus suis). *Suis* flammis delete Fidenas. Desinant insidiari domi *suae* consuli. Volscis levatis metu, *suum* rediit ingenium. Quis eum pejus oderat quam servi *sui* ? Antonio collegae *sui* non defuerunt. Hunc pater *suus* de templo deduxit. Regi regnum stabilivit *suum*. Ei alia uxor ducenda est, *sua* cognata. Alexander, quem *sua* voluptas medio in victoriarum cursu reprimebat, a militibus *suis* amabatur. *Suus* rex reginae placet. Erat ei hostis par *sui*. Cui magistri *sui* suaserunt. Exspectabat venientem cum omnibus copiis *suis*. Diffidentem rebus *suis* confirmavit. Nihil eis domo *sua* dulcius. Nihil avem melius ornat quam pennae *suae*. *Sua* vastitas et pulchritudo coelum admirabile reddit. Sunt homines, quos informiae *suae* neque pudeat neque taedeat. Noli invidere improbis prosperitatem *suam*.

Sapientis est proprium ad *suum* arbitrium omnia referre. Cur his libertate *sua* frui non licet ? Utrique patriae salus et dignitas posterior *sua* dominatione fuit. Curent juvenes, ut *suum* senibus honorem tribuant.

M. Rem praeclare expedisti. Sunt tamen ejusmodi exempla, quae quamquam emendata, ambiguitate non careant v. g.
Caesar Fabium cum *sua* legione remittit in hiberna. Asinius Gallus Tiberium victoriarum *suarum* admonuit. Achaei Macedonum regem suspectum habebant pro *sua* crudelitate. Occidit eum cum filiis *suis*.

Quis enim, nisi forte ex contextu liqueat, discernere potest, utrum pronomen se referat ad subjectum sententiae an ad casum obliquum ?

Ut res igitur fiat perspicua, dicendum est : Caesar Fabium cum legione *ipsius* in hiberna remittit », cum de legione Caesaris agitur ; et : « Caesar Fabium cum legione *ejus* in hiberna remittit » cum de Fabii legione agitur.
Eodem modo ambiguitas ex aliis similibus exemplis removenda est.

Quid interest, Fabiane, inter : Hannibalem cives *sui* e civitate ejecerunt ; et : Hannibalem cives *ejus* e civitate ejecerunt ?

F. Utraque sententia est emendata, nisi quod *cives sui* indicat rationem logicam = *quamquam* cives ejus erant ; *cives ejus* autem non est nisi narratio historica, quasi additamentum scriptoris.
Eodem modo sententia : « Cognoscitur Deus ex operibus *suis* » paulum differt ab altera : « Cognoscas Deum ex operibus *ejus*, » cum *ex operibus suis* significet : *quia* ipse ea creavit ; et ex operibus ejus : *quae* Deus creavit.
Apud Ciceronem praeterea inveni : « Verri litterae complures a multis *ejus* amicis afferuntur, » quia hic simpliciter significatur, a quo Verres litteras acceperit ; alio autem loco Cicero habet : Fadius a me diligitur propter summam *suam* humanitatem = quia humanitas Fadii tam propria est, ut nemo eum diligere non possit. Propter humanitatem *suam* indicat rationem logicam ; propter humanitatem *ejus* causam sine ratione logica extrinsecus tantum additam.

M. Quae praecepta de pronomine reflexivo cognovimus sententiae solutae, eadem etiam valent in sententiam conjunctam.

B) In sententia conjuncta.

Quae sententiae conjunctae, imprimis hujus loci sunt, Damase?

D. Hujus loci sunt imprimis constructio Accusativi cum Infinitivo, interrogatio obliqua, sententiae finales (cum *ut* finali), sententiae denique, quae cogitationem aliquam inferunt subjecti sententiae solutae.

M. Quid de ceteris sententiis, quae de conjunctione aliqua pendeant?

D. Et illae hujus loci sunt.

M. Affer jam exempla, in quibus sententia conjuncta constet ex Accusativo cum Infinitivo.

D. Cajus putat istud *sibi* nocere.

M. Quid significat: Cajus putat istud *ei* nocere?

D. *Ei* significat pronomen se non referre ad subjectum sententiae sed ad aliam personam v. g. Sempronium = Cajus putat istud Sempronio nocere.

M. Perge.

D. Sentit animus se vi *sua*, non aliena moveri. Hannibal ratus, legatos *sui* poscendi gratia missos navem clam conscendit et in Syriam profugit. Hostes fatentur bellum *sibi* mali plurimum intulisse. Datamus audit Pisidas quasdam copias adversus *se* parare. Caesar dixit se bella suscipere, ut cives *sui* in pace vivere possent. Socrates multa *sibi* insita vitia, sed ratione a *se* dejecta esse dicebat. Homerum Colophonii civem esse dicunt *suum*, Smyrnaei vero *suum* esse confirmant. Tiberius putabat populos ibi habitare *sibi* inimicos.

M. Affer, Floriane, exempla interrogationis obliquae.

F. Dubitabant Romani, num quis copiis *suis* resistere posset.

Consul nunquam resciscere potuit, quis filium *suum* tam atrociter necaverit.

Orator pervestigat, quid *sui* cives cogitent. Exposuit senatus, cur ea res parum *sibi* placeret. Nervii intelligere non poterant, quam ob rem Caesar *sibi* remisisset obsides. Solon Pisistrato quaerenti, qua spe fretus *sibi* resisteret, respondit: Senectute.

Lentuli legio ignorabat, quantum periculum *sibi* instaret.

Anxius quaerit pater quid filio *suo* sit factum.

Cajus rationem a me poscit, qua de causa *sibi* ad suam epistolam non respondissem. Marcus meminisse non potest, utrum fasciculum fratri *suo* an alii cuipiam de *suis* tradiderit.

M. In his saepius invenimus sententiam explicativam a scriptore interpositam, quae relationem logicam ad subjectum sententiae prioris habens nullam, demonstrativum requirit v. g.

Rex interrogabat legatos, *qui ei credere nolebant,* cur *sibi* non crederent.

Affer jam exempla quae demonstrent sententia conjuncta cogitationem significari subjecti sententiae solutae.

F. Caesar a conatu desistere noluit, quod frumentum *sibi* suppeditare *recusassent*. Caesar castra movere decrevit, priusquam hostes propius *ad se accedissent*. Paetus omnes libros, quos frater *suus reliquisset*, mihi donavit. Cajus venenum bibere noluit, quod judices *se innocentem damnassent*. Accusat amicos, quod *se non adjuverint*. Caesar victurum se sperat, licet duae tantum legiones *sibi essent*. Caesar cum Germanis pacem facere decrevit, quod bellum ducere commodo *sibi esse non putaret*.

Metellus praesidia imposuit in oppidis quae *ad se defecissent*. Hac necessitate coactus Themistocles domino navis, qui sit, aperit, multa pollicens, *si se conservasset*. Nam mihi, scito, jam a regibus ultimis allatas esse litteras, quibus mihi gratias agant, quod *se* (reges) mea sententia *reges appellaverim*.

M. In ejusmodi sententiis subjectum princeps non semper invenitur in Nominativo, sed saepius etiam in casu obliquo, quod supra subjectum logicum appellavimus v. g. Cum *ei* in suspicionem venisset, aliquid in epistola de se esse scriptum (= cum suspicaretur).

A Roscio certior factus est Caesar (= Roscius certiorem fecit Caesarem) magnas Gallorum copias oppugnandi *sui* (Roscii) causa convenisse.

A Caesare invitor, ut *sibi* sim legatus (= Caesar me invitat).

Cum sententia juncta non infert cogitationem subjecti principis, sed simplex continet factum, utimur demonstrativo.

Ceterum omnino pendet ex arbitrio ejus qui scribit, aut referre cogitationem subjecti principis aut factum simplex narrare v. g.

Caesar Rhenum transivit, ut Germanis qui *se provocassent*, terrorem injiceret.

Caesar Rhenum transivit, ut Germanis qui *eum provocaverant* terrorem injiceret.

Sthenius tangebatur animi dolore, quod domum *ejus* ornatam atque instructam Verres *reddiderat* nudam atque inanem.

Vel : quod domum *suam reddidisset* inanem.

Non audit Cicero quae de *eo dicit* posteritas.

Vel : Quae de *se dicat.*

Multi nihil rectum, nisi quod *eis placuit*, ducunt.

Vel : quod *sibi placuerit.*

Chrysogonus hunc sibi ex animo scrupulum, qui *eum stimulat* ac pungit, ut evellatis, postulat.

Vel : Qui *se stimularet* ac *pungeret.*

Affer, Laurenti, exempla, quae usum pronominis reflexivi demonstrent in sententia finali (ut).

L. Hannibal imperavit puero, ut propere *sibi* nuntiaret, num undique obsideretur. Ubii orabant, ut *sibi* Caesar auxilium ferret. Cajus me rogavit, ut filium *suum* erudiendum susciperem.

Herculi Eurystheus imperavit, ut arma reginae Amazonum *sibi* afferret. Tyrannus petivit, ut *se* ad amicitiam tertium adscriberent.

Lysander nihil aliud molitus est, quam ut omnes civitates in *sua* potestate teneret. Caesar ab hostibus impetravit, ut *sibi* obsides darent. Sapiens curat, ut ante senectutem vitia *sua* exstirpet.

Piso Marcum coegit ut veniam *suam* peteret. Tiro omnia conatus est, ut uxorem *suam* sanaret. Studeant pueri, ut gratiam praeceptorum *sibi* concilient. Id ea de causa Caesar fecit, ne *se* occupatum hostes opprimerent.

M. Nonne sententia quoque consecutiva hujus loci est ?

L. Non est nisi *idem subjectum habet quod sententia* soluta v. g. Verres tanta avaritia erat, ut *sibi* resistere non posset, cum vidit argentum aut vas pretiosum. Ita vixit, ut nunquam quidquam *sibi* negaret. — Labienus adeo celer erat, ut legionem *suam* minimo temporis spatio trans fluvium trajiceret. Nemo tanta ignavia erat, ut saltem *suos* defenderet.

Si vero sententia consecutiva proprium habet subjectum, requiritur demonstrativum v. g.

Xerxes adeo angusto mari conflixit, ut *multitudo* navium *ejus* explicari non potuerit. — Res rusticae ejusmodi sunt, ut *eas* non ratio sed labor tempestatesque moderentur. — Pompejus id saltem effecit, ut *hostes* a castris *ejus* recederent. Epaminondas erat disertus, ut *nemo ei* par esset eloquentia.

M. Saepius inveniuntur bina subjecta alterum in sententia soluta, alterum in sententia conjuncta v. g. Dionysius filias tondere docuit, ut *(filiae) sibi* capillum adurerent. Quid in isto genere de pronomine ?

L. Pronomen ex praeceptis, quae supra constituimus, se refert ad subjectum ejusdem sententiae, in qua invenitur v. g.

Caesar Pompejum admonuit, ne (Pompejus) *sibi* diffideret. Subjectum autem illius sententiae est *Caesar*, hujus *Pompejus*.

M. Negari non potest ejusmodi exempla inveniri apud scriptores v. g. Ariovistus ait neminem *secum* (Ariovistus), sine *sua* (nemo) pernicie contendisse. Patres conscripti legatos in Bithyniam miserunt, qui a rege peterent, ne inimicissimum *suum secum* haberet *sibique* dederet. Scythae petebant, ut ille regis *sui* filiam *sibi* jungeret.

Hortensius ex Verre quaesivit, cur *suos* (Hortensii) familiarissimos rejici passus esset. Livius Salinator Fabium rogavit, ut meminisset, opera *sua* (Livii) *se* (Fabium) Tarentum recepisse.

At videsne crebriorem usum pronominis reflexivi in eadem sententia, inducere in ambiguitatem ?

Quid igitur facies, ut ambiguitatem evites ?

L. Designabo subjectum sententiae solutae *ipse* pronomine v. g.

Caesar Pompejum admonuit, ne *ipsi* diffideret. Dionysius filias tondere instituit, ut *ipsi* capillum adurerent. Narzabanes et Bessus Artabazum orabant, ut causam *ipsorum* tueretur. Iugurtha legatos ad consulem mittit, qui *ipsi* liberisque vitam peterent.

Interpellavit Marcus centurionem, cur filium *ipsius* ex tanto periculo non eripuisset.

Sperat infelix mater filias suas *ipsi* consulturas esse.

Caesar suos graviter incusat, quid tandem vererentur, aut cur de *sua* virtute aut de *ipsius* diligentia desperarent.

M. Pronomen reflexivum deinde frequenter invenimus in sententiis generalibus, quarum subjectum est *aliquis*. Affer, Pauline, aliquot exempla.

P. Deforme est de *se* praedicare. Bellum est *sua* vitia nosse.

Haec est omnis sapientia non arbitrari *se* scire, quod nesciat. Cui proposita est conservatio *sui*, necesse est huic partes quoque *sui* caras esse.

Item dicimus : aestimatio *sui*, amor *sui*, neglectus *sui*, contemptus *sui*, ignoratio *sui*, memor *sui*, compos *sui*, miseratio *sui*.

Quantum in *se* fuit (= quantum potuit) — Cicero vero semper :

Quantum in *ipso* fuit.

Omnia *suo* tempore, omnia *suo* loco, *sua* occasione, etc.

M. Unde fit, ut vel optimi scriptores, ut Cicero et Caesar praecepta de pronomine reflexivo, quae ab omnibus fere observantur, nonnullis locis neglexerint ?

P. Relationem pronominis ad subjectum obliti se ipsos vel aliam personam substituisse videntur v. g.

Helvetii Rauracis persuadent, ut vicis oppidisque exustis una cum *iis* (pro : *secum*) proficiscantur. Helvetii sese Allobroges vi coacturos existimabant, ut per suos fines *eos* (pro : *se*) ire paterentur.

Audistis nuper legatos dicere, Mercurium, qui sacris anniversariis apud *eos* (pro : *apud se*) coleretur, Verris imperio esse sublatum.

M. Quomodo hanc explicas sententiam : Bellovaci suum numerum non contulerunt, quod se suo nomine cum Romanis gesturos bellum *dicerent ?*

P. Cicero et alii auctores sententias ut : *quod* vel *quia dicebat, quod credebat* cum cogitatione subjecti conjungunt, cum nihil sunt nisi commentarium scriptoris. Licet tamen eos imitari v. g.

Cum Hannibal permissu exisset de castris, rediit paulo post, quod se oblitum nescio quid *diceret* (pro : quod se oblitum esse dicebat).

Ab Atheniensibus locum sepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri *dicerent*.

C. De pronomine sententiae annexae.

M. Quibus conjunctionibus utimur, Romane, ad annectendam sententiam aliquam alteri praecedenti ?

R. Conjunctionibus et, atque,que, etiam, quoque,neque, tamen, sed, verum, vero, at, atqui, autem, aut, vel, nam, enim, ideo, idcirco, itaque, propterea, ergo, igitur, proinde.

M. Quod pronomen suo loco est in ejusmodi sententiis ?

R. Cum pronomen tertiae personae invenitur in sententia adjuncta ibique se refert ad subjectum alterius sententiae, requiritur demonstrativum v. g.
Camillus e patria expulsus est, *sed* non multo post cives *ejus* desiderium cepit.
Germani agriculturae non student major*que* pars victus *eorum* lacte, carne et caseo constat.
Cleopatra sibi aspidem admisit *et* veneno *ejus* exstincta est.
Themistocles liberius vivebat, *quam ob rem* inimici *eum* accusabant.
Cajus est vir probus, filii *autem ejus* laude indigni.
Hannibal diu in Italia fuit, *sed* nemo *ei* in acie restitit.

D. De pronomine orationis obliquae.

M. Cum in oratione obliqua pronomen se refert ad subjectum sententiae principis, utimur *sui, sibi, se, suus* et in Nominativo *ipse*.
Ceterae personae significantur pronominibus *ille* vel *is(hic, iste)*.
Affer, Severe, exempla.

S. Themistocles ad Ephoros Lacedaemoniorum accessit atque apud eos contendit :
Falsa *his* esse delata ; quare aequum esse, *illos* viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent ; interea *se* obsidem retinerent.

Critias ceterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas *ipse* Athenis constituisset.
Quare, si *suas* res manere vellet, *illum* persequeretur.

Legationi Caesaris Ariovistus respondit : *se* non sine exercitu in eas partes Galliae venire audere, quas Caesar possideret ; *sibi* autem mirum videri, quid in *sua* Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari aut omnino populo Romano negotii esset.

Ariovistus ad postulata Caesaris respondit : *Se* prius in Galliam venisse quam populum Romanum. Nunquam ante hoc tempus exercitum populi Romani Galliae fines egressum esse.
Quid *sibi* vellet ? Cur in *suas* possessiones veniret ? Provinciam *suam* hanc esse Galliam, sicut illam nostram.

2. De pronomine personali.

M. Estne haec sententia latina, Turibi : *Ego* te moneo, ne illud facias ?

T. Pronomina personalia *ego, tu,* etc. plerumque significantur exitu verbi v. g. mone*o*, mone*s*, mone*t* ; utendum est tamen pronomine, cum de comparatione aliqua agitur v. g. *Ego* reges ejeci, *vos* tyrannos introducitis.
Eo die *nos* quoque multa verba fecimus.
Praeterea in oratione incitata pronomen haud raro conjungitur cum Imperativo et cum interrogatione indignabunda v. g.
Tu vero, inquit, perge. *Tute* introspice in mentem tuam ipse.
Tu in forum prodire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum venire conaris ?
Tu a civitatibus pecunias classis nomine coegisti.

Saepius etiam pronomen personale invenitur cum appositione aliqua conjunctum v. g. Ego, *homo* imperitus juris.

Neque dicimus : Nihil *me* impedit, nihil *me* prohibet, *ne* vel *quominus* id faciam ; sed : Nihil impedit, quid impedit, ne faciam.
Nihil impedit quominus... facere possimus. Nec aetas impedit, quominus litterarum studia teneamus.

Nonnumquam denique Genitivum invenimus *nostrum*, *vestrum*, qui non est partitivus, sed *nostri*, *vestri* locum tenet v. g. frequentia *vestrum* (= vestra). Quis erit tam cupidus *vestrum* ? Recordamini quantus consensus *vestrum* (= vester) fuerit. Veneramini illum Jovem, custodem hujus urbis ac *vestrum*.

Semper invenimus : *omnium nostrum*, *omnium vestrum*.
Patria, quae communis est *omnium nostrum* parens.

M. Modo dixisti : *Tute* introspice in mentem tuam ipse. Quid significat *tute ?*

T. Pronomen personale augeri potest particula *met* quae significat *ipse* v. g.
Egomet, mihimet, semet ; nunquam vero *tumet*, pro quo scriptores dicunt : *tute*, vel *tutemet* ; nec temet, sed *tete*.
Praeterea plerumque additur *ipse* v. g. egomet ipse, mihimet ipse, nosmet ipsi, vobismet ipsi.
Rarissime invenitur *ipsemet*, quod non est imitandum.
Eodem modo particula *met* conjungi potest cum omnibus casibus pronominis possessivi, et particula *pte* cum ablativo singulari, quorum utrumque idem significat quod *proprius* v. g. Meamet facta confiteri. Suismet manibus. Suamet fraude. Intra suamet ipsum moenia compulere. Suapte manu filium occidit. Suopte pondere. Tuopte ingenio. Nostrapte culpa. Meopte consilio.

3. De pronomine possessivo.

M. Estne hoc latinum, Vincenti : Tolle oculos *tuos ?*

V. Non est vero, cum Latini pronomine possessivo, nisi res postulat, nunquam utantur.
Abunde igitur sufficit : Tolle oculos.

Flet filius de patris morte. Extende manum. Tene linguam. Adverte, attende animum ad hoc. Vitam ruri degit. Os aperuit. Cum animo cogitare, apud animum statuere. Sed etiam : cum animo *suo* recordari, volvere, reputare, in animum *suum* inducere.

Pronomine possessivo praeterea uti necesse est, cum de comparatione aliqua agitur, aut sensus sententiae non satis est perspicuus v. g.
Amicior omnium fuit libertati, quam *suae* dominationi.
Septem Graeciae sapientes civitatibus *suis* praefuerunt.
Cinna collegae *sui*, consulis Octavii caput praecidi jussit.
Bestiis homines uti ad utilitatem *suam* possunt.
Majore cum pondere pronomen *suus* nomini praeponitur v. g. *Mea* manu.
Mea sententia, *mea* sponte, *suo* nomine, *suo* Marte, *nostra* causa.

M. Estne hoc emendatum : *Nullum verborum tuorum* verum est ?

V. Non est profecto, ut jam alias de Genitivo partitivo demonstravimus.
Dicendum est : Nullum verbum tuum. Pauca dicta nostra. Multa instituta nostra. Quot cives nostri ? Nullus meus liber.

Neque dicimus : Cicero, in libro suo, sed : Cicero in *eo* libro, quem scripsit de amicitia. Cicero in *eo* libro, qui inscribitur Laelius.

Neque latinum est : Noster Cicero, noster poeta, noster locus (i.e. quem tractamus), sed : *hic* vel *ille* Cicero, *hic* locus.

4. De pronomine demonstrativo.

M. Quid interest inter *hic* et *ille*, Ambrosi ?

A. *Hic* designat id, quod loco vel tempore a loquente propius abest ; *ille*, quod est remotius v. g. Haec urbs, hi mores, haec tempora, haec aetas, haec magnificentia, hic mundus.
Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro fuit conditus.
Ille Epaminondas, illa Medea, vafer ille Sisyphus. Praeclarum illud Ciceronis. Illi majores nostri.

Hic saepius appellatur pronomen primae personae (ego) v. g. *hic* frater *meus* ; *iste* pronomen secundae personae v. g. *iste* frater *tuus* ; *ille* pronomen tertiae personae v. g. *ille* frater *ejus*.

M. *Iste*, pronomen, quod haud raro perverse usurpatur, accuratius velim describas.

A. Quotiescunque pronomen referri potest ad secundam personam *(tu, tuus)* vel ad aliquid, quod ad eam pertineat, ut verba, virtutes, actiones, tempus, res, locus, etc. utendum est pronomine *iste* v. g.
Ista quidem vera sunt (quae tu dixisti). Qui sunt *isti* (de quibus locutus es) ?
Ista (tua) stultitia haud facile sui similem habet. Nemo ab *ista* (tua) molestia te liberare potest. Mox veniam *istuc* (ubi tu es). Interea mihi scribas velim quid *istic* agatur. Urbs *ista* (ubi es) haud parum amoena sit oportet.

M. Quae alio huic pronomini subjecta est notio ?

A. Notio ironiae et contemptus v. g. *Isti* me doceant ? Ostendam, quo amico *isti* erga vos sint animo. Videte, quae *istae* sint copiae.
Istos non timemus. Mollities esset *ista*, non virtus.
In causa forensi defensor adversarium significat pronomine *iste*, defendendum pronomine *hic*.

M. Quando utimur *ille* pro *hic* ?

A. Cum id quod enuntiatur contrarium est sententiae antecedenti.
Illud perlibenter audivi te esse, etc. *Illud* animorum corporumque dissimile quod, animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt.
Sed hoc commune vitium, *illud* Epicuri proprium, quod censet...
Sed haec leviora, *illa* graviora.

M. Quid significat *hic*, cum se refert ad nomen proprium aliquod praecedens ?

A. *Hic vir* v. g. Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. *Hujus* vitia ineuntis adolescentiae magnis emendata sunt virtutibus.
Ejusdem fere temporis fuit C. Titus. *Hujus* orationes tantum argutiarum habent, etc.

Cum de binis rebus sermo fuit, *ille* se refert ad priorem, *hic* ad posteriorem v. g. Caesar beneficiis atque munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato ; *ille* (Caesar) mansuetudine et misericordia clarus factus, *huic* severitas dignitatem addiderat *(le premier — le dernier)*.

M. Invenimus praeterea : *hic* dolor, pro : hujus rei dolor. — Hic timor, pro : hujus rei timor. — *In* vel *ex eo* numero, pro : in numero eorum, qui.

Item demonstrativum saepius ab adjectivo separatur adverbio.
Hae *tam* variae artes. Hic *tam* singularis mos. Ad hoc *tantum* opus.
Haec *tanta* clades. In hoc *igitur* tanto tam immensoque campo.
Ut huic *vix* tantulae epistolae tempus habuerim.

Estne hoc emendatum : Nemo vestrum, *hoc scio*, mei memor erit ?

A. Latini in ejusmodi sententiis interpositis solo verbo

utebantur, nunquam pronomine. Nemo vestrum, *scio*, mei memor erit.

Eodem modo : *credo, audio, opinor, spero*, etc.

M. Quid tibi videtur de hac sententia : Frigido perflatu *mihi* morbum contraxi ?

A. Latinum est : Frigido perflatu morbum contraxi (sine *mihi)*.

Contraxi morbum, culpam, odium, invidiam, etc.

Neque dicimus : Qui de virtute praecipiunt, *(les moralistes) nos* docent multa, quae ipsi non faciunt ; sed : *docent multa*, quae....

5. De pronomine determinativo.

M. Quid significat *is*, Corneli ?

C. Significat : *celui* et plerumque conjunctum est cum relativo *qui* v. g. *Is, qui* patriam non amat, indignus est beneficiis ejus.

Item significat tertiam personam (= *il*) idemque quod majore cum pondere *ille, hic* v. g. Mihi obviam venit puer tuus : *is* mihi litteras reddidit.

M. Quid significat : *et is, atque is, isque, (nec is, neque is)* ?

C. Vim habent explicativam v. g. causas *et eas* tenues *(et cela)* ; cum una legione *eaque* vacillante ; litterae *nec eae* vulgares.

Cum vero pronomen se refert ad verbum vel ad totam sententiam, dicimus *idque*.

Exspectabam tuas litteras *idque* cum multis. — Apollonium doctum hominem cognovi *idque* a puero. Negotium magnum est navigare *idque* mense Quinctili.

M. Estne haec sententia emendata : Ciceronis epistolae mihi placent plus quam *eae* Plinii ?

C. Istud haud facile concesserim. Cum enim una de re duo nomina inter se comparantur, pronomen, quod se refert ad illam, omittitur.

Morbi animi periculosiores sunt, *quam corporis* (ac non : quam ii corporis). Haec epistola non suasoris est, sed rogatoris. Ei statuam collocarunt, ubi aliorum erant imperatorum. In exercitu Sullae fuit et postea in M. Crassi. Quod in nostris rebus vituperandum est, in amicorum fiunt honestissime. Ex Ciceronis epistolis plus disco, quam ex Plinii.

Cum vero casus nominis communis altero loco est diversus, nomen plerumque repetitur v. g. Nulla est *celeritas* quae possit cum animi *celeritate* contendere.

M. Quid habes quod opponas huic sententiae: Pater amat liberos et tamen *eos* castigat ?

C. Pronomen omittitur, cum in eodem casu obliquo est, quo nomen. Ergo : Pater liberos amat et tamen castigat. Multos illustrat fortuna, dum vexat.

M. Cavete praeterea, ne *is* utamini, cum jam continetur participio, quod inchoat sententiam v. g. Vercingetorix omnem ab se equitatem noctu dimisit. *Discedentibus* mandat, ut...

Nec dicere licet : *hoc* declarat, *hoc* testis est ; *hoc* indicio est ; sed : declarat, testis est hujus rei, indicio est.

Nec : Quantum in *eo* fuit, bene de republica meritus est ; sed : Quantum in *se* fuit, quantum in *ipso* est vel fuit.

Quid tibi de hac sententia videtur : Qui fortis est, *idem* quoque (vel etiam) est fidens ?

C. Latini nunquam dicunt *idem quoque, idem etiam*, sed : *idem*.

M. At hoc emendatum esse videtur : Musici qui quondam *etiam* erant poetae; nonne ?

C. Neque hoc est emendatum. Cum enim de uno subjecto duae res dicuntur, non licet uti *etiam*, sed *idem*. Ergo : Musici, qui *iidem* quondam erant poetae. Tullia mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu *idem* natalis erat et Brundisinae coloniae.

Libera, quam *eandem* Proserpinam vocant. — Non omnes qui Attice, *iidem* bene; sed omnes, qui bene, *iidem* Attice dicunt.
Ex quo efficitur, ut, quidquid honestum sit, *idem* sit utile. Itaque se contulit ad Pharnabazum, satrapem Ioniae et Lydiae, *eundem*que generum regis et propinquum.

Si contra *idem* dicitur de pluribus personis vel rebus, utimur *item* vel *ipse quoque, et ipse* v. g. Tu tuum esse dicis; ego *item* ajo esse meum. Romulus augur cum fratre *item* augure. Hoc in Libera servant, in Libero non *item*. Litterae mittuntur isti a patre vehementes, ab amicis *item*. Spectaculum uni Crasso jucundum, ceteris non *item*. Ipse cum telo esse, *item* alios jubere.

Victor ex Aequis in Volscos transiit et *ipsos* bellum molientes.
Qui *et ipse* crus fregerat (ut ceteri.) Rex *ipse quoque* pugnavit (ut ceteri.)

M. Quomodo explicas hanc discrepantiam pronominis *ipse*: Mea *ipse* vigilantia rempublicam servavi; et: Mea *ipsius* vigilantia vos salvi estis?

C. *Ipse* est in Nominativo, cum persona subjecti eadem est ac pronominis possessivi; cum non est eadem, requiritur Genitivus *ipsius*.
Meam ipse legem negligo; *tuam ipse* legem negligis, etc.
Ipse sua manu fecit. Eam fraudem *vestra ipsi* prudentia vitastis.
Nec hostes timebat, sed *suosmet ipse* cives.

At: Aves foetos suos libero coelo suaeque *ipsorum* fiduciae permittunt.
Nostra *ipsorum* opera vicistis. Mea *ipsius* vigilantia salvi estis.

Nominativus *ipse* praeterea plerumque conjungitur cum pronomine reflexivo v. g. *Ipse* me consolor. Per nos *ipsi* bellum gessimus.

Ipse se interfecit. Manus sibi *ipse* intulit. De se *ipse* praedicat. Virtus per se *ipsa* placet. Medici se *ipsi* curare non possunt.
Nunc ipsum significat: *en ce moment même*; eodem modo: *tum ipsum*. — Dyrrhachio sum profectus *ipso* illo die *(précisément le jour)*, quo lex est lata. Tulliola mea praesto fuit natali suo *ipso* die. — Triginta dies erant *ipsi*, cum...
Ipso suo nomine eos deterruit.

M. Nolite dicere: Ipsemet ego, sed egomet ipse, mihimet ipse, memet ipse, nosmet ipsi; tute, vel tutemet.

Apud Plautum invenimus: *ipsissimus*, quod, quia pronomen comparativo et superlativo nimirum caret, non est imitandum.

Cavete praeterea dicatis: *Ipse unus* dies mihi utilis erit. *Ipsi fortissimi* milites, *ipsi eloquentissimi* oratores, omnia *ipsa maxima*; nihil timet, *non ipsas* tuas minas.
Sed: *Vel unus* dies mihi utilis est. *Vel fortissimi* milites, *vel eloquentissimi* oratores, omnia *vel maxima*; nihil timet, *ne minas quidem tuas*.

6. De pronomine interrogativo.

M. Quae sunt pronomina interrogativa, Faustine?

F. *Quis*, et *qui, quae, quod*, quorum illud in genere masculino est substantivum et adjectivum; hoc plerumque adjectivum.
Quis clarior Themistocle? *Cujus* es? *Quod facinus* commisit vel: *quid facinoris* commisit? Quam mulierem habes, vel quid mulieris habes? Quod templum vis significare?
Quis homo est? Quis rex, quis miles, quis locus?
Qui raro est substantivum neque invenitur nisi in interrogatione obliqua v. g. Themistocles domino navis, *qui* sit, aperit.
Hoc praecipue fit cum verbum, quod sequitur, ab s littera incipit.

Qui sis, considera. Non possum oblivisci, qui fuerim, non sentire, *qui sim*.

M. Quid interest inter : Quis homo est ; et : Qui homo est ?

F. Illud rogat nomen ; hoc qualitatem. Respondeo : Ille est Sempronius. — Qui Sempronius ? — Frater consulis.

M. Estne hoc emendatum : *Ubi* est modus in rebus.

F. In ejusmodi interrogationibus, quae plerumque sunt negativae, Latini utebantur *quis*, non *ubi* v. g. *Quis* tandem est orator, qui cum Demosthene comparari possit. *Quis* est, qui eum non hostem existimet ? *Quae* civitas antea unquam fuit, quae non portus suos et agros per se ipsa defenderet?

7. De pronomine indefinito.

(Quis, aliquis, quispiam.)

M. Quid habes, quod de his dicas ?

F. *Quis* (non *qui)* invenitur substantivum in sententia soluta ; praeterea conjunctum cum relativo v. g.
Dixerit quis. Dicet aliquis, dicet quispiam. *Quo* quis est melior, eo est modestior. *Ubi* semel quis pejeraverit, ei postea credi non poterit.
Quanto quis est nequior, tanto crudelior. Fieri potest, ut recte quis sentiat.
Non igitur faciat, dixerit quis, quod utile sit.
Aliquis plerumque invenitur in sententiis affirmativis, *quis* in affirmativis et negativis.

Aliquis conjunctum cum *si*, *nisi*, *num*, *quo*, *quanto* fit *quis* et *qui*. Consul videat, *ne quid* respublica detrimenti capiat. Quaeritur *num quod* officium aliud alio majus sit. *Si quis* quem imprudens occiderit. *Si cui* quid ille promisisset. Si aurum cui commonstratum vellem. Si qui, si qua, si quando, sicubi, necubi.

M. Cavete dicatis *quis* pro *uter* cum de duobus agitur ; aut *nemo*, *nullus* pro *neuter*.

Quid significat *uterque* ?

F. Lingua Gallica : *l'un et l'autre, tous les deux*.

M. Quando utimur *uterque* singulariter, quando pluraliter ?

F. Singulariter, cum se refert ad nomina singularia. *Uterque orator* (v.g. Cicero et Demosthenes); *uterque exercitus* (v. g. Romanorum et Gallorum) ; *uterque parens* (sc. pater et mater) ; pluraliter, se refert ad nomina pluralia. *Utrique* (v. g. Stoici et Epicuraei) hoc docebant. *Utrique* (v.g. Galli et Romani) pacem desiderabant ;

deinde, cum alterum nomen est numeri pluralis. Utrique (v. g. Caesar et *Galli*) pacem desiderabant ;

tum, cum *uterque* conjunctum est cum *plurali tantum* v.g. utraque *castra* ; utraeque *nuptiae* ; utrasque *litteras* ;

praeterea, cum *uterque* ad duas notiones singulas se referens est appositio praedicati, a quo attrahitur v. g. duae nobis sunt filiae, *utraeque* jam nuptae. Cum Scipione et Tiberio Longo manum conseruit *utrosque* profligavit ;

denique cum *uterque* conjungitur cum nominibus collectivis v. g. *utraque* cornua ; *utraque* oppida ;

postremo cum duae notiones singulae natura, cognatione, officio inter se sunt conjunctae v. g. utrique Dionysii. Duae fuerunt Ariovisti uxores : *utraeque* in fuga perierunt.

Binos habebam scyphos : jubeo promi *utrosque*.

M. Utrum est emendatum : uterque parens *mortuus est*, an *mortui sunt* ?

F. Apud Ciceronem verbum semper congruit cum numero pronominis : *uterque* parens *mortuus est*. Neque tamen desunt boni scriptores, qui plurali utantur v.g. Uterque exercitum educunt. Uterque ambigui erant.

M. Licetne dicere : Uterque *consulum*, uterque *ducum* ?

F. Latinum est : Uterque consul, uterque dux, uterque exercitus.
Licet vero dicere : *Uterque nostrum*, vestrum, illorum, horum ; quorum uterque. Sed raro invenitur v. g. *quod utrumque* nego.
Item licet dicere : *hi* utrique, *a quibus* utrisque.

M. Estne hoc emendatum : Uterque nostrum consentimus ?

F. Falsum est, quia subjectum sententiae est *uterque*, quocum verbum congruit. Ergo : Uterque nostrum consentit. Uterque nostrum negat. Uterque nostrum audivit. Idem valet in *plerique nostrum*, ut alias vidimus.

M. Estne hoc emendatum : Uterque utrumque contemnit ?

F. Est illud quidem emendatum, sed melior oratio prosa habet : Uterque *alterum* contemnit.

M. Veniamus ad *quisquam*, *ullus*, quorum illud est substantivum, hoc adjectivum. Quomodo utendum est his pronominibus, Libori ?

L. Utroque utimur in sententiis negativis v. g. Cave turpe *quidquam* facias. Non reperitur *quisquam*. Nemo reperitur inimicior patriae. Estne *quisquam*, qui nesciat ? Negat a suo procuratore *quidquam* esse scriptum. Interdicit omnibus, ne *quemquam* interficiant. An potest *quisquam* sine perturbatione animi irasci ? Num *quemquam* eo pluris facit ? Neque *quisquam* respondit, nec *quidquam* accepit, nec *quidquam* concessit.
Vix *quisquam* mortem ejus aegre tulit. Quasi *quisquam* ei injuriam intulerit. Nego ante mortem *quemquam* esse beatum praedicandum. Noli *quidquam* sequi, quod assequi non queas.
Nec ulla est disputatio, in quam non *aliquis* locus incurrat.
Quae potest spes esse in ea republica, in qua nec leges *ullae* sunt nec judicia.

M. At *quisquam* etiam invenitur in sententiis affirmativis ; nonne ?

L. In sententiis, quae speciem praebent affirmationis, revera autem sunt negativae, ut interrogatio rhetorica, comparativus et quaedam sententiae conditionales v. g.
An *quisquam* Croeso divitior fuit ?
In crucem tu agere ausus es *quemquam*, qui civem Romanum se esse diceret ?
Hic mihi *quisquam* misericordiam nominat ?
Videte, quanto tetrior hic tyrannus fuit, quam *quisquam* superiorum.
A quo majus periculum quam ab *ullis* nationibus extimescendum est.
Catilinae corpus patiens erat inediae supra quam *cuiquam* credibile.
Si *ulla* mea apud te commendatio valuit, haec ut valeat rogo.
Si *quisquam* est timidus, is ego sum. Aut enim nemo, aut si *quisquam*, ille sapiens fuit. Omnino si *quidquam* est decorum, nihil est profecto magis quam aequabilitas universae vitae.

M. Quid de hac sententia judicas : Hostes sine *aliqua* injuria transierunt ?

L. Falsa est ; *sine* enim negatio est. Ergo : sine *ulla* injuria.
Si vero negatio antecedit, *sine* fit affirmatio v. g. Hostes *non sine aliqua* injuria transierunt. *Non sine aliquo* tremore ad regem accessi. *Non sine aliqua* dubitatione negotium suscepi.

M. Licetne dicere : Sine *omni* periculo huc perveni ?

L. Hoc genus invenitur apud poetas ; sed prosa oratio semper habet : Sine *ullo* periculo.

M. Quid interest inter : Testamentum diligenter perlegi,

ne *quidquam* erroris in eo relinqueretur, et : ne *quid* erroris relinqueretur ?

L. Illud significat : ne ullus omnino, ne minimus quidem error relinqueretur ; hoc non omnino excludit notionem erroris, sed partim tantum, quapropter pronomen vim suam affirmativam retinet.

M. Estne haec sententia emendata : Ignoscere inimicis *aliquid magnum* est ?

L. Non est latina ; Romani dicebant : Ignoscere *magnum* vel *res magna* est. Venire tibi *facile* est ; meminisse *jucundum* est. Sic vivere *miserrimum* est. Hoc duco *miserum*. Mori *terribile* est.

Aliter res se habet in sententiis, ubi aliquid est *objectum* necessarium verbi transitivi v. g. Audivi *aliquid triste*. Aliquid gravius, memorabile, triste vobis narrabo. Audivi aliquid novi ; aliquid novum et memorabile. Vide, ne ista lectio multorum auctorum habeat aliquid vagum et instabile.

Item dicimus : Cajus se putat *aliquid esse*.

M. Quid significat *quidam*, Probe ?

P. Personam vel rem, quam orator nomine designare aut non vult aut non potest v. g. Quidam ex advocatis. Quidam de collegis nostris. Quodam tempore. — Nonnumquam conjunctum est cum nomine ignoto v. g. Interim Argilius quidam vincula laxavit.

M. Quid significat *quidam* conjunctum cum adjectivo ; quid conjunctum cum substantivo ?

P. Conjunctum cum adjectivo significat : omnino, vere, praeter morem, mire, mirifice, incredibiliter ; cum substantivo, cui saepius additum est *quasi, tamquam*, significat : *genus*, vel : *ut ita dicam, quodam modo* v. g. Incredibilis *quaedam* magnitudo ingenii atque consilii. Munere *quodam* necessitatis et gravi opere perfungimur. Novum *quoddam* genus dicendi. Divina *quaedam* facultas eloquendi.

Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent *quoddam* commune vinculum et quasi cognatione *quadam* inter se continentur.

M. Quid significat *quisque ?*

P. Huic pronomini contrarium est *omnes* v. g. Omnes laudati sunt, donati pro merito *quisque*.

M. Expone quod de hoc pronomine dici potest.

P. Hoc pronomen semper subsequitur pronomen *reflexivum* v. g. *Sui cuique* mores fingunt fortunam. Tribuendum est *suum cuique*. *Sua quemque* fraus et suus terror vexat. Res familiaris *sua quemque* delectat. *Suum quisque* noscat ingenium.

Item subsequitur *superlativum* v. g. *Sapientissimus quisque* virtutem maxime amat. Omnes idem faciunt, sed *optimus quisque* optime. *Optimum quidque* rarissimum est. In *optimis quibusque* honoris certamen est et gloriae.

Item subsequitur *numeralia ordinalia* v. g. *Quinto quoque* anno Sicilia censetur. Non omnibus annis hoc fit, sed *tertio quoque* anno. Olea non continuis annis, sed *altero quoque* anno fructum affert. Metellus *tertio quoque* verbo orationis suae me appellabat. *Primo quoque* tempore Romam veniam (= quam primum).

Item subsequitur *relativum* v. g. *quam quisque* norit artem, in hac se exerceat. *Quanti quisque* velit, tanti aestimet. *Quod cuique* obtigit, id quisque teneat.

M. Falsum est : anno quoque, die quoque, nocte quaque, pro : *singulis annis, singulis diebus, singulis noctibus*.

Falsum est : Singulis quinque annis, pro : Quinto quoque anno.

Falsum est : *Vix decimus fugit* ; *vix centesimus scit* Graece, pro : *Vix decimus quisque* fugit ; vix *centesimus quisque* scit Graece *(sur cent personnes c'est à peine si une sait le grec)*.

Falsum est : *Quodque* animal se ipsum amat, pro : *omne* animal ; quia hic totum genus significatur.

Falsum est : *Quisque alius* libenter hoc faceret, pro : *quivis e medio*.

Falsum est : *Bonus vel melior quisque*, pro : *omnis* bonus, melior.

Falsum est : *Optimi quique* (pluralis), pro : *optimus quisque*.

Neque bona latinitas unquam admittit: *Omnis qui* vitium odit ; sed : *quicunque* vitium odit. Licet tamen dicere omne *quod*, omnia *quae*.

Cum *omnes* conjunctum est cum pronomine reflexivo, utimur *quisque* pro *omnes*. Falsum est igitur : Omnes milites in patriam *suam* redierunt; pro: Milites in *suam quisque* patriam redierunt.

Falsum est : Gellius, Lentulus, Cajus, *omnes tres* Romani, caesi sunt, pro : *tres Romani*. — Nec dicimus : *Omnes praesentes*, sed : *quotquot* praesentes sunt ; quotquot adsunt.

Falsum est: omnes simul, omnes una, omnes sine exceptione occisi sunt, pro : *omnes ad unum* occisi sunt.

Emendatum est contra : Tu nobis *es omnia* ; is potest omnia ; in hoc mihi sunt omnia. Rectene omnia ?

Quilibet et *quivis* non sunt relativa ; falsum est igitur : *Quamlibet* artem tractat, pro : *quamcunque* artem tractat.

Quicunque et *quisquis* semper cum Indicativo conjunguntur. Quam ob rem falsum est : Quamcumque partem doctrinae *doceas* ; quacumque ratione rem *perficias* ; quocumque *proficiscaris*. Quicumque *excellerent*. Quicumque *sit*. Avidus sum audiendi, quidquid *sit*. Quoque modo res *accipiatur*. Quidquid istius modi homines *dicant*. Quidquid *reliquerit*. Quoquo *eant*.

8. De pronomine relativo.

M. Quando pronomen demonstrativum sententiae correlativae omitti potest, Semproni ?

S. Cum relativum aut se refert ad personam vel ad rem

indefinitam, aut utrumque pronomen in eodem est casu. v. g. Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Xerxes praemium proposuit, qui invenisset novam voluptatem ; pro : *ei, qui*.

Cum vero demonstrativum aut plus habet significationis aut utrumque pronomen in diverso est casu, *is* raro praetermissum sequitur sententiam relativam v. g. A quo plurimum sperant homines, *ei* potissimum inserviunt.
Bestiae in quo natae sunt loco, *ex eo* se non movent. Qui fructum ex studiis percipere cogitat, *is* diligenter exerceat stylum. Quorum patres aut majores aliqua praestiterunt, *ii* student plerumque in eodem genere laudis excellere. Quid virtute effici debet, *id* tentatur pecunia. Qui semel verecundiae fines transierit, *eum* bene et graviter oportet esse impudentem.

M. Substantivum sententiae absolutae, ad quod relativum se refert, innectitur sententiae relativae ; quando ?

S. Cum sententia relativa antecedit et sententia soluta continet *is*, vel *hic*, quae tamen saepius omittuntur v. g.
Ex: Litterae, quas ad me dedisti, mihi pergratae fuerunt—fit: *Quas litteras* ad me dedisti, pergratae mihi fuerunt.
Ex : In ea arte, quam quisque norit, se exerceat — fit : *Quam* quisque norit *artem*, in *hac* se exerceat.
Eodem modo : *Quas* herbas pecudes non edunt, *eas* edunt homines.
Quas jam pridem optavi, accepi tuas litteras. Quos homines securos nulliusque rei curiosos putamus, in utramvis aurem dormire dicimus. *Quos* amicos fideles cognovit, *iis* se confidit.
Quas res violentissimas natura genuit, *earum* moderationem nos soli habemus.

M. Eodem modo *appositio*, ad quam relativum se refert, attrahitur.

S. V. g. Cumae, *quam urbem* Graeci tum tenebant, capiuntur.
Firmi et constantes amici deligendi sunt, *cujus generis* est magna penuria (pro : genus hominum, cujus magna est penuria).
Philippus Aetolos desertos a Romanis, *cui* uni fidebant *auxilio*, subegit.

Item pro : tempore quo, anno quo, occasione qua, dicendum est : *quo tempore, quo anno, qua occasione* ;
pro : et hoc concesso, hoc autem concesso ; *quo concesso.*

M. In locutionibus : *Pro tua prudentia, pro tuo amore.* Romani haud raro elegantiore utebantur relativo. Affer exempla.

S. Quae tua est clementia spero fore, ut servo officii immemori parcas.
Facile, quae tua est prudentia, quid optimum factu sit, videbis.
Quae tua est prudentia, nihil te fugiet, si meas litteras diligenter legeris.
Qua mollitie sum animi ac lenitate, nunquam Antronii lacrimis ac precibus restitissem. Si mihi negotium permisisses, qui meus in te amor est, confecissem. Ajax quo animo fuit, millies appetere mortem, quam illa perpeti maluisset.
Quae tua es (qua es) prudentia et temperantia, te jam, ut volumus, valere speramus. Nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est judicium de hominibus, ipsius Lamiae causa studiose omnia facturus sis.

M. *Superlativus* praeterea sententiae relativae innectitur. Affer, Tiberi, exempla.

T. Themistocles noctu de servis suis, *quem habuit fidelissimum*, ad Xerxem misit (pro : servum fidelissimum, quem habuit).

Volsci civitatem, *quem habebant optimam*, perdiderunt.

Poppilius in tumulo, *quem proximum* capere potuit, vallum ducere coepit.

M. Quid de hac sententia judicas : Multi homines divitias appetunt, *quae si eas* consecuti sunt, raro *eos* meliores reddunt ?

T. Vix fuerit latina. Cum enim ex sententia relativa altera pendet cum demonstrativo, quod se refert ad *qui*, omittitur demonstrativum et relativum in casum ejus succedit. Igitur dicendum est pro : *quae si eas* consecuti sunt : *quas, si* sunt consecuti, raro meliores fiunt.

M. Ut hoc praeceptum bene intelligatis, etiam alia velim afferas exempla.

T. Ille est Torquatus, *cui, si vita* suppeditasset, consul factus esset (pro : qui, si *ei)*.
Puer infici debet iis artibus, *quas, si* combiberit, ad majora veniet paratior (pro : quibus, si *eas)*.
Aberat omnis dolor, *qui, si* adesset, nemo molliter ferret (pro : quem si *is)*.
Haec de Catone, *ex quo, cum* quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita : nihil habeo, inquit, quod accusem senectutem (pro : qui cum *ex eo)*.
Saepissime legi nihil mali esse in morte, *in qua, si* resideat sensus, immortalitas illa potius quam mors ducenda sit (pro : quae si *in ea)*.
Mors ejus omnes cives suos perdidit, *quos, quia* servare voluit, ipse ab iis interemptus est (pro : qui, quia *eos)*.
Thrasibulo corona a populo data est, *quam, quod* amor civium et non vis expresserat, nullam habuit invidiam (pro : quae quod *eam)*.
Ea suasi Pompejo, *quibus ille, si* paruisset, Caesar tantas opes non haberet (pro : et ille *iis)*.
Latinitas, quam qui non habet, nunquam recte scribit (pro : sine qua qui eam non habet).
Ad Marcum Flaccum me contuli, *cui, cum* consilium...

proponeretur, haec perpeti maluit (pro : qui cum *ei)*. Xerxes tantas habuit copias, *quantas, si* Caesar habuisset, totum orbem terrarum subegisset (pro : quibus Caesar, si *eas)*.
Errare malo cum Platone, *quem, quanti* facias, scio (quem scio quanti *eum)*.

M. Claudius sententiam proponet, in qua haec constructio relativi in omnibus casibus appareat.

C. Alexander Babylone mortuus est, *qui*, si diutius vixisset, totum orbem terrarum subegisset.

Alexander Babylone mortuus est, *cujus*, si vita longior fuisset, totum orbem terrarum subegisset.

Alexander Babylone mortuus est, *cui*, si vita longior contigisset, totum orbem terrarum subegisset.

Alexander Babylone mortuus est, *quem*, si vivum fortuna longius reservasset, totum orbem terrarum subegisset.

Alexander Babylone mortuus est, *a quo*, nisi Deus vitam immature abstulisset,totum orbem terrarum subegisset.

M. Quid significat relativum, quod inchoat sententiam ?

C. Cum Romani praecipue indulgeant relativo, hoc pronomine saepissime utuntur ad sententias arctius inter se copulandas. Relativum igitur inchoans sententiam se refert ad sententiam antegredientem significans *et is, et hic, et ego, et tu* etc. vel : *is, hic, ego, tu autem, hic igitur, is vero, ego autem, is enim.*

M. Affer exempla.

C. Obitum filiae graviter tuli ; *qui* (= et si ego),si adfuissem, coram tibi dolorem declarassem.

Epaminondas philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum, *cui* (= et ei) sic fuit deditus, ut eum omnibus anteposuerit.
Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit, *quos* captos Scipio per castra circumduci jussit. Habes me amicissimum, *quem*, si irritaveris, habebis inimicissimum (= si vero me).

Animum rege, *qui*, nisi paret, imperat (= is enim nisi).
Omnia sunt mea culpa commissa, *qui* ab his me amari putabam, qui invidebant (= ego enim). Magna vis est conscientiae, *quam qui* negligunt, se ipsi saepe indicant (= qui igitur eam).
Nunquam esuriens Ptolomaeus ederat ; *cui* cum peragranti Aegyptum cibarius panis in casa datus esset, nihil visum est illo pane jucundius (= cum igitur ei).
Ratio docet Deum esse ; *quo concesso* confitendum est, ejus consilio mundum administrari (= et eo concesso).
Nihil est pretiosius animi tranquillitate, *qua qui* caret, eum ne regiae quidem opes quicquam juvant (= ea enim qui).
Accedit superstitio *qua qui* est imbutus, quietus esse nunquam potest.

M.Quando dicere licet: *qui autem, qui vero, qui igitur*,etc ?

C. Cum relativum id spectat, quod sequitur, non id quod antecedit v. g. Talium juvenum consuetudine utere ; *qui vero* petulantes sunt, eos procul a te remove... *Qui autem* omnia bona a se petunt, iis nihil malum videri potest, quod naturae necessitas afferat.

M. Quid de hac sententia judicas, Aemiliane : Catilina aciem instruxit, *qui quoque* pugnans ante signa prosiluit ?

A. Falsa est ; pro *qui quoque* enim, quod nusquam invenitur, dicendum est : *hic quoque, ille quoque, qui ipse quoque, idem.*

M. Quid interest, ut hoc quasi praeteriens attingam, inter *quoque* et *etiam* ?

A. *Etiam* addit aliquid novum, *quoque* aliquid consimile ; illud nomini plerumque praeponitur, hoc postponitur.
Voce, motu, forma etiam magnifica. *Mihi quoque* illic est negotium. *Ego quoque* timida sum. Patriae exsul, *se quoque* fugit.

Illum quoque fefellit. Qua de causa Helvetii *quoque* (similes Belgis) reliquos Gallos virtute praecedunt. In urbe fuit, *etiam* in senatum venit. Adjecit Caesar *etiam* munus gladiatorium.

M. Haud raro invenimus particulam *quidem* conjunctam cum relativo ; quid significat *quidem* ?

A. Relativo tribuit plus significationis = *et hic, et is* v. g. Alcibiades ad Pharnabazum in Asiam transiit, *quem quidem* adeo cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet.
Lysim praeceptorem habuit, *cui quidem* sic fuit deditus, ut...

M. Eodem modo relativum conjungitur cum conjunctionibus *si, nisi, etsi, quia, quoniam, ubi, utinam* v. g. quodsi, quodnisi, etc.

Quid significat *quod* ?

A. Idem fere ac *quidem* : *et, autem, nunc.* Saepius autem omni significatione carere videtur.
Hannibal quotiescunque cum Romanis congressus est in Italia, semper discessit superior. *Quod nisi* domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse.
Quod si (= *or si)* omnium animantium formam vincit hominis figura, profecto est, quae pulcherrima sit omnium.
Quodsi illinc inanis profugisses, tamen ista tua fuga nefaria judicaretur.
Quodubi ille intellexit id agi. Quodubi sensi. Quodubi Caesar animadvertit.

M. Utrum melius est : *Quod cum ita sit,* an : *Quae cum ita sint ?*

A. Cum de rebus singulis agitur, dicam : *Quod* cum ita *sit,* cum de pluribus : *Quae* cum ita *sint.*

M. Quid judicas de hoc : Lex Iulia ita dicta ?

A. Nego istud esse latinum. Scriptores enim Latini ad

unum omnes dicebant : Lex Iulia,*quae vocatur, quae dicitur;* lex Julia *quam vocant.* Multorum vita,*quae dicitur,* mors est. Alcibiades Hermas, *quos vocant,* Athenis dejecisse putatur. Ad Spelaeum, *quod vocant,* biduo moratus sum.

Nec licet dicere : Commendo vobis libros *supra dictos* ; sed : Commendo vobis libros, quos supra vel ante dixi, nominavi, laudavi, memoravi. commemoravi. Librum illum, *qui inscribitur Laelius* ac non : *inscriptum Laelius.*

M. Estne hoc latinum : Ego *infra scriptus* fidem facio, etc ?

A. Emendatius dixerim : Ego *subscriptus,* vel *qui subscripsi, qui nomen subscripsi.*

M. Corrige jam has sententias praeceptis utendo, quae hodie de relativo didicimus : Accepi hodie litteras, quas heri mihi scripsisti.

A. *Quas* heri mihi scripsisti, hodie accepi litteras.

M. Hoc est aurum, illud argentum, et is qui hoc non discernit, caecus est.

A. Hoc est aurum, illud argentum, *quod qui* non discernit, caecus est.

M. Cajus multa promittit, quae vero non praestat.

A. Cajus multa promittit, *quae* non praestat (sed ea non praestat ; quae tamen non praestat).

M. Cajus fur est, qui si ei quid arridet, non dubitat rem alienam auferre.

A. Cajus fur est, *cui si* quid arridet,non dubitat rem alienam auferre.

M. Didicimus latine dicendum esse pro : tempore quo, tempore cum, anno quo, die quo : *quo tempore, quo anno, quo die, quo loco.*

Si tamen substantivo, ad quod relativum se refert, nostra lingua praepositus est articulus indefinitus *(un, une, en un temps,. dans un lieu qui),* in ejus locum pronomen demonstrativum *is* substituitur v. g. Crassus *eo* loco sepultus est

(en un lieu), quem novit nemo. *Eo* veniet tempore, quo nemo eum exspectabit. *Eo* tempore scripsit, quo ars typographica nondum erat inventa. Rogavi Petronium, ut *eum* librum scriberet, quo ars militaris tractaretur.
Ceterum semper licet substantivo demonstrativum praeponere.

Illud praeterea commemoratu non indignum videatur, quod substantiva ut *lector, auditor, viator, visitator,* etc. quae conditionem permanentem non indicant, plerumque sententia relativa declarantur. Pro : *lectores hujus libri* Romani dicunt : *Qui hunc librum legent*. Eodem modo : Qui perlustrant Italiam; qui praeteribunt hoc sepulchrum ; qui has tibi litteras reddet ; ii qui absunt vel adsunt.
Iudex tamen est conditio permanens.

PARS ALTERA.

DE VERBO SENTENTIAE LATINAE.

CAPUT PRIMUM.

DE TEMPORIBUS.

1. Quot sint tempora verbi latini et quid significent.

M. Quot sunt tempora verbi latini, Pie ?

P. Sex sunt tempora. Actio enim, quae verbo significatur ex se incidit aut in tempus praesens aut in tempus praeteritum aut in tempus futurum, quae rursus in singulis temporibus aut nondum confecta (continuans) aut confecta cogitari potest.
Tempora igitur in hunc ordinem redigere licet :

I. Praesens.

a) *Praesens* (continuatio actionis praesentis) v. g. dormio ;

b) *Perfectum praesens* (finis actionis in praesenti) — dormivi.

II. Praeteritum.

a) *Imperfectum* (continuatio actionis praeteritae) — dormiebam ;

b) *Plusquamperfectum* (finis actionis praeteritae) — dormiveram);

c) *Perfectum historicum* (narratio rerum praeteritarum sine respectu continuationis aut finis actionis) — dormivi.

III. Futurum.

a) *Futurum I* (continuatio actionis futurae) — dormiam;

b) *Futurum II* (finis actionis futurae) — dormivero.

Praesens, Perfectum praesens, Futurum et Futurum exactum sunt tempora prima vel principalia; Imperfectum, Plusquamperfectum, Perfectum historicum sunt tempora adjuncta vel historica.

2. De usu temporum.

De Praesenti.

M. Quid significat Praesens, Sulpici?

S. Significat actionem, quae hoc momento et fit et continuatur v. g. Te amo. Cajus scribit epistolam. Pueri discunt. Claudius tibia canit. Infans dormit. Mater vigilat.

Praeterea utimur Praesenti in sententiis, quae omnibus temporibus valent, ut: Nemo nascitur sapiens, sed fit. Pedibus compensatur memoria. Vir in discrimine apparet. Non ex quovis ligno fit Mercurius. Volenti non fit injuria. Vox audita perit, littera scripta manet. Nihil agendo homines male agere discunt.
Cui dolet, meminit. Raro senex mutat sententiam. Suum cuique pulchrum est. Patria est ubicumque est bene.

Denique cum proferimus scriptores v. g. Homerus canit, Caesar scribit, Cicero docet, Tacitus negat, Plinius affirmat.

M. Quid est Praesens historicum?

S. In narratione rerum praeteritarum concitata Praesens saepius vicem praestat Perfecti historici v. g.
Igitur Iugurtha quam maximas copias *armat*, urbes partim vi, alias voluntate imperio suo *adjungit*, omni Numidiae imperare *parat*. Pisidas resistentes Datames *invadit*, primo impetu *pellit*, fugientes *persequitur*, multos *interficit*, castra hostium *capit*.

M. Licetne Perfecto historico uti ad arbitrium?

S. Cum Praesens historicum Perfecti vicem praestet, narrat sola facta majoris momenti; Imperfecto status alicujus rei vel facta narrantur minora.

Praesenti historico se adjungit in sententia conjuncta Praesens, sed saepius Imperfectum.
Quod ubi Verres audivit, sic cupiditate inflammatus est, ut Diodorum ad se *vocaret* ac *posceret* (illa pocula). Ille qui illa non invitus haberet, *respondet*, se Lilybaei non habere: Melitae apud quendam propinquum suum reliquisse. Tum Verres continuo *mittit* homines certos Melitam, ut ea vasa *perquirant*. — Rex propius ipsum considere amicos *jubet*, ne contentione vocis cicatricem *rumperet*.

M. *Dum* conjunctio, etsi tempus sententiae absolutae est praeteritum, plerumque cum Praesenti historico jungitur. Affer exempla.

S. *Dum* paucas res retinere *volo*, omnes fortunas perdidi.
Dum ego in Sicilia *sum*, nulla statua dejecta est. *Dum exspectat*, quidnam sibi certi afferatur, ante noctem non discessit. *Dum* elephanti *trajiciuntur*, interim Hannibal equites ad castra Romana miserat.
Dum ea ibi Romani *gerunt*, ille in fines Romanos incursionem facit.

M. Estne vitiosum *dum* conjungere cum Perfecto vel Imperfecto?

S. Non esse videtur, cum ipse Cicero *dum* conjungat

cum *Indicativo Perfecti Praesentis* v. g. Qui dum veritus est, non vidit. Qui dum conatus est, venit in periculum. Dum voluerunt... sustulerunt. Item :
Cum Imperfecto Indicativi : Dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea, qui...
Et apud Livium : Dum haec in Apulia gerebantur, Interamnam occupare conati urbem non tenuerunt.
Quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me.
Quin etiam Livius et alii non dubitant *dum* conjungere cum *Imperfecto Conjunctivi* v. g.
Dum intentus in eum se rex totus averteret, alte elatam securim in caput ejus dejecit.
Dum ea in Samnio gererentur, Romanis in Etruria interim bellum ingens concitatur.

De Perfecto.

M. Quid interest, Auguste, inter Perfectum praesens (absolutum, logicum) et Perfectum historicum ?

A. Illud est Praesens actionis perfectae vel status praesens, qui actionem perfectam subsequitur v. g. Pater advenit ; quod item est ac : Pater adest. Opus exegi ; quod idem est quod : opus est absolutum. Fuit Ilium = non jam est. Consuevi = soleo. Cognovi = scio. In hac voluntate permansi = eam adhuc habeo.

Perfectum historicum autem *narrat* factum praeteritum quod relationem nullam habet neque ad praesentiam loquentis neque ad alia facta praeterita v. g.
Itaque Caesar armis rem gerere *constituit*, exercitum finibus Italiae *admovit*, Rubiconem *transiit*, Romam et aerarium *occupavit*, Pompejum cedentem *persecutus est* eumque in campis Pharsalicis *devicit*.
Romulus septem et triginta *regnavit* annos. Hannibal, quotiescumque cum Romanis *congressus est* in Italia, semper *discessit* superior. Hannibal triennio omnes gentes Hispaniae bello *subegit* ; Saguntum, foederatam civitatem vi *expugnavit* ; tres exercitus maximos *comparavit*.

M. Nonne igitur Perfectum historicum idem fere est quod Imperfectum ?

A. Minime gentium ; semper enim valet grammaticorum illud :

Perfecto procedit, Imperfecto insistit oratio ;

vel : Perfectum significat actionem progredientem, Imperfectum actionem vel statum permanentem v. g. Caesar armis rem gerere constituit : *videbat* enim (actio permanens) inimicorum in dies majorem fieri exercitum *reputabat*que appropinquare hiemem. Itaque exercitum finibus Italiae admovit etc. Aedui se in oppida receperunt, murisque se *tenebant*.

M. Cum Perfecto vel Praesenti historico saepissime junguntur conjunctiones : *postquam, ubi, ubi primum, ut, ut primum, cum primum, simul ut, simul ubi, simul ac, simul,* quae significant *dès que*. Affer aliquot exempla.

A. *Ubi* de Caesaris adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt. Hannibal *ut* Carthaginem rediit, praetor factus est. *Postquam* murum arietibus feriri vident, aurum et argentum domum regiam comportant. *Cum primum* Romam veni, nihil mihi prius faciendum putavi, quam ut tibi absenti de reditu nostro gratularer. Themistocles id *ut* audivit, Corcyram demigravit. *Simul* accepi litteras, statim quaesivi a Balbo, etc.

M. Quid interest inter *cum primum* et *quam primum* ?

A. *Cum primum* est conjunctio, *quam primum (au plus vite)* est adverbium v. g. Re perfecta ad me *quam primum*

revertere. Sed : Revertere ad me *cum primum* negotium tuum confeceris *(dès que).*
Visam te *cum primum* potero.
Cum primum venerit, faciam te certiorem.
Quam primum ab urbe discedam.

M. Quid vero, si conjunctiones *postquam, ubi, ubi primum,* etc. indicant actionem iteratam = *dès que, aussi souvent que ?*

A. In isto genere invenimus verbum sententiae absolutae in Imperfecto, verbum sententiae conjunctae in Plusquamperfecto v. g.
Romani duabus his artibus, audacia in bello, *ubi* pax *venerat,* aequitate, seque remque publicam *curabant.* Messanam *ut* quisque nostrum *venerat,* haec ahenea duo signa visere solebat.
Alcibiades, simul ac se remiserat neque causa suberat, quare animi laborem perferret, dissolutus reperiebatur.

M. Etiamsi actio non est iterata, tamen *postquam* exigit Plusquamperfectum ; quando ?

A. Cum intervallum temporis additum est v. g.
Hannibal *anno tertio* postquam domo profugerat, in Africam venit.
Philippus *primo vere, postquam* legati nihil pacati retulerant, delectum per omnia oppida habere instituit. P. Africanus, *postquam bis consul* et censor fuerat, Cottam in judicium vocavit.
Post diem quintum quam barbari iterum male pugnaverant, legati veniunt.
Aristides decessit fere *post annum quartum, quam* Themistocles Athenis erat expulsus.

M. Quid interest, Calliste, inter : Lentulus catenis vinctus *est ;* et Lentulus catenis vinctus *fuit ?*

C. Perfectum passivum v. g. Lentulus vinctus est, urbs obsessa est, plerumque significat actionem praeteritam,

sed saepius etiam statum praesentem = Lentulus catenis vinctus, urbs obsessa tenetur.
Contra : Lentulus catenis vinctus fuit ; urbs obsessa fuit, non actionem significat, sed statum, in quo Lentulus vel urbs aliquamdiu fuit.

M. Cum non desint, qui v. g. perverse dicant : Occisus fuit, pro : Occisus est, facile exquirere possumus, utrum *fui* cum Participio Perfecti passivi sit emendatum necne, si verbo *esse* aliud verbum quod statum significet substituimus v.g. Diu in silvis absconditi fuerunt = diu in silvis absconditi *latuerunt.*
Naves in portu afflictae fuerunt = afflictae jacebant.
Multos annos vincti fuerunt = vincti manserunt.
Tibi jam pridem cum animo statutum ac deliberatum fuit = statutum habuisti. — Omnes illae gentes nobis obligatae fuerunt = omnes obligatas habuimus.
Affer aliquot exempla.

C. Simulacrum Dianae apud Segestanos P. Africani nomine positum ac dedicatum fuit. Leges latae sunt et promulgatae fuerunt.
Navis publice parata fuit. Tabula his ferme incisa litteris fuit.
Ab neutra parte satis instructi fuerunt. Hoc tibi statutum ac deliberatum fuit. Monumento statua superimposita fuit. Qui ferro vincti multos annos fuerunt. Macroni praeceptum fuit.

In Plusquamperfecto autem passivo et in Futuro exacto *munitum erat* et *munitum fuerat, munitum erit* et *munitum fuerit* saepius nihil differunt, cum veteres actum praeteritum non solo Participio Perfecti, sed etiam verbo auxiliari declarare solebant v. g. Amatus eram et amatus fueram ; laudatus erit et laudatus fuerit.

De Imperfecto.

M. Quid significat Imperfectum ?

C. Significat aliquid, quod in praeterito nondum erat perfectum vel quod continuabatur ; quapropter plerumque conjunctum invenitur cum Perfecto v. g.
Cum Hannibal ex hibernis movit, jam ver appetebat.
Cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Aedui, alterius Sequani.
Hac oratione habita, omnes qui aderant, auxilium a Caesare petere coeperunt.

Ita Imperfectum in narratione cum Perfecto historico variat, cum hoc facta majora, illud facta minora, quae eodem tempore fiunt vel continuantur, significet v. g. Themistocles, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit.
Iugurtha, tametsi regem Micipsam ficta locutum intelligebat, et ipse longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit.
Qua tempestate Carthaginienses pleraeque Africae imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Cimon celeriter ad principatum pervenit ; habebat enim satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam. Adherbal, quod neque se parem armis existimabat et amicitia populi Romani magis, quam Numidis fretus erat, legatos ad Iugurtham de injuriis questum misit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, vacuefecit.

M. Perge, Fabiane, exponere, cui usui sit Imperfectum.

F. Imperfecto praeterea utimur ad significandas actiones tempore praeterito iteratas, quibus mores, consuetudines, instituta, etc. designantur v. g. Socrates dicere *solebat* (vel dicebat) omnes in eo quod scirent, satis esse eloquentes. Anseres Romae publice *alebantur* in capitolio *(on avait*

coutume de). Augustus post cibum meridianum paulisper *conquiescebat*. Themistocles multum in judiciis privatis *versabatur* ; saepius in contionem populi *prodibat* ; nulla res major sine eo *gerebatur*. Ut Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges *creabantur*.
Atticus mendacium neque *dicebat* neque pati *poterat*.
Pausanias apparatu regio *utebatur*.

M. Quid interest inter : Socrates *dicebat*, et : Socrates dicere *solitus est* ?

F. Si spatium vitae Socratis respicimus, *dicebat* convenit ; si factum historicum consideramus, licet dicere *solitus est*.

M. Perge de Imperfecto.

F. Imperfecto praeterea utimur ad describendam ac depingendam naturam et mores hominum, regiones, proelia, etc. v. g.
Pausanias apparatu regio *utebatur*, veste Medica ; satellites Medi et Aegyptii *sequebantur* ; *epulabatur* more Persarum ; aditum petentibus non *dabat* ; superbe *respondebat* et crudeliter *imperabat*. Ipsum *erat* oppidum (Alesia) in colle summo, cujus collis radices duabus ex partibus flumina *subluebant* ; ante oppidum planities mediocris *patebat* ; reliquis omnibus ex partibus colles oppidum *cingebant*. Homines asperi et inculti, quibus cibus *erat* caro ferina atque humi pabulum uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, neque imperio cujusquam *regebantur* ; vagi, palantes, qua non coegerat, sedes *habebant*.

M. Quid est *Imperfectum conatus*, Hilari ?

H. Significat actionem praeteritam animo intentam, sed ad effectum non adductam v. g.
Ingurtham praefecit Numidis, quos in Hispaniam *mittebat* *(qu'il allait envoyer)*.
Num dubitas, id me imperante facere, quod jam tua sponte *faciebas* ?

Cato pro lege, quae *abrogabatur*, ita disseruit *(qui devait)*. Consules *sedabant* tumultum. Ex senatu *exibat (faire une tentative)*.
Atrocitatem facti *leniebant*. Omnes duces *revocabat* (= revocandos censebat). Multitudo eum *terrebat* clamore.
Pecuniam quam Fabricio *dabat*. Eum *impediebant*.
Eodem modo usurpatum invenimus Plusquamperfectum v. g. Quam vivus *everterat (il avait tâché de)*.

M. Ut Praesens historicum in narratione saepius vicem praestat Perfecti historici, sic Infinitivus historicus vicem Imperfecti.

De Plusquamperfecto.

M. Quid significat Plusquamperfectum?

H. Significat actionem praeteritam, quae jam peracta erat, cum altera actio praeterita successit. Invenitur hoc tempus tam in sententiis absolutis quam in conjunctis v. g.

Pausanias eodem loco sepultus est, ubi vitam *posuerat*.
Hannibal tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos e manibus equitum Romanorum, senatorum et militum *detraxerat*.
Alexander cum *interemisset* Clitum, vix a se manus abstinuit.
Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere *desierat* = cum Pyrrhus regnaret.
Vercingetorix copias suas, quas pro castris *collocaverat*, reduxit.
Brutus collegam sibi creavit P. Valerium, quo adjutore reges *ejecerat*. Themistocles domicilium Magnesiae sibi constituit ; namque hanc urbem ei rex *donaverat*.

M. Estne haec sententia emendata : Cum Romam *veniret*, domum suam invenit spoliatam ?

H. Emendate dixerim : Cum Romam *venisset*, invenit, etc.
Caesar cum audisset, vidisset, animadvertisset, conspexisset comperisset, certior factus esset, etc., castra movit.

Cum vero de verbis interrogandi vel orandi agitur, praestat uti Imperfecto v. g. Socrates cum *rogaretur*, cujatem se esse diceret : Mundanum, inquit. Solon cum *interrogaretur*, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse.

De Futuro I. et de Futuro exacto.

M. Quae est vis utriusque Futuri, Severine ?

S. Futurum I significat actionem simpliciter futuram v. g. cras *proficiscar* ; Futurum exactum actionem declarat in futuro peractam v. g. Cras hac hora *profectus ero*.

Falsum est igitur : Cras pater adest (pro : aderit) ; cras pater rediit (pro : redierit).

M. Estne haec sententia emendata : *Si possum*, proxime te invisam ?

S. Falsa est. Si enim actio sententiae conjunctae item cogitanda est futura, Praesens certe non loco est. Falsae sunt igitur sententiae ut :
Iustus ubicumque potest, juste faciet (pro : *poterit)*.
Dum te sapientia inanem video, divitem non putabo (pro : *videbo)*.
Si annales evolvere vultis, reperietis (pro : *voletis)*.
Mihi tua omnia, dum vivo, curae erunt (pro : dum *vivam)*.
Pergratum mihi est, si anno proximo me invises (pro : *erit)*.

Cum vero sententia conjuncta nihil significat futuri, sed id quod jam est, utimur Praesenti v. g.
Quid faciet is, qui nihil *timet ?* Faciam quod *vultis*.

M. Concipiamus praeceptum de Futuro sic : Omnis actio futura, quae respectu alterius actionis futurae, vel Futuro I vel Imperativo Futuri vel Conjunctivo imperante (etiam *convenit, oportet, opus est)* significatae, uno eodemque tempore ac altera fieri censetur, Futuro I, si non eodem fit tempore, sed ante alteram, Futuro II declaratur.
Affer aliquot exempla.

S. Nisi sedulo *studebis*, nunquam doctus *eris*.
Donec *eris* felix, multos *numerabis* amicos. Si rus te *conferes*, libenter te *comitabor*. Nisi domi *eris*, nemo te *inveniet*.
Si librum *repetet*, *reddito*: Si *videbitur*, *loquitor*.
Adolescentes, cum animos relaxare *volent*, *caveant* intemperantiam.
Ut sementem *feceris*, ita *metes*. Si in omnibus rebus innocens *fuero*, quid mihi inimicitiae *nocebunt ?* De Carthagine vereri ante non *desinam*, quam illam excisam esse *cognovero*. Nisi crastino die litteras a te *accepero*, perendie *proficiscar*. Quidquid *feceris*, *approbabo*. Plura ad te *scribam*, si mihi ad eas litteras, quas proxime ad te dedi, *rescripseris*.
Qui prior *strinxerit* ferrum, ejus *erit* victoria. Actio recta non *erit*, nisi recta *fuerit* voluntas.
Romam cum *venero*, quae *perspexero scribam* ad te.

M. Quid judicas de hac sententia : Si quem *inveniam*, libros curabo ad te perferendos ?

S. Falsa est. Actio inveniendi prior est quam actio curandi. Ergo :
Si quem *invenero*, libros *curabo* ad te perferendos.

Eadem de causa falsum est : Vereri ante non desinam, quam te salvum *cognovi*.
Cum socer *advenit*, una simul navigabimus.

M. Estne hoc emendatum : Polliceor me, quoad *vixero*, gratiam tibi habiturum ?

S. Non est, cum vita nondum sit peracta. — Item falsum est :

De his rebus cum in otio fuerimus, loquemur, etsi enim otium est futurum, nondum est praeteritum.

M. At saepius inveni Futurum exactum pro simplici Futuro, quin etiam in utraque parte sententiae Futurum exactum ; quomodo rem explicas ?

S. Futurum exactum nonnunquam in locum Futuri simplicis substituitur, ut actio futura significetur prompta ac quasi jam peracta ; vel ut affirmatio aliqua nimis certa ac definita mitigetur ; vel ut effectus actionis futurae tamquam certus affirmetur v. g. Ego si *potuero*, faciam vobis satis.
Pergratum mihi *feceris*, si quam primum ad me veneris.
Qui Antonium *oppresserit*, is hoc bellum teterrimum *confecerit*.
Respiraro, si te *videro*. Satis te mature *videro*, si plane confirmatum *videro*. Si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter *feceris*, si me *celaveris*. Quod si erit factum, rempublicam beneficio *affeceris*. Quae fuerit causa, mox *videro*. Recte secusne, alias *viderimus*. Et sic saepe : Alias, mox, postea videro, viderimus. Item : Si voluero, si potuero, si licuerit, si placuerit, si otium habuero, etc.

M. Explica hanc sententiam : Equidem certe metuo, ne omnes litterae funditus *interiturae sint*.

S. Falsa est. Verba enim timendi non admittunt Futurum sententiae conjunctae.

M. Cur non ?

S. Quia *timere, metuere, vereri*, etc. idem est quod *cupere cum anxietate*. Cupere autem est verbum finale, quod non requirit Futurum. Ergo : Metuo, ne litterae *intereant*.

M. Nonne conjugatione quoque periphrastica (v. g. scripturus sum) tempus futurum significatur ?

S. Ita. Conjugatione periphrastica praedispositio quaedam ad aliquid faciendum aut ex voluntate aut ex rebus emanans significatur. Scripturus sum = in eo est vel jam

prope est, ut scribam ; ad scribendum me paro ; scribere in animo habeo. Saepius praeterea idem est quod : *destinatum, constitutum esse ad* v. g. Bellum *scripturus sum*, quod populus Romanus cum Iugurtha gessit.

Cum apes *evolaturae sunt*, consonant vehementer (= se parant ad).

Si una *est interiturus* animus cum corpore (= *destinatus est ad* interitum), vos tamen memoriam pie servabitis.

Me ipsum igitur ames oportet, si veri amici *futuri sumus (= si nous voulons)*.

Quidquid ex Agricola amavimus, manet *mansurumque est* in animis *(doit rester)*.

Sicut Messanam, sic Rhegium *habitaturi erant (eis in animo erat)*.

Attentos faciemus auditores, si demonstrabimus, ea quae *dicturi erimus*, magna, nova, incredibilia esse.

Romam rediturus fuit, fuerat (= *voluntatem redeundi habuit)*.

M. Ad extremum paululum etiam habeo, quod in transitu requiram. Apud latinitatis auctores geminam formam secundae personae singularis invenias Praesentis, Imperfecti et Futuri passivi — *ris* et *re* v. g. lauderis, laudere ; laudabaris, laudabare ; laudareris, laudarere ; laudaberis, laudabere ; et sic in ceteris conjugationibus.

Utram formam meliorem esse censes, Ambrosi ?

A. Cicero potiorem habet formam *re:* laudere, laudabare, laudarere, laudabere.

In Indicativo tamen Praesentis semper forma utitur *ris* : laudaris, videris, etc.

Post vero Ciceronis aetatem forma praevalet *ris*.

M. Item geminam invenimus apud scriptores formam tertiae personae Pluralis Perfecti Indicativi v. g. scripserunt, scripsere, prohibuerunt, prohibuere ; pugnaverunt, pugnavere ; fuerunt, fuere.

Utra forma tibi melior esse videtur ?

A. Cicero de hac re sic judicat : Nec vero reprehenderim *scripsere*, etsi *scripserunt* esse verius sentio ; sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor.

Ut vero Cicero potiorem habet formam *scripserunt*, sic et Caesar et alii.

Sallustius contra, T.Livius et ceteri historici frequentissime altera utuntur forma : *scripsere, fuere*, etc.

Ceterum utraque forma alternis uti elegantiam, ut mihi quidem videtur, non imminuet, sed augebit.

3. De consecutione temporum.

M. Tempora Indicativi inter se, ut res postulat, conjungi possunt v. g. Heri multum laboravi, hodie quiesco. Iam novisti hominem, qui hodie te inviset. Cretum leges, quas Minos sanxit, laboribus erudiunt juventutem.

Aliter vero res se habet, cum sententia aliqua cum altera juncta exigit Conjunctivum, cujus tempus semper accommodandum est ad tempus verbi finiti sententiae absolutae.

Quid est igitur consecutio temporum, Adriane ?

A. Est accommodatio temporis verbi sententiae conjunctae ad tempus verbi finiti sententiae absolutae.

M. Quae praecepta in hac re sunt servanda ?

A. Distinguo tempora prima vel principalia et tempora adjuncta vel historica. Tempora principalia sunt : Praesens, Perfectum logicum et utrumque Futurum ; tempora historica : Imperfectum, Perfectum historicum et Plusquamperfectum.

Qua distinctione facta hoc maximi momenti posuerim praeceptum :

a) Tempora principalia sequitur aut Conjunctivus Praesentis, cum utraque actio eodem fit tempore, aut Conjunctivus Perfecti cum una actio prior est quam altera v. g.

Quae domus tam stabilis, quae tam firma civitas *est*, quae non odiis atque dissidiis funditus *possit* everti? Nulla *est* civitas quae non et improbos cives *habeat*. *Videmus*, ut luna accessu et recessu suo solis lumen *accipiat*. *Facies* perpetuo, ut omnes aequitatem tuam temperantiamque *laudent*. Quid *casurum sit*, incertum *est*.

Nullum *est* animal praeter hominem, quod *habeat* aliquam notitiam Dei.

Non *est* provincia, quam Augustus non *adierit*. Nemo *reperitur*, qui studio nihil *sit consecutus*. Nemo *erit*, qui *censeat* a virtute esse recedendum. Morati melius *erimus*, cum *didicerimus*, quae natura *desideret*. Nemo *debet* dubitare, quin *fuerint* ante Homerum poetae. In eum locum res *deducta est*, ut, nisi quis deus vel casus aliquis subvenerit, salvi esse *nequeamus*. Quis est tam miser, ut non Dei munificentiam *senserit*. Anseribus cibaria publice *locantur* et canes *aluntur* in Capitolio, ut *significent* fures qui venerint. Quod nihil de ea re *scripserim*, facile *ignosces*.

b) Tempora historica sequitur Imperfectum Conjunctivi, cum utraque actio fit eodem tempore, et Plusquamperfectum Conjunctivi, cum una prior est quam altera v. g. Unus Miltiades maxime *nitebatur*, ut primo quoque tempore castra *fierent*. *Timebam*, ne *evenirent*, quae acciderunt. *Accusabatur* Alcibiades, quod Hermas *dejecisset*.

Valerius *laudabat* fortunam Bruti, quod in summo honore pro republica *occubuisset*. Pavor *ceperat* milites, ne mortiferum *esset* Scipionis vulnus. Apelles pictores eos peccare *dicebat*, qui non *sentirent*, quid *esset* satis. In Miltiade *erat* cum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis *esset*, cui non ad eum aditus *pateret*. Unum illud *extimescebam*, ne quid turpius *facerem* vel jam *effecissem*. Cura *incesserat* patres, ne plebs tribunos militum ex plebe *crearet*.

Perfectum historicum: *Conquesti sunt* Siculi cum Cicerone, quanta vulnera ipsorum civitatibus *inflixisset* Verris avaritia.

Romani ab aratro *abduxerunt* Cincinnatum, ut dictator *esset*.

Epaminondas adeo veritatis *fuit* diligens, ut ne joco quidem *mentiretur*. Conon, cum patriam obsideri audivisset, non *quaesivit*, ubi ipse tuto *viveret*, sed unde praesidio *posset* esse civibus suis. Pausanias in eo *est reprehensus*, quod ex praeda tripodem aureum Delphis *posuisset*.

M. Modo dixisti Perfectum Praesens conjungi non posse nisi cum Praesenti et Perfecto Conjunctivi, id quod minime dubito.

Neque tamen haud parvis difficultatibus res obstructa videtur, cum ipse Cicero plus semel Perfectum Praesens conjungat cum Imperfecto Conjunctivi v. g.

Adduxi (Perfectum Praesens = adest), hominem in quo satisfacere exteris nationibus *possetis*.

Quae subsidia novitatis *haberes*, et habere *posses*, exposui (= nunc cognitum est); nunc de magnitudine petitionis dicam.

Saepe mecum cogitavi (= nescio), quidnam causae *esset*.

Diu dubitavi (= in dubio haereo), num melius *esset*.

Quomodo nodum expedis, Caesari?

C. Romani Perfecto historico tantopere indulgent, ut ipsum Perfectum Praesens, quantum fieri potest, in Perfectum historicum mutent.

M. Quomodo hoc fieri potest?

C. Hoc fieri potest, si actio Perfecti Praesentis in plura momenta dividitur, quae, uno excepto quod in Praesens incidit, cogitari possunt praeterita.

Ejusmodi momenta autem facile apparent, cum verbum antecedunt adverbia *saepe*, *diu*, *multum* aut sententia *intentionem aliquam* continet v. g. *diu* dubitavi, *diu* exspectavi *saepe* cogitavi, *multum* investigavi.

Hoc dixi, ut rem *intelligeres* (intentio praecedens). Hunc hominem vobis adduxi, ut ipsi de eo *judicaretis* (intentio).

M. Estne falsum dicere : Saepe mecum cogitavi, quidnam causae *sit*. Hunc hominem adduxi, ut ipsi de eo *judicetis* ?

C. Quod cum sit secundum praeceptum, omnino falsum non est, sed plane repugnat usui communi. Hoc te monui, ne amplius errares (ac non : *erres)*. Satis multas causas attuli, cur bellum gerendum esset (ac non : *sit)*.

Si verbum vero non spectat singula actionis momenta, sed consequentiam vel effectum, sequitur Praesens v. g. Ego meis rebus gestis *hoc* sum assecutus, *ut* bonum nomen existimer.

Trajanus rempublicam *ita* administravit, *ut* omnibus principibus merito praeferatur.

M. Veniamus igitur ad sententiam consecutivam. Quam vocas, Damase, sententiam consecutivam ?

D. Illam, in qua *ut* conjunctio pendet

1) ex adjectivis tantus, tot, talis, is (= talis) ;
2) ex adverbiis ita, sic, tam, adeo, tantopere, toties, quae adjectiva et adverbia nonnunquam cogitando explentur ;
3) ex comparativo v. g. Major sum, quam ut fortuna nocere mihi possit (v. *ut* consecutivum).

M. Quod praeceptum servat sententia consecutiva ?

D. Sententia consecutiva *(ut, qui, quin, qui non)* illud exigit tempus, quod haberet, si non esset conjuncta, sed libera ac soluta v. g. Trajanus ita administravit rempublicam, ut omnibus principibus praeferatur = administravit *et* praefertur.

Aristides in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix *reliquerit* = decessit *et* reliquit.

Ita vixi, ut non frustra me natum esse existimem = vixi *et* existimo.

Odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius

animam, quam id deposuerit (= conservavit, deposuit).

Antiochum tanta cupiditate incendit bellandi, ut arma conatus sit inferre Italiae (= incendit et conatus est).

Ardebat autem Hortensius cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim (= Ardebat et non vidi).

Adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam cognomine Iustus sit appellatus (= et appellatus est).

Xerxes adeo angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit (= conflixit et non potuit).

Quod tamen praeceptum non adhibetur in verbis impersonalibus *fit, accidit, est, futurum est, fieri potest, contingit, evenit, mos, consuetudo, jus est* ; *sequitur, restat, reliquum est, proximum, extremum est ut.*

M. Multum in consecutione temporum peccatur in illis sententiis consecutivis, quarum sententia absoluta negationem aut comparationem continet v. g. Falsum est :

Iniquitas loci *non* tanta erat, quin equitatus rem agere *potuisset*. — Hostes *longius* a nobis distabant, quam ut tela nostra eos contingere *potuissent*.

Quorsum Plusquamperfectum, quod significat actionem prius peractam, cum in his sententiis utraque actio uno eodemque fiat tempore ? Ergo : Iniquitas loci *non* tanta *erat*, quin equitatus rem agere *posset*. Hostes *longius* a nobis *distabant*, quam ut tela nostra eos contingere *possent*.

Nolite igitur dicere : *Nemo* hostis *fuit* patriae, quin mihi inimicus fuisset ; sed : *fuerit* ;

Epistola nihil *habebat*, quod in concione legi non potuisset, sed : *posset* ;

Numquam rem defendi, quam non probavissem ; sed : *probaverim* ;

Ubi est civitas quae nunquam malos cives habuisset ; sed : *habuerit* ;

Nullus fere locus fuit, quo nomen Romanum non pervenisset; sed : *pervenerit.*
Viderat perpaucos illa aetas, qui rei militaris peritia cum Caesare contendere potuissent; sed : *possent.*
Non multum abfuit, quin cecidissem ; sed : *caderem.*
Praeterivi, non quin te vidissem ; sed : te *viderem (non que je ne vous eusse pas vu).*

Idem valet in sententias, quae continent : *Non est quod, nedum, quasi, aeque, perinde, non secus ac si, tamquam si, velut si, tamquam velut.*
Sententia scilicet conjuncta stricte se accommodat ad tempus sententiae solutae v. g. Sic cogitandum *est tamquam* aliquis in pectus intimum inspicere *possit* (ac non : posset).
Haec *perinde* loquor, *quasi* ipso illo tempore *debueris* aut *potueris* P. Quinctium de possessione deturbare (ac non : debuisses, potuisses).
Sequani absentis Ariovisti crudelitatem *velut si* coram *adesset,* horrebant (ac non : adfuisset).

Quando praeterea consecutio temporum discrepat a praecepto, quod supra constituimus, Feliciane ?

F. In interrogatione obliqua, ubi Conjunctivus Praesentis vel Perfecti sequi potest tempus aliquod historicum, si actio sententiae conjunctae viget usque ad tempus loquentis v. g.
Quanta *sit* vis auri, multi *experti sunt.Nesciebat,*quam praeclara *sit* virtus.

M. Supra diximus, Praesenti historico adjungi posse aut Praesens aut Imperfectum ; quando praecipue utimur Imperfecto ?

F. Cum sententia conjuncta Praesens historicum antecedit v. g. Caesar, ne hostes transire flumen *conarentur,* pontem praesidiis *firmat.*

Praeterea Imperfectum sequi potest, cum praecedit Indicativus Praesentis in sententiis velut : Plato *docet, disputat, dicit, censet, scribit, monet* etc. v. g. Apelles *dicit* pictores eos peccare, qui non *sentirent,* quid *esset* satis. Ejusmodi enim Praesens vicem Perfecti praestat.

M. Quae est consecutio temporum, cum de pluribus sententiis alia ex alia pendet ?

F. Singulae sententiae tempora sua accommodant ad tempora sententiae unde pendent, prima igitur ad tempus sententiae absolutae, altera ad tempus praecedentis, etc. v. g. *Quaero* igitur, quae tanta vitia *sint* in filio, quare is patri *displiceat.*
Quaero igitur, quae tanta vitia *sint* in filio, quare is patri *displicuerit.*
Quaerebam, quae tanta vitia *essent* in filio, quare is patri *displiceret.*
Quaerebam quae tanta vitia *fuissent* in filio, quare is patri *displicuisset.*

M. Quid,si sententia conjuncta continet Perfectum Conjunctivi aut Infinitivum Perfecti ?

F. Sententia, quae sequitur, est in Imperfecto vel Plusquamperfecto, quia illud Perfectum est Perfectum historicum v. g. Quaeritur igitur, quae tanta vitia *fuerint* in filio, quare is patri *displiceret.* Ostendam primum causam non *fuisse,* cur a praetore *postulares,* ut bona P. Quinctii possideres.
Quam multos *fuisse* putatis, qui, quae ego deferrem, non *crederent ?*
Aristides, cum animadverteret quemdam scribentem, ut patria pelleretur, *quaesisse* ab eo dicitur, quare id *faceret,* aut quid Aristides *commisisset,* cur tanta poena dignus *haberetur.*
Quod ad me scribis de sorore tua,testis erit tibi ipsa,quantae mihi curae *fuerit,* ut Quinti fratris animus in eam *esset* is, qui esse *deberet.* An tu *existimas,* cum *esset* Hippocra-

tes ille Cous, *fuisse* tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis *mederentur* ?

M. Nemo ignorat Futurum Conjunctivo carere ; quid igitur, cum in sententia conjuncta Futurum exigitur, in locum ejus substituis, Tiberi ?

T. Pro Futuro I. activo utor, si verbum Supinum habet, conjugatione periphrastica : *urus sim, urus essem.* v. g.
Caesar non dubitat, quin victurus sit.
Caesar non dubitabat, quin victurus esset.

Si verbum Supino caret, circuitione utor : *futurum sit, ut* ; *futurum esset ut* v. g.
Non dubito, quin futurum sit, ut Caesar occasionem urgeat.
Non dubitabam, quin futurum esset, ut Caesar occasionem urgeret.

Pro Futuro I. passivo utor : *futurum sit, ut* v. g.
Non dubito, quin futurum sit, ut Galli vincantur.
Non dubitabam, quin futurum esset, ut Galli vincerentur.

Pro Futuro II. activo et passivo utor : *futurum sit, ut* cum Conjunctivo Perfecti ; *futurum esset, ut* cum Conjunctivo Plusquamperfecti v. g.
Non dubito quin futurum sit, ut Caesar oppidum heri ceperit.
Non dubitabam quin futurum esset, ut Caesar oppidum heri cepisset.

Passive : Non dubito quin futurum sit, ut oppidum heri a Caesare captum sit.
Non dubitabam, quin futurum esset, ut oppidum heri a Caesare captum esset (sed multo saepius : ut oppidum heri a Caesare captum futurum sit, captum futurum esset).

M. Fac haec omnia breviter complectare.

T. Cum Futurum Conjunctivi exigitur in sententia conjuncta, pro solo Futuro I. activo utor conjugatione periphrastica, si verbum supino non caret ; pro ceteris Futuris activis et passivis *futurum est, ut.*

M. Quando in sententia conjuncta Futurum non usurpatur ?

T. Cum sententia, unde illa pendet, notionem aliquam Futuri jam continet. Quod si ita est, sufficit pro Conjunctivo Futuri I. uti Conjunctivo Praesentis vel Imperfecti, et pro Futuro II. Conjunctivo Perfecti vel Plusquamperfecti v. g. Affirmo tibi Cajum anno proximo rediturum esse, *si vivat.*
Affirmabam tibi Cajum rediturum esse, *si viveret.*
Puto te satis facturum, si istud opus *perficias.*
Putabam te satis facturum, si istud opus *perficeres.*
Tibi persuadeas si hoc beneficium mihi *tribuas*, magnopere me gavisurum esse.

Passive : Minatur proconsul se oppidum populaturum, nisi tributa quam primum *conferantur.*
Minabatur... nisi tributa quam primum *conferrentur.*

M. Profer etiam aliquot exempla de Futuro exacto.

T. Non dubito, quin, si quem *inveneris*, libros ad me missurus sis.
Non dubitabam, quin si quem *invenisses*, libros ad me missurus esses.
Non dubitari debet, quin, si Helvetios *superaverint* Romani, una cum reliqua Gallia Aeduis libertatem sint erepturi.
Verisimile est ejus victoriam esse futuram, qui prior gladium *strinxerit.*
Caesari ego rescripsi, quam mihi gratum esset futurum, si quam plurimum in te studii *contulisset.*
Seneca docet, actionem nunquam futuram esse rectam nisi recta *fuerit* voluntas.
Crassus minatur, nisi crastino die litteras a me *acceperit*, se perendie Roma esse profecturum.
Crassus minabatur se, nisi litteras a me *accepisset*, perendie Roma esse profecturum.

CAPUT ALTERUM.

DE MODIS.

I. De Indicativo.

M. Quem modum intelligis Indicativum, Gaudenti ?

G. Indicativus ille modus est, qui de subjecto aliquid dicit verum ac certum, non dubium neque cogitatione fictum v. g. Iustitia omnium *est* domina et regina virtutum. Amicus certus in re incerta *cernitur*. Tullia salutem tibi plurimam *adscribit*. Cato senex historias scribere *instituit*.

M. Haec definitio causam infert, cur lingua latina de usu Indicativi pluribus locis prorsus discrepet a linguis hujus aetatis, velut nos dicimus : Possem omnes enumerare, si vellem ; Latini contra : *Possum* omnes enumerare, si velim ; quia eorum judicio non de re dubia, sed de re vera ac certa agitur : Aut possum enumerare aut non possum. Maximi igitur momenti est scire, Gaudenti, quibus locis Romani hoc Indicativo utantur.

G. Cum agitur de verbis *posse, licere, debere, oportet, necesse est* ; de Gerundivo cum *esse* ;

de locutionibus : *convenit, decet, licet* ; *par, aequum, justum, consentaneum, fas est, nefas est* ; *melius, satius, utilius, optabilius, difficile, longum, infinitum est*, etc.

Pro Imperfecto Conjunctivi, quo nostra lingua utitur *(possem*, difficile *esset)* Romani utuntur Praesenti Indicativi *(possum*, difficile *est)* ; pro Plusquamperfecto Conjunctivi, quo nos utimur *(potuissem*, difficile *fuisset)*, Romani utuntur Imperfecto, Perfecto et Plusquamperfecto Indicativi *(poteram, potui* ; difficile *erat*, difficile *fuit)*.

M. Affer aliquot exempla, Honori.

H. *Possum* persequi multa oblectamenta rerum rusticarum, sed ea ipsa, quae dixi, sentio fuisse longiora (non : *possem)*.

Bonus vates *poteras* esse. *Possum* dicere, sed nolo esse longus. Multa commemorare *possum*, quibus ea confirmentur.
Possum haruspicum responsa commemorare.
Possum sexcenta decreta proferre, sed..,
Si velim nominare homines, nonne *possum* ?
Pro Pompejo emori *possum*, sed tamen ipsa republica nihil mihi carius est.
Minus saepe ad vos litteras do, quam *possum*.
Quid enim facere *poteramus* ?
Quid enim *potuit* dici imperitius ?
Quid enim ei accidere *potuit* optatius ?
Ego *poteram* morbos appellare, sed in consuetudinem nostram non caderet *(je pourrais)*.
Non *potuit* accuratius agi nec prudentius.
Hoc, quod fecit, *potuit* diligentius facere et cautius.

Contra diximus *possem* vel *potuissem*, cum sententia est hypothetica irrealis v. g.
Possem id facere, *si vellem* (sed nolo).
Si conatus esses, quis tibi subvenire potuisset (vide de Sententia hypothetica).
Ad mortem te, Catilina, duci jam pridem oportebat (non : *oportuisset)*.
Volumina debuit in te officiosior esse, quam fuit, et id ipsum quod fecit, potuit facere diligentius (non : *debuisset, potuisset)*.
Difficile est hoc de omnibus confirmare ; sed tamen est certum, quid respondeam (non : *difficile esset)*.
Sic jam tecum loquor, non ut odio permotus videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur (non : quo *deberem)*.
Haec conditio non accipienda fuit potius quam relinquenda patria (non : *fuisset*). Aut non suscipi bellum *oportuit*, aut geri pro dignitate populi Romani (non : *oportuisset)*.

Optandum est, ut aliquando aliam viam ingrediare (non : *esset).*
Alia via tibi ingredienda *fuit* (non : *fuisset).*
Id *erat* accusatoris officium. Jus non erat. Prudentiae tuae fuit.
Erat amentis, cum aciem videres, pacem cogitare (non : *fuisset).*
Egregium, dignum, indignum, optimum erat. Mori praeclarum fuit.
Longe utilius fuit angustias aditus occupare (non : *fuisset).*
Si mihi omnes, ut erat aequum, faverent (non : *fuisset).*
Perturbationes animorum poteram ego morbos appellare.
Haec lectio mutanda non fuit.
Mihi per aetatem tam longum iter facere non licuit.
Verba ejus reprehendenda non fuerunt.

M. Eodem modo Romani dicebant : Non *arbitrabar*, non *putabam, putavi, putaveram*, non multum *abfuit*, etc. cum ingenium nostrae linguae exigat Plusquamperfectum Conjunctivi.

Quando praeterea Romani utebantur Indicativo, Honori ?

H. Indicativus Perfecti conjungitur cum adverbiis *paene* et *prope* v. g. Brutum non minus amo quam tu, *paene dixi* quam te.
Paene praeterii, quod minime praetereundum fuit. *Prope oblitus sum*, quod maxime fuit scribendum. — Pons sublicius iter *paene* hostibus *dedit*, ni unus vir fuisset Horatius Cocles.

Eundem Indicativum exigit *sive-sive (seu-seu).*
Sive quid mecum ipse cogito, sive quid aut lego aut scribo.
Cretum leges, quas sive Juppiter, sive Minos sanxit, erudiunt juventutem. Sive bona fama est sive mala uteris.

M. Estne hoc emendatum : Sive mihi credis sive non ?

H. Emendatum est : sive mihi credis, sive *non credis.*

M. Quid de hoc exemplo : Sive pauper es, sive aeger sive *denique* contemptus ?

H. Pro *denique* dicendum est : sive *etiam* contemptus.

M. Quae verba praeterea cum Indicativo conjunguntur ?

H. Pronomina et adverbia duplicata aut cum *cunque* copulata, ut : quisquis, quidquid, quotquot, utut, ubiubi, quoquo modo, quicunque, quidcunque, qualiscunque, quotcunque, utcunque, ubicunque, quandocunque v. g.
Quidquid oritur, qualecunque est, causam habeat a natura, necesse est. *Quisquis es,* amissos hinc jam obliviscere Grajos.
Nunc eam rationem, *quo* ea me *cunque* ducet, sequar.
Paratus sum facere quidquid est.
Haec *qualiacunque erant*, reticenda non fuerunt. *Utcunque res se habet*, tua culpa est. Una haec spes est, *ubiubi est*, celari non potest. Gabinius illud *quoquo consilio fecit*, fecit certe suo. *Quidquid habuit, quantumcunque fuit,* illud totum habuit ex disciplina. *Utcunque* animum *collegi*, nihil inveni. *Quoquo modo res se habet*, haec querela quid valet ?
Fiat quoquo modo ab hominibus accipitur.
Hanc rationem insistam quidquid amici mei dictitant (dicunt).

M. Ex se intelligitur secundam personam verbi, cum Gallice significat *on*, semper et ubique exigere Conjunctivum v. g. Quocunque eas *(on).*
Quidquid dicas *(on).* Sive vigiles sive dormias *(on).*

Quid denique interest inter : *Non dico, non dicam* et *ne dicam*, quae saepius sententiis interponuntur ?

H. *Non dico (non dicam)* descendit a majore ad minus ; *ne dicam* ascendit a minore ad majus. *Non dicam* est Conjunctivus potentialis v. g. Cui exploratum potest esse, quomodo se habiturum sit corpus *non dico* ad annum, sed ad

vesperum? Quae civitas est in Asia, quae imperatoris aut legati spiritus capere possit, *non dicam* tribuni militum?

Imbecillo animo es, *ne dicam* inhumano. Me in magnum vitae discrimen, *ne dicam* ad certam mortem adduxisti.

Tu parcus esse videris, *ne dicam* avarus.

M. Quid significat *sive* vel *seu* inter bina nomina?

H. Indicat bina nomina unum idemque significare v. g. Vocabulum *sive* appellatio. Pallas *seu* Minerva. Homines *seu* mortales. Numquam igitur: calor *seu* frigus, uxor *seu* vidua.

M. Supra audivimus: Ad mortem te duci jam pridem *oportebat*. Volumina *debuit* in te esse officiosior. Catilina omnino vivum e senatu exire non *oportuerat*. — Quando uteris Imperfecto, quando Perfecto et Plusquamperfecto?

H. Imperfecto id significatur quod factum non est, sed quod etiam fieri potest; Perfecto et Plusquamperfecto id quod factum non est neque jam fieri potest.

De Interrogatione recta.

M. Quot sunt genera interrogandi, Sulpici?

S. Duo interrogandi sunt genera: interrogatio recta, quae ut sententia absoluta recipit Indicativum aut Conjunctivum (dubitativum vel potentialem) v. g. Quis timet? Quis timeat? — et interrogatio obliqua, quae ex verbo vel ex alia parte sententiae solutae pendet et semper recipit Conjunctivum v. g. Interrogo, quis timeat.

Dubius sum, quid faciam.

M. Quomodo latine interrogatur?

S. Ad interrogandum aut pronominibus et adverbiis aut particulis interrogativis utor, quorum illa verbo praeponuntur, haec adjunguntur.

Ejusmodi autem pronomina et adverbia interrogativa sunt: quis, quid, qualis, quantus, quot, quotus, quotusquisque, quorsum, quatenus, uter, ubi, unde, qua, quando, cur, quo, quare, quomodo, quamdiu, quam pridem, quantopere, quousque, ecquis, quam, quidni, qui (= quomodo, cum *fieri* et *posse*) v. g. *Quantum* emisti? *Quotusquisque* philosophorum hoc credit? *Quorsum* de hac re disputamus? *Quo* heri te contulisti? *Quî* hoc fieri potest? *Quomodo* mortem filiae tulit? *Quam* vales? *Cur* dubitas? *Qua* itur ad templum Jovis? *Unde* venis?

In ceteris interrogationibus simplicibus utor particulis interrogativis *ne*, quod aut verbo sententiae aut vocabulo significanti adjungitur; praeterea particulis *nonne*, *num*, *numquid*, *ecquid*.

M. Quando uteris *ne*?

S. Cum nescio, utrum responsum futurum sit affirmans an negans v. g. *Meministine* me dicere in senatu fore in armis certo die? C. Mallium? *Potestne* bonum cuiquam malo esse?

Estne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi se omnia scire persuaserit?

Putasne haec omnia satis esse Romanis?

Num exspectat responsum negativum v. g.

Num duas habetis patrias? *Num* ulla hic est aequitas? *Num* bis bina sunt quinque? *Num* dubitas? *Numquid* ego sum rex? *Num* tot clarissimorum ducum regumque naufragium sustulit artem gubernandi?

Nonne exspectat responsum affirmativum v. g.

Poetae *nonne* post mortem nobilitari volunt? *Nonne* in senatu fuisti? *Nonne* ipsam domum metuet?

M. Estne haec sententia emendata: *Nonne* in urbem venisti? *nonne* socios tuos in contionem convocasti? *nonne* caedem optimatium in ante diem quintum Calendas Novembres constituisti?

S. Optimae latinitatis auctores in ejusmodi sententiis utuntur *nonne* semel et deinceps *non* — *non* — *non.*

Idem valet in *annon.*

M. Quid significat *ne,* cum alii ac verbo adjungitur vocabulo ?

S. Significat admirationem vel dubitationem v. g.
In *nostrane* potestate est, quid meminerimus ? Mundum praeter hunc *unquamne* vidisti ? Quod omnibus necesse est, *idne* miserum esse uni potest ? *Hoccine* est tuum consilium ? *Siccine* esse putas ? *Itane* statuisti ?
Egone unquam tibi negavi quidpiam ? *Tune* me in jus vocabis ?

Nonnunquam verbum significans sine *ne* sententiae praeponitur v. g. *Id* tu nesciebas ? *Infelix* et Fabricius, quod rus suum fodit ?
Ego te videre noluerim ? *Id* non divinitus factum esse putatis ?
Possum ei non inimicus esse ? *Non* ridiculum est ? *Praetorem* tu accusas ? *Invitus* fecisti ?

Saepius deinde in ejusmodi interrogationibus praeter particulam interrogativam *ut* conjunctionem invenimus, pendens ex *fieri potest,* quod cogitando expletur v. g. Mea*ne* ancilla libera *ut* sit ? Illi*ne ut* impune bella concitent ? Ei*ne* ego *ut* adverser ?

Et particula *ne* omissa : *Tu ut* unquam te corrigas ? *Te ut* ulla res frangat ?

M. Quid significat *ecquis, ecquid,* Auguste ?

A. Idem quod *num quis, num quid* cum sensu negativo v. g.
Ecqui pudor est, ecquae religio ? Ecqua civitas est, quae te recipiat ?
Ecquos legatos miserunt ? Ecquis me hodie vivit fortunatior ?

M. Quid significat *quid* in particulis interrogativis *numquid, ecquid* ?

A. Modo nihil significat, modo significationem suam servat v. g.
Numquid te offendi ? Ecquid te abire jussi ?
Sed : Numquid vis ? Ecquid in statuam tuam contulit ? Ecquid attendis ?

M. Unde fit, ut particulae istae non semper responsum negativum exspectent. In interrogatione obliqua autem nihil prorsus differunt a *ne* ? v. g.

Rogavit me, num Roma venirem. Ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam.

Nostra lingua argumentando haud raro dicimus : *Nonne vides* ?
Quomodo Romani dicere solebant ?

A. Modo affirmativo dicebant : *Videsne, viden', ecquid vides* ? v. g. *Videsne (viden')* me consiliis tuis miserum impeditum esse ? *Ecquid vides* Calendas venire, Antonium non venire ? *Videtisne,* ut de virtutibus suis praedicet ? *Videmusne,* ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus deterreantur ?

M. Proprium est linguae latinae plures interrogationes et rectas et obliquas cum compluribus verbis interrogativis in unam eamdemque sententiam cogere. Affer exempla.

A. Clodium si Milo interficere voluisset, *quantae quoties* occasiones, quam praeclarae fuerunt ! Multum interest, *quo* proposito, *ad quam* rem accedas (= quo proposito ad rem et ad quam rem).
Scio, *quid cui* debeam (= quid debeam et cui debeam).
Consules inter se agitabant, ut alter Samnites hostes, alter Etruscos deligeret, ut *uter ad utrum* bellum dux idoneus magis esset.
Non satis intelligo, *cur de quo* querare.

M. Quomodo formatur interrogatio disjunctiva, Calliste ?

C. Respondebo exemplo.

1. *Utrum* animus immortalis est, *an* simul cum corpore interibit ?

2. Immortalis*ne* est animus, *an* interibit.

3. Animus immortalis est, *an* interibit.

Et in interrogatione obliqua :

4. Nescio animus immortalis sit, sit*ne* interiturus.

Formula interrogationis disjunctivae igitur haec est :

utrum — an
ne — an
— — an
— — ne.

v. g. *Utrum* ea vestra, *an* nostra culpa est ? Utrum tu pro ancilla me habes, an pro filia ? Utrum nescis quam alte ascenderis, an id pro nihil habes ? *Romamne* venio, *an* hic maneo, *an* Arpinum fugio ? Ipse patrem percussit, *an* aliis occidendum dedit ? Fuit ille regius filius, *an* nepos ?

M. Quando praecipue uteris *an* solo ?

C. Cum partes interrogationis disjunctivae ex paucis verbis consistunt v. g Abeam, *an* maneam ? Liber es, *an* servus ? Vicit, *an* victus est ? Verum, *an* falsum est ? Unus mundus est, *an* plures ? Studes, *an* piscaris, *an* venaris, *an* simul omnia ?

M. Licetne uti *num-an* in interrogatione disjunctiva ? v. g. Num duas patrias habetis, an unam ?

C. Cum prima pars interrogationis *num duas patrias habetis* significet responsum negativum, altera pars fit inutilis.

M. Estne haec interrogatio disjunctiva, quae exigat *an* : Voluptas melioremne efficit *an* laudabiliorem virum ?

C. Non vero est, quippe cum altera interrogatio priorem non excludat, sed explicet et corrigat. Ergo dicendum est : Voluptas melioremne efficit *aut* laudabiliorem virum. Respondebisne ad haec *aut* omnino hiscere audebis ?

M. Si altera pars interrogationis disjunctivae neganda est, quae est negatio ?

C. *An non* est negatio rectae, *necne* obliquae interrogationis.

Estne sapiens beatus, *an non* ? Veniesne, *an non* ? Visne me sequi, *an non ?* Quaeritur beatusne sit sapiens, *necne*.

Utrum cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes, *annon* ?

M. Licetne, Fabiane, interrogationem rectam ab *an* incipere ?

v. g. *An* pater tuus domi est ?

F. Minime licet ; non est omnino latinum.

M. At certe legi : Quaero *an* argentum ei dederis.

F. Optimae latinitatis auctores in interrogatione obliqua semper utuntur *num* vel *ne*, aetate posteriores saepius *an*, quod non est imitandum.

M. Quomodo explicas *an* in hac sententia : Invitus te offendi ; *an* putas me delectari laedendis hominibus ?

F. *An* est altera pars interrogationis disjunctivae : *(utrum)-an*.

Post : « *Invitus te offendi* » enim simul auditur : *Utrum ita esse credis, an* putas me delectari...

M. Confirma explicationem tuam aliis exemplis.

F. A rebus gerendis senectus abstrahit. Quibus? An his, quae geruntur juventute ac viribus ? — Post *quibus* ? auditur : *aliisne*.

Necesse est cum Arvernis nosmet conjungere. An dubitamus, quin jam Romani ad nos interficiendos concurrant ? Post *conjungere* auditur : *Utrum id ita esse credimus* ?

Oratorem irasci minime decet. An tibi irasci videmur, cum vehementius dicimus ? — Post *decet* audi : *utrum irascimur* (an videmur).

Quid dicis ? An bello fugitivorum Siciliam virtute tua liberatam ? — Post : *Quid dicis* auditur : *Utrum aliud* an.

An non dixi esse hoc futurum ? Auditur : *utrum dixi* (an non dixi).

M. Quomodo Romani ajebant et negabant, Hilari ?

H. 1) Ajebant verbo interrogationis significanti repetendo, cui haud raro addebant *sane* aut *vero* v. g. Vidistine eum ? — *Vidi.*

Dicamne quod sentio ? — *Dic vero.* Novistine eos ? — *Novi sane.*

Virtutes narras meas ? — *Tuas.* Solusne abiit ? — *Solus.*

Forisne coenasti ? — *Foris.*

Tune hunc anulum invenisti ? — *Ego vero.* Generosae stirpis estne ? — *Generosae.*

2) Verbis : *ita est ; ita vero est ; ita* v. g.

Haeccine tua domus est ? — *Ita.* Defuerunt provinciae ? — *Ita est.* Fraterne ? — *Ita.* Estne hoc factum ? *Est ita.*

3) *Vero,* cui plerumque praeponitur pronomen *ego, ille,* etc. v. g.

Interfecistine illum ? — *Ego vero.* Dedistine fidem ? — *Dedi vero.*

Fefellit te ? *Ille vero.* Tu orationes nobis veteres explicabis ? — *Vero inquam.*

Visne hoc facere ? *Vero ac libenter quidem: (oui, bien volontiers).*

4) *Sane, sane quidem, etiam, quippe,* sed nunquam *utique.* v. g. Aut *etiam* aut *non* responde. Intellexistis haec omnia ? — *Etiam.*

Estne illa bella ? — *Etiam bella,* sed non bellissima. Potesne probare hanc rem ? *Etiam.* Visne aliquid bibere ? *Sane pol, sane hercle.*

Novistine eum ? *Probe.* Sitisne ? *Maxime.* Esne puer bene

moratus ? *Sane quidem.* Visne sermoni reliquo demus operam ?

Sane quidem.

Quippe plerumque usurpatur per ironiam v. g. Diceres te restituisse ? *Quippe* inquit *(oui certes).*

M. Galli ad interrogationem negativam saepissime respondent : « *si,* » quomodo Latini ?

H. Aut verbum repetunt significans, aut respondent : *imo,* quod nunquam tamen solum esse debet v. g.

Nonne venisti ? *Veni.* Nonne tu hoc poculum vendidisti ? *Ego.*

Nonne cum eo fuisti ? *Imo fui.*

M. Estne hoc latinum : Equidem dico *non* ?

H. Latinum est : Equidem *nego.*

M. Estne hoc emendatum : *Non, non* est ita, judices ! *non* est profecto ?

H. Dicendum est : *Non* est ita, judices ! *non* est profecto !

M. Quid tibi de hac sententia videtur : Quid dicam *juste* ? *non, injuste* potius accusamur ?

H. Latine dicendum est : Quid dicam *injuste ? injuste potius* accusamur (sine *non).*

M. Licetne simpliciter respondere : *non ?*

H. Non licet ; addendum est verbum interrogationis significans v. g. Venitne ? *Non venit.* Solusne venit ? *Non solus.* Tune hoc fecisti ? *Non ego.*

Estne pater intus ? *Non est.* Meas laudas virtutes ? *Non tuas.* Non es iratus ? *Non sum ; non vero.*

M. Qua alia negatione Romani utebantur ?

H. *Minime ; minime vero* v. g. Te certiorum non fecit de adventu Caesaris ? — *Minime ; minime vero.* Num igitur peccamus ? *Minime vos quidem.*

Visne mecum ire ? *Minime, minime ; nihil vero minus.*

M. Estne haec sententia emendata : Laudasti eum ? — *Non*, imo vero reprehendi eum ?

H. Dicendum est : Laudasti eum ? — *Imo reprehendi* (sine *non)* vel *imo vero, imo enim vero, imo potius* reprehendi eum.
Siccine hunc despicis ? — *Imo enim vero* hic me despicit.

II. De Conjunctivo.

M. Quid est Conjunctivus, Juliane ?

J. Conjunctivus ille est verbi modus, qui quod sententia continet, non certum ac verum, sed animo tantum conceptum vel opinatum esse declaret v. g. Te admoneo, ut iracundiae resistas. — *Te admoneo* est res certa ac vera ; *ut resistas* autem res animo concepta nequedum ad effectum adducta. — *Catilina abiit* significat factum certum ; *abeat* Catilina, est cogitatio loquentis. Quam ob rem quaecumque sententia propositum aliquod, voluntatem, votum, mandatum, consilium, postulatum, dubium, conjecturam continet, necessario exigit Conjunctivum.

M. Confirma dictum exemplis.

J. *Ut jugulent* homines (propositum), surgunt de nocte latrones.
Volo, ut captivi humane *tractentur* (voluntas).

Vix *optandum est, ut* ejusmodi homines diutius *vivant* (optatio).
Senatus *mandavit, ut* Decemviri libros Sibyllinos *inspicerent* (mandatum).
Themistocles Atheniensibus *suasit, ut* urbem *relinquerent* (consilium).
Tribuni plebis *postulant, ut* sacrosancti *habeantur* (postulatum).
Iustumne hoc *sit*, valde *dubito* (dubium).
Libenter rem tibi concedo, *dummodo causa*, quam attulisti, *sit vera* (conjectura).

In eodem numero sunt illae sententiae, quae cogitationem alterius referunt v. g. Noctu ambulabat Themistocles, *quod somnum capere non posset.*

Item denique illae sententiae, quarum nec subjectum nec objectum est persona definita (= *on)* v. g.
Mos erat Athenis eos publice laudare, *qui* fortiter *pugnassent.*
Libertas est potestas vivendi, *ut velis.*
Nihil est turpius, quam cum eo bellum gerere, quo cum familiariter *vixeris*. Est animi ingenui, cui multum *debeas*, eidem plurimum velle debere. Qui semel verecundiae fines *transierit,* eum naviter oportet esse impudentem.
Illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum *diligamur*. Quae possunt cupiditates esse in eo, qui ruri semper *habitaverit* et in agro colendo *vixerit.*
Proprium est irati cupere, a quo laesus *videatur,* ei quam maximum dolorem inurere. Qui autem concupiverit, eum necesse est, si id *consecutus sit*, magnopere laetari.

M. Prooemium istud tuum abunde sufficiat. Quot jam sunt genera Conjunctivi, Luciane ?

L. Duo sunt Conjunctivi genera : Conjunctivus absolutus et Conjunctivus junctus seu subjectus, quorum ille, sententiam constituens solutam, per se cogitationem aliquam effert ; hic autem ex aliqua parte ejusdem sententiae pendet.

M. Affer aliquot exempla Conjunctivi absoluti.

L. Quid *faciam* ? *Emas*, quod necesse est. Quis hoc *credat* ! Hunc librum *ne legeris*. *Moriamur* tecum. Qui dedit beneficium, *taceat*. Forsitan *quaeratis*. *Fleas*, sed rem non mutabis. *Valeant* cives mei. Utinam pater *viveret* !

A. De Conjunctivo absoluto.

M. Quae sunt partes Conjunctivi absoluti ?

L. Conjunctivus absolutus potest esse, ut ex ipsis, quae modo protuli, exemplis patet, aut potentialis, aut dubitativus, aut concessivus, aut optativus aut hortativus vel suasorius.

1. De Conjunctivo potentiali.

M. Quid significat Conjunctivus potentialis, Rufine ?

R. Significat aut id quod revera non est, sed esse vel fieri potest, aut sententiam mitigatam. Vicem praestat et Praesentis et Futuri Indicativi. Sententia autem mitigata est v. g. Hic aliquis *dicat* : Medice cura te ipsum *(quelqu'un pourrait dire,* ou : *dira),* pro : *aliquis dicet.* Nemo hoc *concesserit* ; pro : Nemo hoc *concedit* vel *concedet.*

M. Quae est negatio et quae sunt tempora hujus Conjunctivi ?

R. Negatio est *non* ; tempora sunt Praesens, Perfectum, Imperfectum.

M. Quid differt Perfectum a Praesenti ?

R. Nihil prorsus. Quis hoc *credat* ? et : Quis hoc *crediderit* ? unum idemque significant.

M. Affer exempla Coniunctivi potentialis.

R. Forsitan *quaeratis,* qui iste error sit, et quae tanta formido.
Hoc tibi certe non *pollicear.* Illum vix *invenias* absque ullo Ciceronis opere. Nullam virtutem Alexandri magis, quam celeritatem *laudaverim.* Hoc nemo *dubitaverit.* Omnibus fere in rebus et maxime in physicis, quid non sit, citius, quam quid sit, *dixerim.* Haec prompta *refutaveris.* Quis hoc in dubium *vocaverit* ? Vix ulla acies *obstiterit.* Fidem non *dederim* sic futurum. Mori nemo sapiens miserum *dixerit.* Hoc sine ulla dubitatione *confirmaverim* eloquentiam rem unam esse omnium difficillimam.

M. Licetne uti Perfecto passivo ?

R. Rarissime invenitur v. g. *gloriati sint* ; *miratus sim.*

Saepius contra invenimus *ausim* (= ausus sim) v. g. *Ausim* contendere *(j'oserais affirmer)*; certe affirmare *non ausim,* etc.

M. Supra de Indicativo diximus Romanos in quibusdam locutionibus, ut : *longum est, difficile est, utile est,* etc. non admittere nisi Indicativum ; neque tamen excluditur Perfectum Conjunctivi potentialis v. g. utile, longum, nefas, infiniti laboris *fuerit.*
Quid significat *Imperfectum Conjunctivi potentialis* ?

R. Sensum habet Plusquamperfecti. Saepissime invenitur : *diceres (on aurait dit), crederes, putares, videres, cerneres.* Tertia persona contra raro in usu est v. g. qui *videret,* urbem captam *diceret.* Sed saepius : *Quis crederet, quis putaret, quis arbitraretur.*

M. Profer exempla.

R. Moesti, *crederes* victos, redeunt in castra. Quidquid erat patrum, reos *diceres.* Signum datum *crederes,* ut vasa colligerent.
Haud facile *decerneres,* utrum Hannibal imperatori an exercitui carior esset.
Vix hoc erat imperatum, cum illum spoliatum stipatumque lictoribus *cerneres.*
Pecuniae an famae minus parceret, haud facile *discerneres.*
Confecto proelio, tum vero *cerneres,* quanta audacia fuisset in exercitu Catilinae. Principum diversa *cerneres* studia. Neminem totis castris quietum *videres. Putares* Sullam venisse in Italiam non belli vindicem, sed pacis auctorem.

2. De Conjunctivo dubitativo.

M. Quid significat Conjunctivus dubitativus, Sabine ?

S. Interrogationem continet dubitativam v. g. Quid faciam ?
Quo *eam* ?
Quis sapiens bono *confidat* fragili ? Nonne *sufficiat* ? Ego,

quis sim, tu *nescias* ? Unde *sciam*? Quis hoc *ferat* ? Quod auxilium *petam* ?
Ego interitu patriae *gaudeam* ? Quis unquam hoc *credat* ? Hoc non *noceat* ? Quid hoc homine *faciatis* ? Quid *timeam* ? Quidni *laudet* ?

M. Quando uteris *Perfecto* ?

S. Cum Perfectum antecessit v. g.[Apud exercitum fui]. Apud exercitum *fueris* tot annos ? [Forum non attigi]. Forum non *attigeris ?* [Biennium ab urbe abfui]. Biennium ab urbe *abfueris* ? [Me videre noluisti]. Ego te videre *noluerim (je n'aurais pas voulu te voir)* ?

M. Quid significat *Imperfectum* huius Conjunctivi ?

S. Locum tenet Plusquamperfecti v. g. Tibi ego *possem* irasci ?
Valerius quotidie cantabat, erat enim scenicus : quid *faceret* aliud ?
Quid *enumerarem* artium multitudinem ? Quid *agerem* ? Cur Caesar fortunam *periclitaretur* ? Cur etiam secundo proelio aliquos ex suis *amitteret*? Hoc tantum bellum quis unquam *arbitraretur* uno anno confici posse ? — Et ita saepe : Quis crederet, quis putaret, quis arbitraretur ?

3. De Conjunctivo concessivo.

M. Conjunctivus concessivus Praesentis et Perfecti concessionem continet, cuius negatio est *ne*. Affer, Urbane, exempla.

U. *Fleat*, sed rem non mutabit. Haec *sint* falsa sane, invidiosa certe non sunt. *Roges* me, qualem deorum naturam esse ducam ; nihil fortasse respondeam. Naturam *expellas* furca, tamen usque (= semper) recurret. Age *sit ita* factum *(eh bien, supposant que)*.
Malus civis Cn. Carbo fuit. *Fuerit* aliis ; tibi quando esse coepit ?

Ita dixisti. *Dixerim*, sed quid ad te pertinet ? Mihi auxilium promisisti. *Promiserim*, quamquam omnino non memini.
Ne sit summum malum dolor, malum certe est.

4. De Conjunctivo optativo.

M. Quid est Conjunctivus optativus, Valentine ?

V. Ille est Conjunctivus, qui optationem aliquam significat.

Si id, quod optamus, fieri potest, utimur Praesenti vel Perfecto Conjunctivi ; si de effectu desperamus, Imperfecto vel Plusquamperfecto Conjunctivi. Tempora principalia saepius, tempora historica semper verbo praeponunt *utinam* adverbium, negative *utinam ne* v. g.

Deus hanc rem bene *vertat*. *Valeant* cives mei, *sint* incolumes, *sint* florentes, *sint* beati, *stet* haec urbs praeclara ! *Utinam* hoc Pisoni voluptati *sit ! Utinam* modo conata perficere *possim* ! Dii *prohibeant* a nobis impias mentes !
Haec habui de senectute quae dicerem, ad quam *utinam perveniatis*. *Utinam* ne *moriaris*. *Utinam* patriam meliorem *inveneris*.
Utinam is *essem*, quem tu me existimas. Illud *utinam* ne vere *scriberem*. *Utinam* omnia pericula evitare *possemus*. *Utinam* mecum idem *sentires*. Istum *utinam* nunquam *vidissem* (ne unquam). *Utinam* calliditatem hominibus dii *ne dedissent*. *Utinam ne* Phormioni id suadere in mentem *incidisset*.

M. Sunt, qui dicant : *O* utinam v. g. *O* utinam hic adesses ! quod apud poetas, in prosa oratione autem vix inveniatur.
Saepissime praeterea optatio inchoatur a verbis *velim (nolim, malim)*, aut *vellem (nollem, mallem)* cum eodem discrimine, quod supra exposuimus, i. e. *velim*, quod fieri potest : *vellem*, quod frustra optatur. Affer aliquot exempla.

V. *Velim* mihi ignoscas. Quidquid veniet in mentem, *velim* scribas. *Malim* indisertam optare prudentiam, quam stultitiam loquacem.
Vellem maturius intervenisses. *Vellem* minor essem statura.
Nollem Corinthum sustulissent. *Nollem* dixisse. Patrem atque matrem viverent *vellem* tibi. *Nollem* factum.

M. Genere quodam Conjunctivi optativi Romani praeterea utebantur in asseverando aliquid v. g. *moriar, interеam, peream, ne vivam, ne sim salvus*, si aliter scribo ac sentio ; si magis gauderem, si id mihi accidisset, etc.

Ejusdem generis est : *ita — ut*, quorum illud jungitur cum Conjunctivo, hoc cum Indicativo, si affirmes ; cum Conjunctivo, si optes. Gallice dicimus : *Puissé-je être aussi sûr de.... que de...* v. g. Ita me dii bene *ament*, ut nonnihil *timeo (je le jure par les dieux, je ne suis pas sans crainte)*.
Ita deos *velim* propitios, ut *commoveor* animo.
Ita *vivam*, ut maximos sumptus *facio (puissé-je être aussi sûr de vivre, qu'il est vrai, que je fais de très grandes dépenses)*.
Ut saepius omittitur v. g. Sollicitat, *ita vivam*, me tua, mi Tiro, valetudo *(ta santé, mon cher Tiron, m'inquiète, je te le jure)*.
Ita mihi omnes deos propitios velim.
Atque ita sim felix, primo contendis Homero *(oui, sur mon bonheur, tu le disputes au prince des poètes, à Homère)*.
Ut cum Conjunctivo : Ita me deus adjuvet, *ut* diu *vivas*, *(que je vous souhaite une longue vie)*.

5. De Conjunctivo hortativo.

M. Quid significat Conjunctivus hortativus, Albane ?

A. Conjunctivus hortativus invitationem vel hortationem continet, cujus negatio est : *ne* et pro *neque* : *neve*.
v. g. *Moriamur* cum illo. *Imitemur* majores nostros. Imitemur nostros Brutos, Camillos, Decios, Scipiones. *Amemus* patriam, *pareamus* senatui. *Meminerimus* etiam adversus infimos justitiam esse servandam. *Revertamur* ad propositum.

Cum vero agitur de jussu aliquo vel praecepto, utendum est tertia persona Praesentis Conjunctivi v. g.
Quid dedit beneficium, *taceat : narret*, qui accepit.
Quam quisque norit artem, in hac *se exerceat*. Donis impii ne placare *audeant* deos. *Sit* igitur sermo lenis minimeque pertinax ; *insit* in eo lepos. *Videat* orator imprimis, quibus de rebus loquatur, si seriis, severitatem *adhibeat*, si jocosis, leporem.

M. Cur non eodem modo uteris secunda persona Praesentis ?

A. Quia optimae latinitatis auctores secundam personam Conjunctivi plerumque intelligunt personam fictam = *on*. Quapropter *ne dicas, ne facias, ne resistas* significat : *qu'on ne dise pas, qu'on ne fasse pas, qu'on ne résiste pas*.
Injurias quas ferre nequeas, defugiendo *relinquas (on)*.

M. Quid, si de persona certa, non ficta agitur ?

A. Tunc ad Imperativum recurro et si verbum negat, ad Perfectum Conjunctivi v. g. Pro : Bonos libros *legas*, dicendum est : Bonos libros *legito*. Pro : Malos libros *ne legas* : Malos libros *ne legeris*.

Tu *ne quaesieris*, quem mihi, quem tibi finem dederint. Quod tibi fieri non vis, alteri *ne feceris*. Quod dubitas, *ne feceris*. Iberum *ne transieris*. Nihil incommodo valetudinis tuae *feceris*.

M. Estne falsum igitur : Cum te bene confirmaris, ad nos *venias* ?

A. Livius et alii scriptores aetate posteriores non dubitant, quamvis persona sit certa, uti Conjunctivo Praesentis v. g. Si sciens fallo, tum me Juppiter, pessimo leto *afficias*. Amicus populi Romani sis, et si me virum bonum esse credis, *scias* multos nostri similes in civitate Romana esse.

M. Nonnunquam etiam secunda et tertia persona Imperfecti, rarius Plusquamperfecti vicem praestant Imperativi praeteriti v. g.

Pater ejus fortasse aliquando iniquior erat : *pateretur (il aurait dû).*

Forsitan non nemo vir fortis dixerit : *restitisses (tu aurais dû résister).*

Frumentum *ne emisses (n'eusses-tu point acheté ; tu n'aurais pas dû).*

Potius *diceret* : non esse utile reipublicae *(mieux eût valu dire).*

Saltem aliquid de pondere *detraxisset (du moins il aurait dû ôter).*

Mittam tibi orationes meas, ex quibus perspicies et quae gesserim et quae dixerim : aut *ne poposcisses* ; ego enim tibi me non offerebam *(ou tu n'aurais pas dû les demander).*

B. De Conjunctivo Juncto seu Subjecto.

M. Conjunctivus absolutus per se, ut vidimus, constituit sententiam. Conjunctivus autem junctus, qui cogitationem aliquam subjecti sententiae absolutae significat, pendere potest aut ex conjunctionibus, aut ex pronominibus vel adverbiis relativis, aut ex pronominibus, adverbiis, particulis interrogativis.

Quam ob rem nobis agendum erit de Conjunctivo sententiae conjunctionalis ; de Conjunctivo sententiae conjunctae relativae ; de Conjunctivo interrogationis obliquae.

1. De Conjunctivo sententiae conjunctionalis.

M. Quarum conjunctionum hic imprimis ratio habenda est, Beate ?

B. In earum numero imprimis sunt conjunctiones finales et consecutivae.

M. Quae sunt istae ?

B. *Ut (uti), ne, quo, quominus, quin.*

M. *Ut* quid igitur significare potest ?

B. *Ut* significare potest *consecutionem* aliquam, quapropter appellatur *ut consecutivum (de sorte que).*

Ut praeterea significare potest finem aliquem vel propositum *(afin que)*, quam ob rem appellatur *ut finale.*

Ut denique significare potest concessionem aliquam *(supposons que)*, quapropter vocatur *ut concessivum.*

M. Explica

ut *consecutivum.*

B. Utimur *ut* consecutivo in illis sententiis, in quibus hanc conjunctionem antecedunt.

1) Adjectiva : tantus, tot, talis, is (= talis) ;

2) Adverbia : ita, sic, adeo, tam, tantopere, toties.

Negatio est : *ut non.*

Gallice dicimus v. g. *Il était si cruel que... Le pays était tellement ruiné que... Sa mère l'aimait tant que...*

Tanta caritas patriae est, *ut* eam non sensu nostro, sed salute ipsius *metiamur. Tot* eum simul aggressi sunt hostes, *ut* se defendere inutile *esset.* Iphicrates Atheniensis *talis* dux fuit, *ut* cum primis *compararetur.* Copias suas in *eam* consuetudinem adduxit, *ut* sine ducis opera ordinatae *consisterent.* Atticus *ita* vixit, ut universis Atheniensibus merito *esset* carissimus. Socratis responso *sic* judices exarserunt, *ut* capitis hominem innocentissimum *condemnarent.* Epaminondas paupertatem *adeo* facile perpessus est, *ut* de republica nihil praeter gloriam *ceperit.* Non *tam* eramus amentes, *ut* explorata nobis *esset* victoria. Quies mihi *tantopere* est grata, *ut* nunquam commercium *quaeram* hominum.

Toties te admonui, *ut taedeat* me te amplius admonere.

M. Eodem modo dicimus : Vita hominum *ejusmodi* est, *ut*... (= talis).

Si haec adjectiva et adverbia, ut saepius fit, sunt omissa, ex ceteris intelliguntur v. g. Arboribus consita Italia est, *ut* tota pomarium videatur. Epaminondas fuit etiam disertus, *ut* nemo ei Thebanus par esset eloquentia.

Damase, perge explicare *ut* consecutivum.

D. *Ut* consecutivum sequitur comparativum cum *quam*, cum consecutio locum non habere significatur v. g.
Famae ac fidei damna *majora* sunt, *quam ut* aestimari possint *(trop grands)*.
Urbs *munitior* erat, *quam ut* primo impetu capi posset. *(trop)*.
Major sum, *quam ut* fortuna nocere mihi possit.

Exigunt praeterea *ut* consecutivum verba impersonalia : accidit, fit, evenit, contingit, usu venit *(il arrive que)* v. g. *Accidit* Cononi, *ut* inconsideratior secunda, quam in adversa esset fortuna. *Fieri potest, ut* fallas. Persaepe *evenit, ut* utilitas cum honestate certet. Thrasybulo *contigit, ut* patriam ex servitute in libertatem vindicaret. *Fit, ut* sapientissimus quisque erret.
Mihi *usu venit, ut* ipsae litterae me consolari non possent.

M. At legi apud ipsum Ciceronem : *Accidit* perincommode, *quod* eum nusquam vidisti. Quomodo explicas *quod* ?

D. Cum *accidit, evenit, cadit, facere, factum est*, et similia conjuncta sunt cum adverbiis *bene, male, commode, incommode, opportune*, etc. sequitur *quod*, quia in ejusmodi sententiis non de consecutione agitur, quae jam inest in adverbiis, sed de causa rei secundae aut adversae ut praecedentibus aut omissis pronominibus demonstrativis (hoc, illud, id, eo, ex eo, inde, etc.) significatur.
Facis *fraterne (humaniter, honestissime*, etc.) *quod* me admones.

Pergratum mihi fecisti, *quod* librum ad me misisti. *Commode (bene, male)* evenit, *quod* senatus conditiones pacis repudiavit.

M. Quid interest inter : *Accedebat* (huc, eo, eodem-*ajoutez)* etiam ad Appii Claudi senectutem, *quod* caecus erat ; et :
Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, *ut* caecus esset ?

D. Accedit *quod* addit novam causam alicujus rei ; accedit *ut* addit merum factum (historicum).
Supra belli latini metum id quoque accesserat, *quod* triginta jam conjurasse populos satis constabat.
Accedit, *ut* eo facilius animus evadat ex hoc aëre eumque perrumpat, quod est nihil animo velocius.

M. Perge, Floriane, interpretari *ut* consecutivum.

F. Ut consecutivum sequitur quasdam locutiones ut : *est, futurum est (il arrivera), fieri potest, fieri non potest (il est possible, impossible), sequitur (il suit de là que), proximum est (il me reste à), reliquum est (il reste à), restat, (il reste à), extremum est (je n'ai plus qu'à), mos est, consuetudo est, jus est.* v. g. Meum *jus est, ut te* cogam.
Fieri potest, ut recte quis sentiat et id, quod sentit, polite eloqui non possit.
Quando *fuit, ut* quod licet non liceret ? *Futurum est, ut* Romani tota Graecia potiantur. *Sequitur, ut* doceam, omnia subjecta esse naturae eaque ab ea pulcherrime regi. *Restat, ut* doceam omnia quae sint in hoc mundo, hominum causa facta esse. *Reliquum est, ut* egomet mihi consulam. *Proximum est, ut* doceam deorum providentia mundum administrari. Si enuntiatio vera non est, *sequitur, ut* falsa sit. *Proximum est* ergo, *ut*, opus fuerit classe necne, quaeramus. Illud etiam *restiterat ut* te in jus adducerent. *Extremum illud est, ut* te orem et obsecrem, ut, etc. *Mos est* hominum, *ut* nolint eundem pluribus rebus excellere. Negavit

moris esse Graecorum, *ut* in convivio virorum accumberent mulieres. Ea apud Germanos est *consuetudo, ut...*

M. Cavete dicatis : *hinc, inde, ex eo, ex quo* sequitur ; latinum est : *sequitur* vel *sequitur igitur.*
Estne hoc emendatum : In eo erat miles, ut in muros evaderet ?

F. *In eo esse, ut (être sur le point de)* impersonaliter construitur.
Ideo : *In eo erat, ut miles* in muros evaderet.
In eo est, ut patriam relinquam (ac non : In eo sum, ut).
In eo erat, ut urbs caperetur (ac non : urbs in eo erat, ut caperetur).
In eo fuerat, ut hostes victoriam consequerentur (ac non : hostes in eo fuerant, ut).

M. Quid significat : *Tantum abest, ut* Cajus rideat, *ut* contra fleat ?

F. *Tantum abest, ut... ut...* Gallice significat : *Tant s'en faut que... que*, v. g. *Tantum abest, ut* enervetur oratio compositione verborum, *ut* aliter in ea vis esse non possit. Philosophia, *tantum abest, ut* proinde, ac de hominum vita est merita, laudetur, *ut* a multis etiam vituperetur.
Tantum abest, ut nostra miremur, *ut* usque eo difficiles et morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.
Tantum abfuit, ut Rhodiorum praesidio nostram firmaremus classem, *ut* etiam a Rhodiis urbe, portu, commeatu prohiberentur nostri milites.
Tantum abfuit, ut civilia certamina terror externus cohiberet, *ut* contra eo violentior potestas tribunitia esse videretur.

M. Licet alteri *ut* addere : *contra,* vel *etiam,* nunquam vero : *potius.* Si contra alterum *ut* conjunctum est cum negatione, pro *ut etiam non* apud auctores non invenias nisi *ut ne-quidem* v. g. Tantum abest, ut operis illius sim conditor, ut ne teruncium quidem ad id contulerim.

Pro *tantum abest, ut-ut...* licet etiam dicere : *ita non,* vel *adeo non (nihil), ut* v. g. Adeo non tenuit iram,ut se venturum diceret... *(bien loin de).* Adeo te non diligo, ut oderim te atque contemnam. Ita non curat valetudinem, ut eam omnino negligat.

Eodem modo uti licet : *Non modo non — sed (verum) etiam* v. g. Latina lingua *non modo non* inops, *sed* locupletior est *etiam* quam Graeca. *Non modo non* erat tempestas, *sed ne* minima *quidem* aura fluctus agitabat.
Quid habes addere, Floriane ?

F. Vix quidquam habeo, quod addam nisi forte aliquot locutiones velut : *Eo* vecordiae (audaciae) processit, *ut (il en vint à ce point de démence) ; eo* ventum est, res *eo* deducta est, *ut (les choses en sont à ce point que) ;* rem *huc* adduxi, *ut (j'ai amené les choses au point que).* Tarquinius Anco regis familiaris est factus *usque eo (à tel point que), ut* consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur.

M. Veniamus ad

ut *finale.*

Quid significat *ut* finale, Laurenti ?

L. Respondet interrogationi : Quo concilio ? Quid spectans ? Quorsum ? — (Gallice : *pour que,afin que) ;* cujus negatio est *ne* v. g.
Bella suscipiuntur, *ut* sine injuria in pace *vivamus.* Persae mortuos cera circumlitos condunt, *ut* quam maxime *permaneant* diuturna corpora. Legum idcirco omnes servi sumus, *ut* liberi esse *possimus.* Dii homines celsos et erectos constituerunt, *ut* deorum cognitionem coelum intuentes capere *possint.*
Esse oportet, *ut vivas,* non vivere *ut edas.*
Haec idcirco ad te scribo, *ne* me oblitum esse mandato-

rum tuorum *putes*. Ager non semel aratur, sed novatur et iteratur, *quo* (= ut eo) meliores fetus *possit* et grandiores edere.

M. Multa sunt verba, quae significent subjectum animo sibi certum aliquod consilium proposuisse, et hac de causa exigant *ut* finale ;
Quae sunt ejusmodi verba ?

L. *Verba optandi, orandi, postulandi* v. g. opto, cupio, desidero, volo, postulo, flagito, oro, rogo, peto, precor, obsecro.

Verba studendi v. g. studeo, curo, operam do, laboro, elaboro, consulo, prospicio, provideo, video, contendo, nitor, enitor, conor, facio, efficio, id ago, id specto, nihil antiquius habeo quam.

Verba imperandi : mando, impero, edico, praecipio, decerno, constituo.

Verba hortandi et impellendi : hortor, adhortor, cohortor, moneo, admoneo, suadeo, persuadeo ; cogo, impello, incito, excito, moveo, permoveo, commoveo, adduco.

Verba impetrandi : impetro, assequor, adipiscor, consequor.

Verba permittendi : permitto, concedo.

M. Profer aliquot exempla.

L. Phaëton *optavit, ut* in currum patris tolleretur. *Cura, ut* convalescas. Tribuni plebis *postulant, ut* sacrosancti habeantur.
Ante senectutem *curavi, ut* bene viverem. Omne animal *id agit, ut* se conservet. Qui stadium currit, *niti et contendere* debet, *ut* vincat. Nos *id videamus, ut* quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus. Omnibus viribus, *ut* nosmet ipsi nobis mederi possimus, *elaborandum est.* Senatus *imperavit* decemviris, *ut* libros Sibyllinos inspicerent. Impellimur natura, *ut* prodesse velimus quam plurimis. Senatus Lentulum *coegit, ut* se abdicaret praetura. Themistocles Atheniensibus *suasit, ut* in naves se suaque conferrent.

Pythia Atheniensibus *praecepit, ut* Miltiadem sibi imperatorem sumerent. Caesar Dolabellae *dixit, ut* ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem. Lentulus *constituerat, ut* tribunus plebis quaereretur de actionibus Ciceronis. Philosophia *adhortatur, ut* deo libenter pareamus. Te *admoneo, ut* iracundiae resistas.
Equidem *vellem, ut* aliquando redires.
Senatus *decrevit, ut* Nicodemus in regnum restitueretur. Hannibal *effecit, ut* imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur. Si omnia *fecit, ut* sanaret, peregit medicus partes suas. *Impetrabis* a Caesare, ut tibi abesse libeat. Caesar Helvetiis *concedendum* non putavit, *ut* per provinciam iter facerent.

M. Laurentius exemplum attulit : Caesar Dolabellae *dixit, ut* ad me *scriberet*, ut in Italiam venirem. Quomodo explicas, Pauline, *ut* conjunctum cum verbo declarandi ?

P. Etsi *dicere* et *scribere* sunt verba declarandi, tamen hic continent *jussum* = imperavit, mandavit, negotium dedit, ut. Eodem modo Pythia apud Nepotem Atheniensibus *respondit, ut* moenibus ligneis se munirent.

M. Item attulit : Equidem *vellem, ut* aliquando redires. Estne illud emendatum ?

P. Est illud quidem emendatum ; sed *volo (nolo, malo), ut* raro invenitur. Verba volo, malo, nolo, cupio, sino, patior constanter fere conjunguntur cum Accusativo cum Infinitivo, dummodo sententia conjuncta proprium habeat subjectum. Si vero utraque pars sententiae unum idemque habet subjectum, volo, malo, nolo, cupio, studeo, contendo, statuo, constituo, decerno recipiunt Infinitivum v. g. homines volunt, nolunt, cupiunt, student, etc. beati esse.

M. Item attulit : Senatus Lentulum *coegit, ut* se abdicaret praetura.

P. Non est falsum ; sed *cogere* multo saepius habet Infinitivum quam *ut.*

Necessario puteos *fodere cogebantur*. Qua me *uti* respublica *coegit*.
Plerosque ad officium *redire coegit*.

M. Estne hoc probum : Permisit mihi custos transire ?

P. Omnino est probum ; quamquam enim *permitto* et *concedo* plerumque recipiunt *ut*, tamen si conjuncta sunt cum pronomine personali, non recusant Infinitivum. Concedo vobis mortuos auferre.

M. Quid judicas de hac sententia : Poscit, ut ei librum restituas ?

P. Dicere licet : Poscit librum, poscit argentum ; nunquam vero, si emendate loqui velis, poscere *ut* cum sententia conjuncta.

M. Judica de hac sententia : Senatus *jussit, ut* oppidum deleretur.

P. *Jubere* et *vetare* recipiunt Accusativum cum Infinitivo ; invenitur tamen *jubere ut* in legibus et edictis magistratuum. Nunquam vero licet dicere : Vetuit *mihi* ex urbe excedere.
Imperare autem cum Infinitivo Praesentis passivi conjungi potest.

M. Quid differunt hae duae sententiae : Si omnia *fecit,ut* sanaret, peregit medicus partes suas ; et : Sol *efficit (facit), ut* omnia floreant ?

P. Illud est *ut* finale ; hoc *ut* consecutivum. *Facere, perficere, efficere* recipiunt *ut* finale, cum subjectum animo sibi proponit aliquid ; secus *ut* consecutivum loco suo est (cum negatione : *ut non)* v. g. Splendor vester *facit, ut* peccare sine summo reipublicae periculo *non* possitis.
Ceterum *facere, ut* saepius nihil est nisi circumlocutio v. g.
Facite, ut mores ejus et vultum recordemini.
Invitus feci, ut Flaminium e senatu ejicerem (pro invitus ejeci).

M. Quid significat : Unde *efficio, ut* animi sint immortales ?

P. *Efficio,ut (efficitur,ut)* animi sint immortales,vel *efficio (efficitur)* animos esse immortales, significat : *concludo* ; *sequitur*.
Ex quo (hinc, unde) efficitur, hominem naturae obedientem homini nocere non posse. Unde efficio, ut sapiens sit beatus.
Numquam vero boni scriptores,ut alias vidimus, habent : *Ex quo, hinc, unde, inde sequitur*, sed simpliciter *sequitur* sine *ex quo, inde*, etc.

M. Quid significat : *Fac te esse* caecum, Romane ?

R. *Fac* cum Accusativo et Infinitivo significat : *finge* ; (gallice: *suppose, supposons que)* v. g. *Fac* isto nihil esse jucundius. *Fac*, quaeso, qui ego sum,esse te. *Fac* animas non remanere post mortem, vides nos, si ita sit, privari spe beatioris vitae.

M. Quando dicis : *Persuadeo, ut* ; quando uteris Accusativo cum Infinitivo ?

R. Illud significat adducere aliquem, ut *faciat* aliquid ; hoc : adducere aliquem, ut *credat* aliquid v. g.
Neque tamen ulli persuaderi potuit, ut Rhenum transiret.
Themistocles persuasit populo, ut classis centum navium aedificaretur.
Themistocles Atheniensibus persuasit consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent. Persuadet ei hostem longe abesse.
Eodem modo : *moneo, ut* spectat actionem ; *moneo*, cum Infinitivo significat : animum alicujus advertere ad aliquid v. g.
Pompejum monere, ut magnam infamiam fugiat, non desistimus.
Alio properare tempus monet.
Ratio ipsa monet amicitias comparare.

M. Licetne, omissa *ut* conjunctione, dicere : Oro, quam primum ad nos venias ?

R. Nemini, qui veteres scriptores legerit, dubium esse poterit quin non solum *oro, rogo, postulo, moneo,* sed etiam *volo, malo, nolo, oportet, necesse est, fac* omisso *ut,* admittant solum Conjunctivum v. g. Caesar consolatus *rogat,* finem orandi *faciat.* Pro amore nostro *rogo* atque *oro* te *colligas* virumque *praebeas.*

Senatus decrevit, *darent* operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Fac *sciam.*

Moneo abstineant manus. Eos hoc *moneo desinant* furere.

Caesar Labieno *mandat,* Remos reliquosque Belgas in officio *contineat.*

Visne hoc primum *videamus* ? *Volo* hoc oratori *contingat.*

Nolo accusator in judicium potentiam *afferat. Malo* te sapiens hostis *metuat,* quam stulti cives *laudent.*

Tu *velim* nos absentes *diligas* et *defendas.* Quam *velim* Bruto *persuadeas.* Quam *vellem* Panaetium nostrum nobiscum *haberemus.* Ego crimen *oportet diluam. Exstent oportet* vestigia. Ex rerum cognitione *efflorescat* et *redundet oportet* oratio. Intimi multa *videant necesse est.* Virtus *necesse est* vitium *aspernetur* atque *oderit.* Leges *oportet* breves *sint.* Philosophiae *servias oportet,* ut tibi contingat vera libertas.

M. Estne hoc emendatum : Sint illi, qui velint ?

R. Ista est latinitas barbara pro : illi *quicumque sunt* vel *erunt* v. g. Aediles quicumque erunt. Quemqunque elegeris, eum approbabo. In quemcunque Arpinatem incideris, etc.

M. Converte in latinum : *Faire une chose « bon gré, mal gré ».*

R. Facio aliquid *velim, nolim.* Hoc ei faciendum erit *velit nolit. Velint, nolint,* coguntur. Raro : seu velim seu nolim; nunquam : velim *aut* nolim.

Vellent, nollent pacem facere coacti sunt.

De Conjunctivo sententiae finalis cum negatione ne.

M. Quando utendum est *ne* negatione, Severe ?

S. Omnia quae de *ut* finali statuimus in sententiis affirmativis, valent etiam in *ne* conjunctionem, cum sententia est negativa, quam ob rem *ne* significat :

1) Effectum propositum negativum aut intentionem negativam v. g. Hannibal, *ne* vitam alieno arbitrio *dimitteret,* venenum sumpsit. Caesar se ipse interficere voluit, *ne* post tantam gloriam in manus filiorum Pompeji *veniret.* Gallinae avesque reliquae pennis fovent pullos, *ne* frigore *laedantur.*

Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed *ne peccetur.*

Nolo esse laudator, *ne videar* adulator.

Verba autem, quae finem aliquem significent, ut opto, volo, studeo, curo, oro, postulo, etc. supra commemoravimus v. g.

Hoc te *rogo, ne demittas* animum. Caesar suis imperavit, *ne* quod omnino telum in hostes *rejicerent.* Te *moneo,* magnitudinem animi tui *ne* unquam *inflectas* cujusquam injuria. *Ne* quis insepultus *esset,* natura *prospexit.*

2) *Ne* sequitur verba cavendi, impediendi, obsistendi : caveo, deterreo, impedio, prohibeo, obsisto, resisto, obsto, repugno, recuso, interdico v. g.

Cave, ne quid stulte, ne quid temere *dicas* aut *facias* contra potentes.

Cave credas me sententiam mutasse. Pudore *deterreor, ne narrem.*

Deterruerunt gladio cives, ne ex oppido egrederentur.

Prohibet lex, *ne* quis in urbe *sepeliatur.* Quod potuisti prohibere, ne fieret.

Prohibe, ne verberet. Sed jam *impedior* egomet, judices, dolore animi, *ne* de hujus miseria plura *dicam.* Aetas impedit, ne arma ferat. *Ne accederes, obstiti.* Servilius *recusavit,*

ne ab iniquis judicibus judicium capitis in se *constitueretur*. Cajus sententiam ne diceret, recusavit. Praetor *interdixit*, *ne* res *restitueretur*.

M. Post Imperativum « *cave* » *ne* plerumque omittitur v. g.

Cave obloquaris, cave credas, cave dicas, cave Romam *redeas*. *Prohibeo* plerumque, *impedio* et *recuso* haud raro cum Infinitivo conjunguntur v. g.

Num igitur ignobilitas sapientem beatum esse prohibebit ? Respondere recusant. *Me* dormire impediunt. Sed : Strepitus impedit, ne dormiam. Impediunt, ne dormiam.

Quid significat : *Vide, ne ?*

S. *Avise à ce que... ne pas, prends garde que ne...*

Vide, ne tu pejus *consulas* (patriae), qui talem ex te natum relicturus sis. Illud *videndum est, ne* quis nervus *laedatur*. Videndum est, ne obsit benignitas. *Vide, ne* nulla *sit* divinatio *(je pense qu'il y a)*. *Vide, ne* mea conjectura multo *sit* verior (idem fere ac : vereor, ne).

M. Quid significat : *Cave, ut* omnia suo tempore sint parata ?

S. Idem est quod : *Cura, ut* sint parata.

M. Quae alia verba exigunt *ne*, Turibi ?

T. 3) Verba timendi : timeo, metuo, timor est, periculum est, vereor, etc. exigunt *ne*, cum gallice dicimus *que ne*, et *ut* vel *ne non, ne nemo, ne nullus*, cum dicimus : *que ne... pas*.

M. Quomodo explicas ejusmodi inversionem ?

T. *Timeo* idem significat quod : opto, cupio cum anxietate ; verba cupiendi autem exigunt affirmationem *ut* et negationem *ne* v. g.

Timeo, ne hostes *veniant* idem est ac : *cupio, ne veniant* ; timeo, ut Pater moriatur, idem est ac : cupio, ut pater moriatur.

M. Affer jam exempla de verbis timendi.

T. Omnes labores te excipere video, *timeo, ut* sustineas.

Haec *metuo* equidem, *ne sint* somnia. *Ne* qua seditio *oriretur, anxius* erat. *Vereor, ne* sit verum. *Periculum est, ne* Hannibalis exercitui pares sint *(il est à craindre)*. Illa duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere. *Timor est,* metus est *(il est à craindre), ne* auctumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur. Timor Romae grandis fuit, ne iterum Galli Romam redirent. Vereor, ut foedus satis firmum sit. Vereor, ne haec quoque laetitia vana evadat.

Timebant, ne evenirent ea, quae acciderunt. *Cura incesserat* Patres, *ne* plebs tribunos militum ex plebe crearet. Unum illud *extimescebam, ne* quid turpius facerem. Improbi aut afficiuntur poena, aut semper *sunt in metu, ne* afficiantur aliquando. *Pavor ceperat* milites, *ne* mortiferum esset vulnus Scipionis. Verebantur, ne hostium impetum sustinere non possent. Timuit, ne non succederet *(que la chose ne réussît point)*.

Vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri. Vereor, ne non liceat. Timeo, ne non impetrem. Unum vereor, ne senatus Pompejum nolit dimittere.

M. Quando Infinitivus conjungi potest cum verbis timendi ?

T. Cum gallice item utimur Infinitivo, quae constructio tamen praecipue ad verbum *vereri* pertinet, raro ad *timere* v. g. Vereor coram in os te laudare. Veritus est eos in conspectu Galliae interficere. Verebatur patri manus afferre *(n'osa pas)*. Vereor committere, ut sociis bellum indicam *(commettre la faute)*. Timebat nomen referre in tabulas. Coenare timeo.

M. Quid, si verba timendi antecedit negatio, Vincenti ?

V. Cum verba timendi antecedit negatio *(non* timeo, *non* metuo, etc) semper sequitur *ne non,* nunquam *ut* v. g. *Non* timeo, *ne non* veniat. *Non* vereor, *ne* tua virtus opinioni hominum *non* respondeat. *Non* est periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, *ne* idem in aliis qua-

drupedibus facere *non* possit. *Non* vereor, *ne* sustinere tua in me innumerabilia beneficia *non* possim.

M. Quid significat **neve** seu **neu?**

V. Significat *vel ne* aut *et ne.*

M. At *neve* et *neque* videntur unum idemque esse ?

V. Valde contra inter se differunt, cum *neque* significet *et non* et *neve et ne ; et ne* autem persequatur sententiam finalem v. g. Cave *(ne)* mentiaris, (et ne) *neve* quemquam injuste accuses.

M. Affer alias ejusmodi sententias finales.

V. Te primum rogo, *ne* demittas animum *neve* te obrui magnitudine negotii sinas. Thrasybulus legem tulit, *ne* quis anteactarum rerum accusaretur, *neve* multaretur. Caveto, *ne* quam materiam doles *(tailler) neu* caedas *neu* tangas nisi siccam.

M. Qua negatione uteris, cum prima pars sententiae finalis, continens *ut*, affirmat, altera negat ?

V. Negatione *neve* v. g. Caesar milites cohortatus, *uti* suae pristinae virtutis memoriam retinerent, *neu* animo perturbarentur, proelii committendi signum dedit.
Moneo te, *ut* hos, qui tibi genere propinqui sunt, caros habeas *neu* malis alios adjungere, quam sanguine conjunctos retinere. Constituerunt, *ut* omnes in unum locum convenirent *neve* quidquam domi relinquerent.

M. Cum Cicero in ejusmodi sententiis semel et iterum, Livius autem saepius post *ut, neque* utitur pro *neve,* eos imitari licet v. g. His *ut* diutius morarentur *neque* suis auxilium ferrent, persuaderi non poterat.

In sententiis finalibus, quae, ut vidimus, negationem *ne* exigunt, nonnunquam inveni *ut non* ; quomodo rem explicas ?

V. In ejusmodi sententiis negatio non pertinet ad totam sententiam, sed ad unum et alterum verbum ejusdem v. g. Lycurgus pueros in agrum deduci praecepit, ut primos

annos *non* in *luxuria,* sed in opere et laboribus agerent.
Confer te ad Manlium, Catilina, ut a me *non ejectus* ad alienos, sed invitatus ad tuos esse videaris.

M. Quid significat *ut ne* in sententia negativa ?

V. Post verba, quae intentionem vel propositum declarant, pro simplici *ne* saepius invenimus *ut ne,* quo negationi plus ponderis affertur v. g.
Eos hortatus est, *ut* causae communi salutique *ne* deessent.
Primum justitiae munus est, *ut ne* cui quis noceat.
Themistocles collegis suis praedixit, *ut ne* prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus.
Legem Clodius tribunus plebis tulit, *ut* lex Aelia et Fufia *ne* valeret. Operam dat Clodius, *ut* judicia *ne* fiant.

M. Explicatio tua ad probandum non satis firma videtur, quam ob rem utile fuerit hoc addere.
Ne proprie non est conjunctio, sed particula negans v. g. *nemo* idem est ac *ne homo,* nullus = *ne ullus,* nunquam = *ne unquam,* nusquam = *ne usquam ; ut* contra est conjunctio finalis, quapropter et in sententiis finalibus affirmativis et negativis esse debet. In sententiis tamen affirmativis, ut supra vidimus (rogo te taceas ; deprecatur finem belli faceret ; volo adsis, etc.), saepius, in sententiis autem negativis semper fere omittitur.

Adde, quod in sententia finali nunquam invenimus *neque-neque,* sed : *neve-neve* v. g. Te moneo, ut *neve* majorem *neve* minorem curam et operam suscipias, quam causa postulet. Licet tamen dicere : ne aut majorem aut minorem curam, etc. suscipias.

Estne hoc emendatum, Ambrosi : Te moneo, ut neminem contemnas ?

A. Non est vero, cum sententia finalis non admittat : *ut nemo, ut nullus, ut nihil, ut nunquam, ut nusquam, ut aliquando, ut fortasse,* quae pertinent ad sententiam consecutivam ; sed dicendum est : *ne quis, ne quisquam, ne quid, ne*

quidquam, ne ullus, ne unquam, ne usquam, ne quando, ne forte (numquam : *ne fortasse)* v. g.
Alexander edixit, *ne quis* ipsum alius quam Apelles pingeret.
Caesar suis imperavit, *ne quod* omnino telum in hostes rejicerent.
Operam dent consules *ne quid* respublica detrimenti capiat.
Cura *ne cuiquam* quidquam debeas.
Persuasit filio, *ne ullo* modo injurias acceptas ulcisceretur.
Cave, *ne unquam* redeas. Bene tempus collocate, *ne quando* vos poeniteat.
Moderationem velim adhibeas studio, *ne forte* valetudini noceas.

M. Conjunctivum praeterea recipit *quo.*

De conjunctione quo.

Quid significat *quo ?*

A. *Quo* est Ablativus pronominis relativi *qui,* quod significat *ut eo (ut* finale).

M. Quando utimur *quo* ?

A. Plerumque comparativo praeponitur v. g.
Caesar ante proelium removeri jusserat equos, *quo* facilius spes fugiendi tolleretur. Ephori valvas aedis obstruxerunt tectumque sunt demoliti, *quo facilius* sub divo interiret Pausanias.
Legem brevem esse oportet, *quo facilius* ab imperitis teneatur.
Ager non semel aratur, sed novatur et iteratur, *quo meliores* fetus possit et grandiores edere. Medico puto aliquid dandum esse, *quo* sit *studiosior.*

M. Quid significat *non quo* (vel *non quod), non quo non ?*

A. Gallice : *non que, non pas que, ce n'est pas que.* In altera parte sententiae sequitur : *sed quod, sed quia* cum Indicativo, nonnunquam etiam *ut* cum Conjunctivo v. g.

Ad te litteras dedi, *non quo* haberem magnopere, quod scriberem, sed ut loquerer tecum absens. Non soleo temere contra Stoicos disputare, *non quo* illis admodum assentiar, sed (quod) pudore impedior. Pugiles in jactandis caestibus ingemiscunt, *non quod* doleant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur venitque plaga vehementior.

M. Veniamus ad

Quominus.

Quid significat *quominus*, Corneli ?

C. Significat : *ut eo minus* et conjungitur cum verbis impediendi et resistendi (impedio, prohibeo, deterreo, obsto, non recuso, resisto, intercedo, repugno, etc.).
Ut supra demonstravimus, eadem verba pro *quominus* etiam *ne* recipiunt.
Deterrere eum voluit epistola, *quominus* medicamentum biberet.
Nunquam in hortis custodem imposuit, ne quis impediretur, *quominus* fructibus. quibus quisque vellet, frueretur.
Senectus non impedit, *quominus* litterarum studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis.
Quid obstat, *quominus* Deus sit beatus ? Rebus terrenis multa externa, *quominus* perficiantur, possunt obsistere.
Epaminondas non recusavit, *quominus* legis poenam subiret.
Potuisti prohibere, *quominus* fieret. Scio quae tibi causa fuerit impedimento, *quominus* venires. Intercludor dolore, *quominus* ad te plura scribam. Non deterret sapientem mors, *quominus* in omne tempus reipublicae suisque consulat.
Atticus quamdiu Athenis adfuit, *ne* qua sibi statua poneretur, restitit, absens prohibere non potuit. Impedior egomet, *ne* de Sullae miseria plura dicam. Sententiam *ne* diceret, recusavit.

M. Qua utimur conjunctione, cum verba impediendi conjuncta sunt cum negatione ?

C. Utimur *quin*, post *non impedio* tamen, *non prohibeo, non intercedo, non interdico* semper fere *quominus*.

Non Romanorum vires obstiterunt Hannibali, *quin* ipsam caperet urbem Romam, sed domestica aemulatio et invidia. *Non* possumus, *quin* alii a nobis dissentiant, recusare. Germani retineri *non* poterant, *quin* in Romanos tela conjicerent.

M. Quando Infinitivo uti licet post : impedio, prohibeo, deterreo, recuso ?

C. Cum subjectum sententiae conjunctae continetur subjecto vel objecto sententiae absolutae v. g. Parentes prohibentur *adire* ad filios ; prohibentur liberis suis cibum vestitumque *ferre*.

Frater meus ad omnia pericula princeps *esse* recusavit.
Nefarias Verris libidines *commemorare* pudore deterreor.

M. Quid significat : *Per me stat* vel *fit*, quominus ?

C. Stare vel fieri per aliquem gallice significat : *dépendre de qn., ne tenir qu'à qn., être de sa faute* v. g. Caesar, ubi cognovit *per Afranium stare, quominus* proelio dimicaretur *(qu'il dépendait d'Afranius c. à. d. qu'Afranius empêchait, que l'on en vînt aux mains)*.

Graviter eam rem tulerunt, quod *stetisse per* Trebonium, *quominus* oppido potirentur, videbatur.

Non per me stetit ut = non meo vitio factum est, ut.

M. Restat

Quin.

Quando utimur *quin*, Faustine ?

F. Cum sententia absoluta est negans aut interrogans cum sensu negante. *Quin* igitur commutari potest cum *qui, quae, quod non* ; vel *ut non* ; quod tamen vix in usu est nisi pro Nominativo masculini *qui non* et pro Nominativo neutro *quod non* ; pro feminino et pro casibus obliquis Romani plerumque relativo cum *non* utebantur v. g. Nulla gens tam fera est, *cujus* mentem *non* imbuerit deorum opinio. Nullum unquam habui servum *quem non* infidelem invenerim. Nulla est herba *quae nihil* habeat utilitatis. Nulla fere est doctrina *cui* ille operam *non* dederit.

Sed : Nemo vestrum est, *quin* illud saepe audierit. Repertus est *nemo, quin* mori diceret satius esse. *Nihil est, quin* male narrando possit depravari. Nihil est, quod sensum habet, quin intereat. *Nunquam* accedo *quin* abs te abeam doctior. *Quis est, quin* cernat, quanta vis sit in sensibus ? *Nihil* tam difficile est, *quin* investigari possit. *Ecquis* illo tempore fuit, *quin* sciret ? *Quis* unquam templum illud aspexit, *quin* avaritiae tuae, *quin* injuriae, *quin* audaciae testis esset ?

M. Perge, Libori, explicare usum conjunctionis *quin*.

L. Utimur *quin* cum antecedit : non dubito, non est dubium, quis dubitat.

Non multum abest, non procul abest, paulum abest, minimum abest.

Nihil praetermitto, intermitto ; mihi non tempero, temperare mihi non possum, retineri non possum, vix me contineo.

Facere non possum, quin.

Fieri non potest quin.

M. Affer exempla.

L. *Non dubito, quin* probaturus sim vobis defensionem meam.

Quis dubitare potest, quin Dei immortalis munus sit, quod vivimus ? *Non debet dubitari, quin* fuerint ante Homerum poetae. *Quis dubitet, quin* in virtute divitiae sint ?

Non est dubium, quin beneficium sit, etiam invito prodesse.

Dubitandum non est, quin unquam possit utilitas cum honestate contendere.

Nihil abest, quin sim miserrimus *(rien ne manque pour m'empêcher d'être.)*
Non multum abfuit, quin Tiberius occideretur.
Quid abest, quin Samnitium quoque dicto pareamus ?
Paullum abfuit, quin Fabius Varum interficeret.
Nihil Cicero *intermisit, quin* Pompejum a Caesaris conjunctione avocaret. *Nullum* adhuc *intermisi diem, quin* aliquid ad te litterarum darem.
Infesta contio *vix inhiberi potuit, quin* protinus saxa jaceret. *Num dubitas, quin* specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura ? *Non abest suspicio, quin* Orgetorix ipse sibi mortem consciverit. Caesar Germanos sibi *non temperaturos* existimabat, *quin* in Provinciam exirent. *Vix me contineo, quin* involem in illum.

M. Quid significat : Facere non possum, quin ; fieri non potest quin ?

L. *Facere non possum, quin* vel simpliciter : *non possum, quin* gallice significat *je ne puis m'empêcher de ;* vel, *il faut que je* v. g. *Non possum facere, quin* quotidie ad te litteras mittam.
Non possum quin exclamem. Idem est : *Non possum non* exclamare. Probitatem tuam *non potui non* probare. *Non possum* te *non* accusare. Is *non potest* mortem *non* timere.
Facere non potui, quin tibi et sententiam et voluntatem declararem meam.

Fieri non potest, quin, significat : *il est impossible que je ne... pas, il faut absolument que je.* Idem est ac : fieri non potest, ut non.
Fieri non potest, ut quem video, te praetore, in Sicilia fuisse, tu in tua provincia *non* cognoveris. *Effici (fieri) non potest, quin* libertatis inimicos oderim.
Fieri non potest, quin proficiscar *(il faut absolument que je parte).*
Fieri nullo modo poterat, *quin* Cleomeni parceretur.

M. Ut res clarius appareat, eam hoc modo complectamur:
Facere non possum quin te laudem *(il faut que).*
Fieri non potest quin te laudem *(il faut absolument que).*
Fieri potest, ut lauderis *(il est possible que).*
Fieri non potest, ut lauderis *(il est impossible que).*
Estne haec sententia emendata : Miltiades non dubitabat, ad regis aures consilia sua perventura ?

L. *Non dubitare, non dubium esse* et sententiae negativae, ut : cave dubites ; cur vel quid dubites ; quid est, quod dubites ; an dubitamus ; dubita, si potes ; quasi vero dubium sit — apud Ciceronem et Caesarem semper conjunctas invenimus cum *quin* ; cum alii imprimis T. Livius, plerumque Accusativo cum Infinitivo utantur.

Cum *dubitare* significat *faire difficulté de, hésiter, tarder à,* conjungitur cum Infinitivo v. g.
Eumenes proelium statim committere non dubitavit.
Quis bonus dubitet pro patria mortem appetere ?
Pelopidas non dubitavit simul ac conspexit hostem, confligere. Transire flumen non dubitaverunt *(hésiter).*

M. Quid significat : *non quin*, Probe ?

P. Idem significat quod : *non quo non,* de quo supra egimus.
Hoc dixi, *non quin* fidem tibi haberem, sed quod (quia).
Te silentio praeterivi, *non quin* te noverim, sed quia..
Crasso commendationem non sum pollicitus, *non quin* eam valituram apud te arbitrarer, sed (quod) mihi egere commendatione non videbatur.

M. *Quin* quid praeterea significare potest ?

P. Interrogationem, cum junctum est cum Indicativo = cur non.

M. Licetne igitur dicere : Quin aquae innant metalla ?

P. Minime vero, quia *quin* constituit interrogationem exhortativam, quae responsum non exspectet v. g. Quin capimus arma ? quod significat : Capiamus tandem arma.

Itaque, cum responsum exspectemus, in illo exemplo dicendum est : *Cur* aquae non innant metalla ?

Sed : *Quin* igitur ulciscimur Graeciam ? *Quin* conscendimus equos ? *Quin* accipis *(prenez donc)* ? *Quin* respondes ? *Quin* uno verbo dicis ? *Quin* experimur fortunam ?

M. Cum *quin*, ut vidimus, invitationem significat, praeterea conjungi potest cum Imperativo et cum Conjunctivo Praesentis v. g. *Quin* omitte me *(laissez-moi donc)* ! *Quin* age istud. *Quin* sic attendite judices. *Quin* experiamur, etc.

Similiter utimur **quidni** cum Conjunctivo, quod interrogationem constituit cum admiratione quadam elatam v. g. *Quidni* possim ? *Quidni* libenter concesserim ? *Quidni* doleam ? *Quidni* sequamur ?

Multum deinde pueris affert difficultatis emendate in latinum convertere : *sans, sans que* ; quam ob rem edoceri supervacaneum non videatur, Sempronii, quomodo latine significetur

Sans, sans que.

S. Sententia, quae antecedit *sans, sans que,* aut negat aut affirmat. Si negat, *sans, sans que* convertitur, ut paulo ante vidimus, conjunctionibus *quin, ut non, nisi* v. g.
Nunquam accedo ad te, *quin* abs te abeam doctior. Hortensius nullum patiebatur diem, *quin* aut in foro diceret aut meditaretur extra forum. Nunquam mater filium aspexit, *quin* eum fratricidam compellaret.
Non possunt una in civitate multi rem atque fortunas amittere, *ut non* plures secum in eandem calamitatem trahant. Octavianus nunquam filios suos populo commendavit, *ut non* adjiceret : Si merebuntur. Alexander Magnus cum nullo unquam hoste congressus est, *quem non* vicerit.
Negavit se, *nisi* victorem in castra reversurum. Nihil proficiunt *nisi* admodum mentiantur. Nemo fere saltat sobrius, *nisi* forte insanit. Nullum imperium est tutum, *nisi* benevolentia munitur.

Cum sententia antecedens affirmat, *sans, sans que* latine significari potest

a) *substantivo verbali* v. g. Servitutem passi sunt *sine querela.* Mortuum aspexit *sine dolore.* Istud haud *sine poena* feceris. Eis ex urbe exire licebat *sine custode.*

b) *adjectivis negativis,* ut : *ig*narus, *im*prudens *(sans s'en apercevoir), in*scius, *in*sciens, *in*sperans v. g. Pueri saepe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, *ignari.*
Legionem *imprudentem* aggredi. Si te offendi, *inscius* feci.
Me *insciente* villam vendidit. Hoc tibi *insperanti* accidit.
Immemores cibi et quietis iter perrexerunt *(sans penser à).*
Noctem *insomnem* duxerunt *(sans dormir).*

c) *Participio et Ablativo absoluto negativis* v. g. Romani Graecis, *non rogati* offerunt auxilium. Hamilcarem sui cives *inauditum* damnarunt. Epicurus *non erubescens* voluptates persequitur omnes nominatim. Caesar neque diurno neque nocturno *itinere intermisso* in Lingones contendit. Athenienses *non exspectato* auxilio in proelium egrediuntur. Omnes *incognita re* capitis damnati sunt. *Infecta re* a senatu dimissus est. *Nullo recusante* regnum obtinuit. *Nullo resistente* in urbem intrarunt. *Improvisus, inexspectatus* advenit.
Non sitientes bibimus. *Invocatus* venit. *Intestatus* mortuus est.
Incoenatus, impransus domum reliquit. Animus se *non videns* alia cernit. *Non haesitans* respondebo. Irrumpit *non admissus.*
Nihil periculo *deterriti.* Quem *insalutatum* reliqui. Vita *non sentientibus* effluit. Nos a tergo *nec opinantes* assequitur senectus.
Ne *intervallo* quidem *facto* iter perrexerunt. *Nullo insequente*

evaserunt. *Remoto joco, salvo officio, inviolata amicitia*, etc.

d) *Conjunctionibus : et non, neque, cum non (nihil)* v. g. Damnatus est, *cum* culpa *nulla subesset*. Rediisti *cum* negotium *non* confecisses. Perrexit porro ire *nec* ultra *quaesivit*. Tiberim transnatat *nec* arma *dimittit*. Fieri potest, ut recte quis sentiat *neque* id, quod sentit, polite *eloquatur*. Ille centum et septem annos complevit, *neque* unquam in suo studio et opere *cessavit*. Nonnulli orationes bonas aut poemata probant, *neque intelligunt*, qua re commoti probent.

M. Haec fere omnia sunt, quae de conjunctionibus consecutivis et finalibus dici possunt ; veniamus jam ad ceteras, quae solum Conjunctivum admittant. Quae sunt ejus generis, Tiberi ?

T. *Conjunctiones concessivae*: licet, quamvis,ut,ne (ut non).

Conjunctiones comparativae : tamquam, tamquam si, quasi, velut si, ut si, proinde quasi (perinde, similiter, non secus, aeque) ac si ;

Conjunctiones conditionales : dummodo, dum, modo, dummodo ne, dum ne, modo ne.

M. Affer exempla de singulis conjunctionibus.

Licet *(quoique, bien que, que).*

T. *Licet* non conjungitur nisi cum Praesenti vel cum Perfecto Conjunctivi. *Fremant* omnes *licet*, dicam quod sentio. Sed omnia *licet concurrant :* idus Martiae consolantur. Vita brevis est, *licet* super mille annos *exeat*. *Licet* ipsa vitium *sit* ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.

Falsum est sine verbo : licet fortis,licet contemptus, etc.

Quamvis *(quoique, bien que).*

Illa *quamvis* ridicula *essent*, mihi tamen risum non moverunt.

Assentatio *quamvis* perniciosa *sit*, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit atque ea delectatur. *Quamvis* exspectatio *sit* magna, tamen eam vinces *(surpasser)*. *Quamvis* in rebus turbidis *sint* homines, tamen interdum animis relaxantur.

Senectus enim, *quamvis non sit* gravis, tamen etc.

Quamvis nonnunquam conjungitur cum *licet* v. g. *Quamvis* enumeres multos *licet ; quamvis licet* delubra consecremus ; quamvis insectemur istos : metuo ne soli philosophi sint.

Rarius invenitur *quantumvis* v.g.Quantumvis licet excellas...

M. Cavete utamini *quamvis* cum verbis, quae adjectionem non recipiant v. g. quamvis mortuus sit ; quamvis antea nominatus sit ; quamvis mihi litteras miserit ; quamvis in proelio occisus sit : quamvis consul creatus sit, etc ; — quamvis enim, ut nemo ignorat, gallice significat : *autant que vous voudrez*. *Quamquam* contra cum Indicativo cum illis exemplis plane congruit. Pergat Aemilianus.

Dummodo, dum, modo *(pourvu que).*

A. Negatio est *ne*. Omnia honesta negligunt, *dummodo* potentiam *consequantur*. *Dum* res *maneant*, verba fingant arbitratu suo.

Oderint, *dum metuant*. Id faciat saepe, *dum ne* lassus *fiat*. Licet lascivire, *dum* nihil *metuas*. *Modo* tacere *possis*. Valetudo *modo* bona *sit*. *Modo* Iuppiter *adsit*. *Modo ne* Publius *rogatus sit*. *Modo ne* summa turpitudo *sequatur*. Gallia omnes aequo animo belli patitur injurias, *dummodo* repellat periculum servitutis. Manent ingenia senibus, *modo permaneat* studium et industria.Interpellent me adversarii, *dum ne interpellent*, quominus respublica a me commode administrari possit.

M. Estne *dum ne* idem quod *nedum* ?

A. Nequaquam. ***Nedum*** enim, quod item recipit Conjunctivum, significat

1) Post sententiam negativam : multo minus *(bien loin que, encore bien moins)* v. g.

Nunquam sufferre ejus sumptus queat, *nedum* tu possis. Optimis temporibus illi vim tribuniciam sustinere non potuerunt, *nedum* his temporibus sine vestra sapientia salvi esse possimus. Vix in ipsis tectis frigus vitatur, *nedum* in mari et in via sit facile abesse ab injuria temporis.

2) Post sententiam affirmativam : *à plus forte raison ; bien plus encore* v. g.

Adulationes etiam Macedonibus graves, *nedum* victoribus. Erat multo domicilium hujus urbis aptius humanitati tuae quam tota Peloponnesus, *nedum* Patrae.

3) Significat : *non solum* v. g. *Nedum* hominum humilium ut nos sumus, *sed etiam* amplissimorum virorum consilia ex eventu probari solent.

Ut, ut non *(quand bien même, à supposer même que, quoique).*

Ut quaeras omnia, quomodo Graeci «ineptum» appellent, non reperies. *Ut desint* vires, tamen est laudanda voluntas. Exercitus, si pacis nomen audierit, *ut non referat* pedem, insistet certe. Verum *ut hoc non sit,* tamen servet rempublicam. *Ut ita sit,* tamen non potes hoc quasi praeclarum aliquid praedicare.

M. At legi : Ne sit sane summum malum dolor : malum certe est.

A. Illud est *ut* consecutivum, hoc *ne* optativum, cum Optativus (vendat, habeat, sciat, viderit, habuerit) saepius concessionem significet.

Tamquam, quasi, ut si, ac si *(comme si).*

Sed quid ego his testibus utor, *quasi* res dubia aut obscura *sit ?*

Sic cogitandum est, *tamquam* aliquis in pectus intimum inspicere *possit.* Angimur, *tamquam* illi ipsi acerbitatis aliquid *acciderit.* Antonius Plancum sic contemnit, *tamquam si* illi aqua et igni *interdictum sit.*

Caesar, *quasi* hic Romanis orbis non *sufficeret,* in Britanniam transiit. Stultissimum est, in luctu capillum sibi evellere, *quasi* calvitio moeror *levetur.* Sequani absentis Ariovisti crudelitatem, *velut si* coram *adesset,* horrebant. Sic vive cum hominibus, *tamquam* Deus *videat.* Quae perdifficilia sunt, *perinde* saepe habenda sunt, *ac si* effici non *possint.* Ita tibi rem commendo, *tamquam si* tua res *agatur.* Tantus patres metus cepit, *velut si* jam ad portas hostis *esset. Velut si* aliter facere fas *non sit. Perinde ac si* in hanc formulam omnia judicia legitima comprehensa *sint,* perinde dicemus. *Perinde* aestimans *ac si* usus *esset.* Consuetudine jus est id, quod sine lege *aeque ac si* legitimum *sit,* usitatum est. Quo factum est, ut jumenta *aeque* nitida ex castellis educeret, *ac si* in campestribus ea locis *habuisset.*

M. Cavete in errorem inducamini consecutione temporum linguae gallicae ; ut enim ex his exemplis cognoscere potuistis, tempus sententiae conjunctae stricte se accommodat ad tempus verbi finiti sententiae absolutae v. g. Quotidie *coenat* ille *quasi* princeps *sit* ; ac non : quasi princeps esset. Adhuc *sitio quasi* nihil *biberim* ; ac non : quasi nihil bibissem. *Horrebant, quasi* Ariovistus *adesset.* Caesar in Britanniam *transiit* (Perfectum historicum), quasi hic orbis Romanis non *sufficeret.*
Quasi, quasi vero, proinde quasi saepius per ironiam usurpantur v. g. *quasi me pudeat ! Quasi vero* ego ad illum venire *debuerim* ! *Quasi vero* non ipse *fuerit* !

Licetne dicere : Plus tibi dedi quam rogasti, *non quasi* dives sim, sed quia te amo ?

A. Nunquam dicere licet *non quasi* vel *non quasi non,* sed, ut ante demonstravimus : *non quo* dives sim ; *non quo non.*

Quae Conjunctiones modo Indicativum modo Conjunctivum recipiant.

De Conjunctionibus conditionalibus

si, nisi (ni), sin, si modo.

M. Cum hic agatur de

SENTENTIA HYPOTHETICA,

quae haud raro efficit, ut pueri latine scripturi in salebras incidant, nobis imprimis curae sit oportet, ut praecepta de hoc genere sententiarum aeque subtiliter atque perspicue tradantur. Claudius, quem optime omnium in grammatica versatum esse censeo, nodos expediet.

C. Sententia hypothetica ex duabus partibus composita est, quarum altera, quae continet *si, nisi,* etc. sententia *conditionalis*, altera, quae sequitur, sententia *consecutiva* appellatur.

PRAECEPTUM I. Cum et conditio et consecutio pro certo et sine ulla dubitatione enuntiatur, utraque pars sententiae exigit Indicativum v. g.
Si bellum *omittimus*, pace nunquam *fruemur*. Naturam si *sequemur* ducem, nunquam *aberrabimus*. Parvi *sunt* foris arma, nisi consilium *est* domi. Maxima *est* in sensibus veritas, si sani *sunt*.
Si dies *est*, *lucet*. Si amitti vita beata *potest*, beata esse *non potest*. Aequitas *tollitur* omnis, si habere suum cuique non *licet*. Nemo fere *saltat* sobrius, nisi forte *insanit*. Si turbidas res sapienter *ferebas*, tranquilliora laete *feres*. — Et ita in omnibus temporibus.

M. At legi : Si timeas, proelio jam es victus. Cum hic agatur de re vera experimentoque probata, quomodo explicas Conjunctivum *timeas* ?

C. Responsum haud difficile esse videatur. Cum enim

secunda persona verbi personam indefinitam significet, semper exigit Conjunctivum. Gallice dicimus : *Si on a peur*. — Cupiditates, quibus nisi *imperes*, mox imperium tenebunt.
Item *si quis* eadem de causa exigit Conjunctivum. *Si quis* virtutem magni *faciat*, oderit necesse est vitium.

PRAECEPTUM II. Cum conditio significat actionem, quae re vera non existit, sed fieri potest, sequitur in utraque sententia Conjunctivus Praesentis vel Perfecti (Conjunctivus potentialis). Si enim conditio incerta est, consecutionem quoque incertam esse ex se intelligitur.

M. Attamen Indicativus consecutionis haud raro invenitur. Quid igitur interest inter : Si veniat,nemo eum recipiat ; et : Si veniat, nemo eum recipiet ?

C. Illud significat : Si veniat (quod dubium est), fieri potest,ut nemo eum recipiat; hoc : Si veniat (quod dubium est) nemo, quod pro certo affirmo, eum recipiet.
Ut apud Ciceronem invenio: Si ridere concessum sit (quod dubium est), vituperatur tamen cachinnatio.
Et apud alium : Si victor Hannibal ire ad urbem pergat (quod adhuc dubium est), te consulem ex Africa (pro certo) arcessemus.

At : Si Scipionis desiderio me moveri negem, mentiar (Conj. potentialis). Imprudens sim, si conditiones tuas accipiam. Si quis ejusmodi rem exegerit, impudentem eum dixeris. Stultus sim, si verbis tuis fidem habeam. Si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem.

M. *Si (ut si)* cum Conjunctivo Praesentis vel Perfecti imprimis utimur, cum exemplum fictum rei, quae fieri potest, ad probandum aliquid profertur. Affer exempla.

C. Si *scieris* aspidem occulte latere uspiam, improbe *feceris*, nisi *monueris* alterum, ne assideat. Si amicus moriens *rogaverit*, ut hereditatem reddas suae filiae, nec

usquam id *scripserit,* nec cuiquam *dixerit,* quid facies ? Si gladium quis apud te sàna mente *deposuerit, repetat* insaniens : reddere peccatum *sit,* officium non reddere. Si in tabulario tuo antiquam *inveneris* chartam ab aliquo majorum tuorum scriptam, quae certiorem te faciat, in horto tuo thesaurum esse absconditum, nonne stultum *fuerit,* ejusmodi nuntium negligere ?

M. Dic reliqua.

C. Praeceptum III. Cum conditio actionem indicat, quae in rem transferri non potest vel non potuit et ideo consecutio quoque fieri non potest vel potuit, utraque sententia exigit Conjunctivum Imperfecti vel Plusquamperfecti. (Sententia hypothetica *irrealis,* quam vocant) v. g. Inimicitias si Roscius tam cavere *potuisset* (sed non potuit), quam metuere solebat, *viveret.*

Si semper optima tenere *possemus* (sed non possumus), haud sane consilio multum *egeremus.* Si *venisses* ad exercitum (sed non venisti), visus *esses.* Nisi in litteris *viverem* (sed vivo), non *possem* vivere. Si *scissem* in quo periculo esses (sed nescivi), statim ad te *advolassem.* Senes,si nulli *fuissent* (sed fuerunt), nullae omnino civitates *essent.*

Nisi Alexander *essem* (sed sum), ego vero *vellem* esse Diogenes. Hercules nunquam ad deos *abiisset,* nisi eam sibi viam virtute *munivisset.*

Natura *esset* parvo contenta, nisi voluptatem tanti *aestimaretis.*

Si Metelli fidei diffisus *essem,* judicem eum non *retinuissem.*

Medici si omnibus morbis mederi *possent,* felicissimi *essent* hominum.

Visne venire ? *Venirem,* si *possem,* sed non possum.

Si pater *viveret,* consilium tuum certe non *probaret. Necassem* jam te verberibus, nisi iratus *essem.* Sapientia non *expeteretur,* si nihil *efficeret.*

M. Nihilo secius interdum fit, ut conditio, quae in rem

transferri non possit, Conjunctivo Praesentis (potentiali) significetur, prout loquens, quod fieri non potest, fieri posse animo fingit v. g. Haec si patria tecum *loquatur,* nonne impetrare *debeat ?* Dies me *deficiat,* si omnes enumerare *velim.*

Me dies, vox, latera *deficiant,* si hoc nunc vociferari *velim.*

Quos haec domus mea non *capiat,* si *veniant* omnes.

In his similibusque exemplis item licet Imperfecto Conjunctivi uti : Dies me deficeret, *si* vellem ; quos domus haec non caperet,si venirent, etc.

Quid praeterea habes, Pie, quod ad praeceptum tertium pertineat ?

P. Illuc praeterea pertinent quaedam sententiae conditionales contractae, quarum modo conditio modo consecutio omissa est, aut ubi praepositio *sine* cum nomine aliquo locum conditionis tenet v. g.

Sic felicior sum,quam si omnes divitias terrae *haberem* (= quam *essem,* si haberem). *Cuperem* vultum videre tuum (= cuperem, si *possem).*

Verum dicendo melius fecisti quam si mentiendo tibi gratiam principis *conciliasses* (= quam fecisses, *si*). O vitae philosophia dux ! quid vita hominis sine te esse *potuisset* (= nisi tu, inventrix legum, morum, etc. *fuisses)* ? Nemo unquam *sine* magna spe immortalitatis se pro patria *offerret* ad mortem (= nisi magnam spem haberet).

Multis rebus *sine* hominum administratione uti non *possemus)* = nisi hominum administratio accederet).

M. Non solum *sine* praepositio, sed alia etiam verba locum conditionis tenere possunt v. g. Quod tibi *in alia causa* non *concederem,* in hac concedam (= si alia causa esset). *Tanto ingenio* ego omnes honores adeptus *essem* (= si haberem tantum ingenium).

Estne haec sententia emendata : Caesar paene Aegyptum *penetravit,* nisi exercitus sequi recusasset ?

P. Est omnino emendata ; si enim conditio est irrealis, quae vocatur, consecutio conjungi potest cum Indicativo Imperfecti vel Perfecti, dummodo verbum significet *posse, debere, necesse esse* aut formam habeat *conjugationis periphrasticae* aut additamentum *prope, paene* recipiat — Indicativo enim significatur, rem pro certo eventuram fuisse et quasi jam factam esse, nisi quid aliud impedimento fuisset.

M. Affer, Sulpici, exempla.

S. Si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non *potuit*. Deleri totus exercitus *potuit*, si fugientes persecuti victores essent. Hunc hominem, si qui pudor in te fuisset, sine supplicio dimittere non *debuisti*. Respublica *poterat* esse perpetua, si patriis viveretur institutis et moribus. Peractum *erat* bellum sine sanguine, si Pompejum opprimere Brundisii Caesar potuisset. *Debuisti*, Vatini, etiamsi falso venisses in suspicionem P. Sextio, tamen mihi ignoscere. Pons sublicius iter *paene* hostibus *dedit*, nisi unus vir fuisset Horatius Cocles. *Prope* in proelium *exarserunt*, nisi Valens animadversione paucorum oblitos Batavos imperii admonuisset. Si ulla in te pietas esset, patris eum loco colere *debebas*.
Conclave illud, ubi Dejotarus *erat mansurus*, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. Si verum respondere velles, haec *erant dicenda*. Illi ipsi aratores, qui remanserant, *relicturi* omnes agros *erant*, nisi ad eos Metellus Roma litteras misisset. Cyrus grave bellum Graeciae *passurus fuit*, si in Croesum crudelius consuluisset. Si Pompejus occisus esset, *fuistisne* ad arma *ituri* ?
Si hoc tempore non diem supremum obiisset, paucis post annis tamen *moriendum ei fuit*.

M. Etiam in aliis sententiis, in quibus desint verba *posse, debere*, etc. nonnunquam invenimus Plusquamperfectum et Imperfectum Indicativi v. g. Praeclare viceramus, nisi

spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Pedem referebat legio, nisi auxilium venisset (= *avait déjà commencé à reculer*).

Quid judicas de consecutione temporum hujus sententiae : Moriar, si magis gauderem, si hoc mihi accidisset ?

S. Nihil dubito, quin sit emendata et latina. Sententia conditionalis enim irrealis, quae vocatur, omnino disjuncta ac libera manet a consecutione temporum. Quodcumque tempus igitur antecedit sententiam solutam, sententia conditionalis semper retinet Imperfectum et Plusquamperfectum Conjunctivi.

M. Adde : Cum consecutio ejusmodi sententiae conditionalis pendet ex conjunctione, quae requirit Conjunctivum *(ut, ne, quin)* aut formam sumit interrogationis obliquae, a lege consecutionis temporum manet soluta ac libera.

Pro Conjunctivo tamen Plusquamperfecti activi in usu est, nisi verbum Supino caret, Conjunctivus Perfecti conjugationis periphrasticae v. g.
Quis dubitat, *quin*, si Saguntinis obsessis impigre tulissemus opem, totum bellum in Hispaniam *aversuri fuerimus ?* Tanta desperatio illata Poenis est, *ut*, nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, *transiturus* ad eum Bomilcar, rex Poenorum, cum exercitu *fuerit*. Dic *quidnam facturus fueris*, si eo tempore censor fuisses ? Non adeo populi Romani oblitus sum, *ut*, si de meo crimine ambigeretur, *dicturus* causam *fuerim*. Non ambigitur, *quin* Brutus... pessimo publico id *facturus fuerit*, si priorum regum alicui regnum extorsisset. Virgines eo cursu se ex sacrario proripuerunt, *ut*, si effugium patuisset in publicum, *impleturae* urbem tumultu *fuerint*. — Sed : Non dubito, quin, si hoc fecisses, facti te poenituisset.

Si vero tempus sententiae absolutae est praeteritum,

consecutio sententiae conditionalis est in Conjunctivo Plusquamperfecti, quamquam non illicitum est etiam uti Perfecto v. g.

Nemo *ignorabat*, quid Catilina *facturus fuisset*, nisi victus esset.

Subibat cogitatio animum, quonam modo tolerabilis *futura* Etruria *fuisset*, si quid in Samnio adversi evenisset.

Cum vero verbum consecutionis significat *posse* vel *necessitatem*, neglecta consecutione temporum sequitur Perfectum Conjunctivi v. g. Haud dubium fuit, *quin*, nisi ea mora intervenisset, castra eo die capi *potuerint*. Primo concursu adeo aequis viribus gesta res est, *ut*, si adfuissent Etrusci et Umbri *accipienda* clades *fuerit*.

Affer, Auguste, etiam aliquot exempla de hoc genere sententiae conditionalis.

A. Honestum tale est, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset laudabile. Hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, majore studio commendare non possem. Nescio quid facerem, nisi tu amicus esses. Non dubito, *quin*, si modo esset in republica senatus, si majestas populi Romani revixisset, aliquando P. Sextio statua in foro poneretur.

Nec dubium erat, quin si tam pauci simul obire omnia possent, terga daturi hostes fuerint. Non dubito, quin, si Roscius has inimicitias vitare potuisset, viveret. Hoc ille, si repudiasset, dubitatis, quin ei vis esset illata. Non dubito, quin, si hoc fecisses, facti te poenituisset (quia *poenitere* Supino caret).

M. Inveni: Antea misissem ad te litteras, si genus scribendi *invenirem*. Cur hic Imperfectum pro Plusquamperfecto?

A. Invenitur nonnunquam aut in alterutra aut in utraque parte sententiae conditionalis irrealis Imperfectum pro Plusquamperfecto, quo status quidam permanens sig-

nificetur v. g. Retinere Quintium in senatu ne frater quidem, si tum censor *esset*, potuisset.

Num Opimium, si tum *esses*, temerarium civem aut crudelem *putares*?

M. Quomodo rem aggrederis, Calliste, si sententia conditionalis irrealis pendet ex verbo, quod cum Accusativo et Infinitivo conjungitur?

C. In locum Conjunctivi Imperfecti activi substituitur Infinitivus Futuri activi (*urus* cum *esse*), vel, si verbum Supino caret, *futurum esse ut* (optima prosa excludit *fore*) cum Conjunctivo Imperfecti activi; in locum Plusquamperfecti Conjunctivi activi *urum fuisse* vel, si verbum Supino caret, *futurum fuisse ut* cum Conjunctivo Imperfecti v. g.

Pater meus, si viveret, hoc consilium certe approbaret; fit: Persuasum habeo patrem, si viveret, hoc consilium *approbaturum esse*.

Illum hominem metueres, si malitiam ejus cognosceres; fit:

Scio *futurum esse*, ut illum hominem metueres, si malitiam ejus cognosceres.

Si ad coenam me invitasses, promittere certe non recusassem; fit:

Affirmo tibi me promittere non *recusaturum fuisse*, si ad coenam me invitasses.

Tremuisses, si minas ejus audivisses; fit:

Persuasum habeo *futurum fuisse*, ut tremeres, si minas ejus audivisses.

M. Dic aliquot verba, quae Supino careant.

C. Discere, studere, poscere, metuere, tremere, timere, silere, urgere, vigere, lugere, horrere, eminere, latere, florere, connivere, turgere, olere, splendere, patere, pavere, lucere, stridere, poenitere, egere, fulgere, languere, fervere.

M. Perge jam explicare sententiam passivam.

C. In locum Conjunctivi Imperfecti et Plusquam perfecti passivi substituitur *futurum esse, futurum fuisse ut* cum Conjunctivo Imperfecti passivi v. g.

Oppidum tribus diebus caperetur, nisi muri tam firmi essent ; fit :
Puto *futurum esse, ut* oppidum caperetur, nisi muri tam firmi essent.

Oppidum tribus diebus captum esset, nisi muri tam firmi fuissent ; fit :
Puto *futurum fuisse, ut* oppidum caperetur, nisi muri tam firmi fuissent.

M. Quid, si pro *puto* dicis : putabam, putavi, putaveram?

C. Ut ante diximus, conditio irrealis semper eadem manet, lege consecutionis temporum soluta ac libera v. g.
Titurius clamabat : Eburones, *si Caesar adesset,* non tanta cum contemptione nostri ad castra *venturos esse.* Num censes, me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaeque *suscepturum fuisse,* si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, *essem terminaturus?* Nisi eo ipso tempore quidam nuntii de Caesaris victoria essent allati, existimabant plerique, futurum fuisse, uti Messana amitteretur.
Exaudita vox est, futurum esse. nisi provisum esset, ut Roma caperetur. Fortissime affirmare possum, si pater mortuus esset, futurum fuisse, ut a meis certior fierem.

M. Subjice hanc sententiam verbo « *non ignoro* » : Si vellem, rem justo jure reposcere possem.

C. Non ignoro, me, si vellem, rem justo jure reposcere *posse.*
Possem fit *posse,* potui *potuisse,* faciendum fuit *faciendum fuisse* v. g. Ego arbitrabar, posse id populo nostro probari, si te ad jus respondendum dedisses. Equidem existimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime *potuisse* dicere. Liquet illum puniendum fuisse, si inveniri potuisset.

M. Paulo ante circumlocutione usi *futurum esse,* exclusimus formam *fore ;* quid significat *fore,* Fabiane ?

F. Ductum esse putatur a prisco verbo *fuo* (sum), cujus formas *forem, fores, foret, forent* pro *essem, es, et, ent,* apud optimos scriptores in usu esse invenimus v. g.
Haec vana *forent.* Laudaturi, visuri *forent :* fore = *futurum esse,* vel *esse* v. g. fore venturum, facturos fore.

Fore plerumque conjunctum invenitur cum verbis sperare, jurare, promittere, minari, loco Infinitivi Futuri activi v. g.
Video te velle in coelum migrare et *spero fore,* ut contingat nobis.

M. Licetne uti *fore* ad formandum quodlibet Futurum ?

F. Licet, sed rariore in usu est v.g. credo fore, ut epistolam scribat. Non nescius eram fore, ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret.

M. Revertamur ad conjunctiones conditionales.

Quid interest inter **nisi** et **si non** ?

F. *Nisi* (rarius *ni*) negat totam sententiam conditionalem v. g. Hoc fit nisi quid aliud fit. Hoc fit, (sed) *non* (fit), *si* quid aliud fit. Gallice dicimus : *à moins que, si ce n'est que, sauf au cas où.*
Nisi impediar, proxime ad te veniam = veniam, sed non veniam, si impediar. Nisi fallor, eum heri vidi in foro = eum vidi in foro, sed non vidi, si fallor. Iste insanus est, nisi ego insanio = Iste est insanus, sed non est insanus, si ego insanio. Nisi vitis fulta sit, fertur ad terram = Vitis fertur ad terram, sed non fertur, si fulta est.
Memoria minuitur, nisi eam exerceas. Riderem, nisi res tam gravis esset.
Nisi sapientia in senibus esset, majores nostri summum

consilium non appellassent senatum. Nisi in litteris viverem, non possem vivere.
Nisi in exercitu Agathoclis orta esset seditio, rex cum exercitu ad eum transisset. Nisi quid me Etesiae morabuntur, vos videbo. Nisi deus te liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Nisi pauper essem, meo modo vitam agerem. Nisi Alexander essem, ego vero vellem esse Diogenes.
Quod nisi esset, certe non discessisset.

M. Quid significat **nisi si ?**

F. Est pleonasmus, qui idem significat quod simplex *nisi (à moins que, excepté si, excepté le cas où)* v. g. Noli putare me ad quemquam longiores epistolas scribere, *nisi si* quis ad me plura scripsit. *Nisi si* quid ex praetereunte viatore exceptum est, scire nihil possumus. *Nisi si* malunt fame perire.

M. Quid significat **nisi forte, nisi vero ?**

F. Conjecturam aliquam, gallice *à moins que par hasard. Nisi forte* nonnunquam, *nisi vero* semper dicitur per ironiam v. g.
Nemo fere saltat sobrius, *nisi forte* insanit. Erat autem nihil novi, quod scriberem, *nisi forte* hoc ad te pertinere putas... *Nisi forte* volumus Epicureorum opinionem sequi, qui... Reus est mortis, *nisi forte* magis erit parricida, si qui consularem patrem, quam si quis humilem necaverit.
Plenum forum est eorum hominum, *nisi vero* paucos fuisse arbitramini.
Nisi vero existimatis dementem Africanum fuisse, qui... Propinemus Augusto salutem, *nisi vero* hoc Falernum aspernaris.

M. Quid significat *nisi,* cum praecedit negatio vel interrogatio negativa ?

F. Praeter, praeterquam v. g.

Nunquam vidi animam rationis participem in ulla alia *nisi* humana figura. Athenienses auxilium *nusquam nisi* a Lacedaemoniis petiverunt. Hoc sentio *nisi* in bonis amicitiam esse *non* posse. *Quid* est pietas *nisi* voluntas grata in parentes ?
Dicere *nemo* potest, *nisi* qui prudenter intelligit. *Quem* unquam senatus civem *nisi* me nationibus exteris commendavit ? Quod adhuc *nemo nisi* improbissimus fecit, posthac *nemo nisi* stultissimus non faciet. Labienus juravit se *nisi* victorem in castra *non* reversurum. *Ne quis* enuntiaret, *nisi* quibus mandatum esset. *Nihil* aliud fecerunt *nisi* hostem urbe arcere.

M. Quid interest inter : Nihil aliud fecerunt *nisi* hostem urbe arcere et : Nihil aliud fecerunt *quam* hostem urbe arcere ?

F. *Nisi* se jungit cum *nihil, quam* cum *aliud.* Illud significat : Hostem arcuerunt, quamquam plus v. g. proelium et victoriam exspectavimus ; hoc : Nihil aliud quam hoc ipsum, quod satis erat.
Virtus est *nihil aliud quam* in se perfecta et ad summum perducta natura (nihil amplius ; hoc satis est). *Nihil aliud* molitus est, *quam* ut omnes civitates in sua potestate teneret (hoc unum ei satis erat).

Sed : Erat historia *nihil aliud nisi* annalium confectio *(ne-que).*
Nihil aliud est discere *nisi* recordari. Bellum ita suscipiatur, ut *nihil aliud nisi* pax quaesita videatur (pax sola, non lucrum).

M. Quid significat **nisi quod ?**

F. Idem quod *praeterquam quod (si ce n'est que ; seulement)* v. g. Cum eo mihi omnia communia sunt, *nisi quod* in philosophia vehementer ab eo dissentio. Tusculanum et Pompejanum valde me delectant, *nisi quod* aere alieno me obruerunt *(seulement ils m'ont).*

M. Quando, Hilari, pro *nisi* utendum est *si non* ?

H. Pro *nisi* utendum est *si non (= au cas que).*

1) Cum sententiae conditionali affirmanti altera opponitur negans, ubi *si non* idem significat ac *si vero non* v. g. Si feceris, quod ostendis, magnam habebo gratiam ; *si non* feceris, ignoscam. Dolores si tolerabiles sunt, feramus ; *si minus,* aequo animo e vita exeamus. Quod si fecerit, sapiens, sed idem malus ; *si non* fecerit, justus, sed idem stultus sit, necesse est.

M. Cur dixisti **si minus** pro *si non* ?

H. Cum sententia negativa verbum commune habet cum altera, pro *si non* plerumque usurpatur *si minus (sin minus, sin aliter, sin secus).*

M. Perge explicare *si non.*

H. Utendum est praeterea *si non* :

2) Cum sententiae conditionali negativae, ubi *si non* idem significat quod *etsi non, etiamsi non,* opponitur sententia soluta affirmativa plerumque inchoans ab *at, tamen, certe* v. g. Perfectionis laudem, *si non* assequimur, *at,* quid deceat, videmus. Perfectum oratorem *si* imitari atque exprimere *non* possumus, *at* qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere. *Si* mihi republica bona frui *non* licuerit, *at* carebo mala. Archipiratum *si minus* supplicio affici, *at* custodiri oportebat. Cum spe *si minus* bona, *at* aliqua tamen vivo.

Si juvenes modesti *non* sint, senes esse oportet. Dolorem *si non* potero frangere, occultabo. Quos conjunctos summa benevolentia plurimisque officiis amisisti, eorum desiderium, *si non* aequo animo, *at* forti feras. *Si non* praesens periculum, *at certe* longinqua obsidione fames est timenda.

M. Profer, Severine, aliquot exempla de **si minus.**

S. Hoc *si minus* verbis, re confiteri cogitur. Id si assecutus sum gaudeo ; *si minus,* hoc me tamen consolor, quod posthac nos vises. Educ tecum etiam omnes tuos ; *si minus* (potes), quam plurimos. *Si minus* ad nos, nos accurremus ad te. Defendet si poterit, *si minus,* negabit. *Si minus* in praesens tempus, *at* in posterum tempestas invidiae nobis impendet.

M. Praeterea scriptores, ut plus ponderis afferant negationi, nonnunquam habent *si non,* ubi *nisi* potius exspectamus v. g. *Si* tibi *non* molestum est, scribas mihi velim. *Si* hoc *non* probas, ab eo nobis causa ordienda est. Memoria minuitur, *si* eam *non* exerceas. Glebam commosset in agro decumano Siciliae nemo, *si* Metellus hanc epistolam *non* misisset. Fuit apertum, *si* Conon *non* fuisset, Agesilaum Tauro tenus Asiam regi erepturum fuisse. Aequitas tollitur omnis, *si* habere suum cuique *non* licet.

Ceterum multis locis ut in exemplis quae modo commemoravi, vix quidquam interest, utrum *nisi* an *si non* dicas. Aliis contra locis multum interest v. g. Non punieris, *si* pensum *non* persolveris ; et : Non punieris, *nisi* pensum persolveris. — Illud significat :
Poena carebis, etiamsi pensum non absolveris : hoc : Poena afficieris, etiamsi pensum absolveris.
Quid significat *ni,* Severine ?

S. Idem significat quod *nisi,* sed rarius invenitur. Primitus in solis sponsionibus lege factis in usu erat, postea etiam in asseverationibus, minis exsecrationibusque et nonnunquam sine discrimine pro *nisi* v. g. *Ni* fallor, *ni* forte. *Ni* tua custodis, avidus jam haec auferet heres. Plures cecidissent, *ni* nox proelio intervenisset. Sponsionem fecisset, *ni* vir bonus esset. Perii hercle hodie, *ni* hunc a te abigo. Quod *ni* ita se res haberet, nec justitae ullus est nec bonitati locus. Excidium minitans, *ni* causam suam dissociaret.
Moriar *ni* puto. Mirum *ni* domi est.

M. Quid significat *sin* ?

S. *Sin* idem est quod : *si autem, si vero* v. g. Si verum est, gaudeo, *sin* falsum, nemini nocebit.

M. Quid significat *Si modo* ?

S. Significat : *si toutefois, si seulement* ; plerumque conjungitur cum Indicativo v. g. Tute scis, *si modo* meministi, me tibi tum dixisse. Satis nobis, *si modo* in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet. Tu, *si modo* es Romae. *Si modo (si toutefois)* hoc in Lycurgi potestate potuit esse. Satis superque abs te videtur discipulorum studiis, *si modo* sunt studiosi, esse factum. In arte bene disserendi, *si modo* est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur.

De Conjunctionibus concessivis
etsi, tametsi, etiamsi.

M. Qui modus verbi cum his conjunctionibus jungitur, Adriane ?

A. **Etiamsi** *(quand même, lors même que, bien que)* utrumque admittit modum v. g. Ista veritas, *etiamsi* jucunda non *est,* tamen grata. Quibus *etiamsi* ingenium non *defuit,* studium tamen acerrimum defuit.
Hoc assequi non potuisset, *etiamsi cupisset.* Quod *etiamsi* nobilitatum *non sit,* tamen honestum est, quodque vere dicimus *etiamsi* a nullo *laudetur,* natura esse laudabile.

Etsi contra, *tametsi, quamquam* non admittunt nisi Indicativum aut Conjunctivum potentialem.
Etsi : quand même, quand bien même, lors même que, bien que.
Etsi abest maturitas aetatis, jam tamen personare aures ejus hujusmodi vocibus non inutile est. Vapulo invitus, *etsi* malum *merui.* Gaudeo, *etsi* nihil *scio.*
Etsi cupidissime expetitum a me *sit,* tamen non est nostra contentione perfectum. Ubi *etsi* adjectum aliquid numero *sit (exagéré),* magna certe caedes fuit.

Tametsi : *quoique, bien que, encore que.*
Age loquere quid vis, *tametsi* tibi *succenseo. Tametsi* vicisse *debeo,* tamen de meo jure decedam. *Tametsi* verissimum esse *intelligebam,* tamen credibile fore non arbitrabar. Quae *tametsi* Caesar *intelligebat,* tamen quam mitissime potest, legatos appellat.

M. **Quamquam** (rarius *etsi, tametsi),* formans sententiam quasi interpositam, quod dictum est, nonnumquam aut corrigit aut circumscribit v. g.
Quamquam, quem potissimum Herculem colamus scire sane velim *(toutefois je serais bien aise de savoir quel est l'Hercule que nous honorons de préférence). Quamquam* quid loquor *(cependant).*
Do poenas temeritatis meae : *etsi* quae fuit illa temeritas *(Me voilà puni de mon imprudence : quoique après tout elle n'ait pas été grande). Quamquam* te quidem quid hoc doceam ?
Quamquam hujusce rei potestas omnis in vobis sita est, judices.

De conjunctionibus temporalibus
dum, donec, quoad, antequam, priusquam.

M. Explica, Caesari, usum harum conjunctionum.

C. 1) Cum *dum, donec, quoad,* significant *quamdiu (aussi longtemps que)* junguntur cum Indicativo cujuslibet temporis v. g. *Donec eris felix,* multos numerabis amicos. Lacedaemoniorum gens fortis fuit, *dum* Lycurgi leges *vigebant.*
Aegroto *dum* anima *est,* spes esse dicitur. Cato *quoad vixit,* virtutum laude crevit. *Dum* existimatio *est* integra, facile consolatur honestas egestatem. Atticus immortali memoria percepta retinebat beneficia ; quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, *quoad* ille gratus *erat,* qui acceperat.

2) Cum *dum, donec, quoad,* significant terminum tempo-

ris = *usque eo quoad (jusqu'à ce que)*, conjunguntur cum Indicativo Praesentis, Perfecti et Futuri exacti v. g. Hic operior, *donec venerit*.
Mihi usque curae erit, quid agas, *dum* quid egeris, *sciero*.
Delibera hoc, *dum* ego *rediero*. Epaminondas ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, usque eo retinuit, *quoad renuntiatum est*, vicisse Boeotios.
Milo in senatu fuit illo die, *quoad* senatus *dimissus est*.

3) Cum *dum* et *quoad* non solum terminum temporis, sed praeterea consilium aliquod vel propositum subjecti indicant, junguntur cum Conjunctivo v. g.
Caesar interea, *quoad* legiones collocatas munitaque hiberna *cognovisset*, in Italia morari constituit. Horatius Cocles impetum hostium sustinuit, *quoad* ceteri pontem *interrumperent*.
Iratis aut subtrahendi sunt ii, in quos impetum conantur facere, *dum* se ipsi *colligant* et *defervescat* ira.

M. Quid significat, ut hoc addam : *Quoad ejus facere possum?*

C. Est locutio latina, quae significat : *autant qu'il m'est possible* v. g.
Id tamen velim ne intermittas, *quoad ejus (facere) poteris*, scribere ad me. Vides provinciam esse habendam. Si eam, *quoad ejus facere potueris*, quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit. Ut *quoad ejus fieri possit*, praesentiae tuae desiderium meo labore minuatur *(autant que possible)*. Id eos ut prohiberet, *quoad ejus* sine bello *posset*, praetori mandatum est *(autant qu'il le pourrait sans en venir à la guerre)*.

M. Licetne uti *quoad* cum Accusativo v. g. Quoad aves, quoad feras, quoad epistolam tuam *(quant à, relativement à, pour ce qui est de)* ?

C. Istud dubitatur. Melius certe est : *Quod ad* ; *quod attinet ad* ; *de* v. g. *Quod ad* Caesarem. *Quod ad* singulas

partes orationis *attinet*. *De* Antonio vero. *De* Vatinis autem. *De* te autem ipso.

M. Quid significat : **nondum** ?

C. Significat : *pas encore*. Item dicimus : hauddum, nequedum, necdum, nullusdum, nihildum, vixdum.
Quid agat frater meus, si scis *nequedum* Roma es profectus, scribas ad me velim. Ingemuit Caesar, quod *nihildum* a se memorabile actum esset. *Vixdum* epistolam tuam legeram, cum ad me Curtius venit.
Quamquam *nihildum* audieramus... Alpes inexsuperabiles *nulladum* via superatas.

M. Estne haec sententia emendata : Cajus a nullo videbatur, *dum (tandis que)* ipse omnia videbat ?

C. In ista sententia *tandis que* non est conjunctio temporalis, sed adversativa. Ergo : Cajus a nullo videbatur ; ipse *autem* (ipse *vero*, ipse *contra vero*), omnia videbat.

Antequam, priusquam.

M. Quomodo his utimur conjunctionibus, Donate ?

D. Iunguntur cum *Indicativo vel Conjunctivo Praesentis* sine vero discrimine, modo in sententia absoluta sit Praesens vel Futurum sine negatione. Secunda et tertia persona autem Conjunctivi Praesentis maximo in usu sunt in sententiis, proverbiis, etc. v. g. *Antequam* pro Murena dicere *instituo*, pauca pro me ipso dicam.
Antequam de republica *dicam*, exponam breviter consilium profectionis meae. Cui *priusquam* de ceteris rebus *respondeo*, de amicitia pauca dicam. Quid potius faciam, *priusquam* me dormitum *conferam*, non reperio. *Antequam* de incommodis Siciliae *dico*, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate dicenda. *Antequam* de praeceptis oratoriis *dicamus*, videtur dicendum de genere istius artis.

Priusquam incipias opus, consulto. Tempestas minatur

antequam surgat. Crepant aedificia *antequam corruant. Ante* videmus fulgurationem *quam* sonum *audiamus.*

2) *Antequam* et *priusquam* junguntur cum *Indicativo Futuri exacti,* cum sententia princeps continet Futurum simplex, dummodo actio tempore praeterito sit futura v. g. De Carthagine non *ante* vereri desinam, *quam* illam excisam esse *cognovero.* Hinc non proficiscar, *priusquam* te salvum esse *audiero.*

3) *Antequam* et *priusquam* junguntur cum *Imperfecto* et *Plusquamperfecto Conjunctivi,* quo significetur, rem a subjecto sententiae solutae exspectari v. g.
Datis dimicare utile arbitrabatur, *priusquam* Lacedaemonii subsidio *venirent.* Achaei non *ante* ausi sunt capessere bellum, *quam* ab Roma *revertissent* legati. Aristides interfuit pugnae navali apud Salamina, quae facta est *prius, quam* poena *liberaretur.* Saepe magna indoles virtutis, *priusquam* rei publicae prodesse *potuisset,* exstincta fuit. Ducentis annis *antequam* Romam *caperent,* in Italiam Galli descenderunt.

M. At neque in hoc neque in ceteris, quae protulisti, exemplis agitur de re, quae a subjecto exspectetur.

D. Nihil refert; praeceptum, quod dedi, in omnem eventum valet, qui ex conditione temporum pendere cogitatur.

4) *Antequam* et *priusquam* junguntur cum *Indicativo Perfecti,* cum de solo tempore agitur. Plerumque conjunctionem praecedit negatio v. g. Omnes hostes terga verterunt *neque prius* fugere destiterunt, *quam* ad flumen Rhenum *pervenerunt.*

M. Modo dixisti: Neque *prius* fugere destiterunt, *quam,* etc. Cur separasti *prius* a *quam* ?

D. Latinitatis Auctores plerumque separant *ante* et *prius* a *quam,* cum antecedit negatio v. g. *Neque ante* dimisit eum *quam* fidem dedit. *Non ante* finitum est proelium *quam. Non prius* duces ex consilio dimittunt *quam* ab his

sit concessum arma ut capiant. *Nihil prius* mihi faciendum putavi, *quam* ut tibi gratuler.
Ceterum etiam sine negatione ejusmodi separatio nonnunquam elegantior et gravior esse videatur v. g. Ut te *ante* videret, *quam* a vita discederet.

De conjunctione cum.

M. Ex varia significatione hujus conjunctionis grammatici complura distinguunt *cum*; quae, Feliciane?

F. *Cum temporale, cum causale, cum concessivum, cum adversativum.*

a. Cum temporale.

M. Quid significat *cum* temporale?

F. Significat *quando, quo tempore;* saepius antecedunt adverbia *nunc, tunc, tum.*

M. Quo cum modo hoc *cum* conjungitur verbi?

F. Cum Indicativo omnium temporum v. g.
Facile omnes, *cum valemus,* recta consilia aegrotis damus. *Cum* tempus necessitasque *postulat,* decertandum manu est. Is qui non defendit injuriam, *cum potest,* injuste facit. Fieri non potest, ut quis Romae sit, *cum est* Athenis. Fuit quoddam tempus, *cum* in agris homines passim bestiarum more *vagabantur.* Credo *tum, cum* Sicilia *florebat* opibus et copiis, magna artificia fuisse in ea insula. *Cum* Collatino collegae Brutus imperium *abrogabat,* poterat videri facere id injuste. *Tum, cum* respublica vim et severitatem *desiderabat,* vici naturam et vehemens fui. *Cum* inimici nostri *venient,* in Epirum ibo. Oracula Graeci consulebant, *cum* bella *erant ituri.*
Ager *cum* multos annos *quievit,* uberiores efferre fruges solet.
Maxima laetitia sum affectus, *cum audivi* consulem te esse factum.
Tum, cum in Asia res magnas permulti *amiserant,* scimus

Romae solutione impedita fidem concidisse. Morati melius erimus, *cum didicerimus*, quae natura desideret.

M. Perge, Tiberi, explicare *cum* temporale.

T. *Cum* conjungitur cum Indicativo Perfecti vel Praesentis historici, si sententia soluta, quae antecedit, continet Imperfectum vel Plusquamperfectum. His temporibus saepius praeposita sunt adverbia *jam, nondum, vix, aegre* v. g. Legebam tuas epistolas, *cum* mihi epistola *affertur* a Lepta.

Dixerat hoc ille, *cum* puer *nuntiavit* venire ad eum Laelium.

Coenabam apud Sejum, *cum* utrique nostrum *redditae* a te *sunt* litterae. *Iam* ver appetebat, *cum* Hannibal ex hibernis *movit*.

Bis consul fuerat P. Africanus et Carthaginem Numantiamque deleverat, *cum accusavit* L. Cottam. *Iam* in conspectu utraque acies erat, *cum* Persae inconditum et trucem *sustulerunt* clamorem.

Omnes victoriam *jam* certam esse putabant, *cum* repente integer exercitus hostium e silva *prorumpit*. *Aegre* ex morte evaserat, *cum* invidia inimicorum ei novum *molita est* periculum.

Vix prior tumultus conticuerat, *cum* Scipio vi majore aggredi urbem *jubet*.

Vix agmen novissimum extra munitiones processerat, *cum* Galli flumen transire et iniquo loco proelium committere *non dubitant*. Hannibal *jam* scalis subibat muros, *cum* repente in eum patefacta porta *erumpunt* Romani. *Vixdum* epistolam tuam legeram, *cum* ad me Curtius *venit*.

M. Cum ejusmodi sententiae plerumque indicent rem inopinatam, *cum* haud raro adverbiis *repente, subito* augetur v. g.

Vix reliquerant templum, *cum subito* corruit tectum.

Hoc *cum* appellatur *cum* inversum ; cur, Tiberi ?

T. Romani sententiam temporalem conjunctam saepe convertunt in absolutam, absolutam autem in conjunctam, cui praeponitur *cum*. Itaque sententia : *Cum* legebam tuas epistolas, mihi epistola affertur a Lepta ; fit : Legebam tuas epistolas, *cum* mihi epistola affertur a Lepta.

M. Quomodo in ejusmodi sententia explicas *cum* conjunctum cum Imperfecto ? v.g. Caedebatur virgis civis Romanus, *cum* interea nullus gemitus *audiebatur*.

T. *Cum* hic significat actionem, quae eodem tempore cum altera procedit. Prout in altera sententia est Imperfectum vel Perfectum, sequitur *cum interim, cum interea, cum etiamtum* cum Imperfecto vel Perfecto Indicativi v. g. Piso ultimas Hadriani maris oras petivit, cum interim Dyrrhachii milites domum obsidere coeperunt. Multum diei processerat, cum etiamtum eventus in incerto erat.

M. Quid est *cum*, quod appellatur *coincidens*, Gaudenti ?

G. Cum sententia, quae pendet ex *cum* re unum idemque significat ac sententia absoluta, *cum* appellatur *coincidens*. Verbum autem, quod pendet ex *cum*, modo et tempore congruit cum verbo sententiae solutae v. g. *Cum tacent*, clamant. *Cum quiescunt*, probant. *Cum patiuntur* decernunt. *Cum facit*, indicat. *Cum* alterum *ajo*, alterum nego.

Omnia tribuisti, *cum concessisti*. Quid emebat, *cum te emebat*.

Epicurus ex animis hominum extraxit religionem, *cum* diis immortalibus opem et gratiam *sustulit*.

Cum vero sententia conjuncta alteram explicat vel accuratius exsequitur, verbum recipit Conjunctivum v. g.

Mentitus est ille, *cum diceret*, me esse auctorem facinoris.

Manutius Plancus quotidie meam potentiam criminabatur, *cum diceret*, senatum non, quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere.

Item : *cum negaret, adderet, declararet, affirmaret*, etc. v.g. Saepe audivi patrem meum, *cum diceret*.

M. Apud Ciceronem exempla inveni, ubi *dum* idem quod *cum incidens* significare videtur v. g.
Num Cyri et Alexandri similis esse voluit, Crassorum inventus est dissimillimus. Factum est mea culpa....; quod ego, *dum* saluti sociorum consulo, feci non sapienter. Quomodo rem explicas ?

G. *Cum coincidens* et *dum* apud Ciceronem non eandem habent significationem : illud est causale (= quia), hoc adversativum (= sed). *Dum* in hoc genere plerumque indicat rem exitum habere nec provisum nec prosperum : dum hoc facere volui, illud feci ; hoc facere volui, sed illud feci.

M. Nonne aeque emendate dici potest : *Audivi* patrem *dicere* ?

G. Latinum est : Audivi patrem *dicentem* ; patrem audivi dicere contra significat : Audivi, accepi ab aliquo patrem meum dicere, dixisse, etc.

M. Quid de hac sententia existimas : *Fuit tempus, cum* et ego istud verum esse putavi ?

G. Falsa est. *Cum* exigit Conjunctivum : *cum putarem*. Ejusmodi enim locutiones indefinitae ut : *est cum, locus est cum, dies, nox, tempus est, erit, fuit cum* eodem modo tractantur ac : *est qui, sunt, inveniuntur, reperiuntur, qui* etc. cum non tempus solum, sed etiam qualitatem ejusdem contineant = *tale* tempus.
Fuit, cum mihi quoque initium requiescendi fore justum *arbitrarer*. Illucescet aliquando ille *dies, cum* tu fortissimi viri magnitudinem animi *desideres*. *Qui locus* est, *quod tempus, qui dies, quae nox, cum* ego non ex istorum insidiis divino auxilio *eripiar* ?
Fuit tempus, cum rura *colerent* homines neque urbes *haberent*.
Erit, cum te *poeniteat*. *Fuit tempus, cum* mihi resistere non *auderet*.

M. *Cum* temporale, *ubi, simulac, quoties, quocumque, ubicumque, si,* etc. haud raro inveniuntur indicantes actionem variis occasionibus iteratam. Velut Gallice dicimus : *dès que je vois du sang, je m'évanouis*. — Quo cum modo et tempore ejusmodi conjunctiones junguntur, Honori ?

H. Cicero et Caesar in isto genere semper utuntur Indicativo Perfecti, cum sententia soluta continet Praesens et actio conjunctionibus, quas diximus, introducta tempore alteram antecedit ; Indicativo vero Plusquamperfecti, cum sententia soluta continet Imperfectum. Ergo : *Cum vidi* sanguinem, animo *relinquor*. — Sed : *Dès qu'il voyait du sang, il s'évanouissait : Cum viderat* sanguinem, animo *relinquebatur*.

M. Confirma rem aliis exemplis.

H. *Ubi* galli cantum *audivit (dès qu'il entend)*, avum suum revixisse putat. *Simul atque increpuit* suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt. Qui dolor *simul atque arripuit*, interficit. Quis est tam vaecors, qui *cum suspexit* in coelum, deos esse non sentiat. Gubernatores *cum* exultantes loligines *(seiche) viderunt*, tempestatem significari putant. *Si* hilarius *locuti sunt*, revocant se rursus ad maestitiam. In philosophos nostros *si quando incidi*, verbum prorsus nullum intelligo. Novae picturae, *etiamsi* primo aspectu nos *ceperunt*, diutius non delectant. Non illud peto, quod soleo, *cum* vehementius *contendi*, impetrare.

Sed : Stomachabatur senex, *si* quid asperius *dixeram*. Idem (Gyges) videbatur, *cum* anulum *inverterat*. *Ubi* ex navi egredientes *conspexerant*, impeditos adoriebantur. Simulac se remiserat, luxuriosus reperiebatur.
Verres, *cum* rosam *viderat*, tum incipere ver arbitrabatur.

M. Saepius in ejusmodi sententiis inveni *cum* junctum cum Conjunctivo Imperfecti vel Plusquamperfecti ; estne hic modus vitiosus ?

H. Non esse videtur, cum boni auctores eo uti non dubitent v. g.
Epaminondas, *cum* civium suorum aliquis ab hostibus *esset captus*, amicorum concilium habebat. Quoties super tali negotio *consultaret*, edita domus parte utebatur.
Ignoti faciem Agesilai *cum intuerentur*, contemnebant.

M. Dixisti : *Epaminondas, cum* etc. ; nonne licet dicere : *Cum* Epaminondas ?

H. Cum ejusmodi sententiae non habent nisi unum idemque subjectum, hoc semper inchoat sententiam.
Antigonus, cum adversus Seleucum dimicaret, in proelio occisus est.
Africanus, postquam bis consul fuerat, Cottam in judicium vocabat.
Romani, cum reges expulissent, consules crearunt.
Alexander, dum inter primores pugnat, sagitta ictus est.

Sed : Dum ea Romani parant, jam Saguntum summa vi oppugnabatur.

Pro : *Cum igitur* multo saepius invenimus : *Itaque, cum* ; pro : *cum tamen* : *Cum* (sine *tamen).*

M. Cur *cum* temporale in narratione jungitur cum Conjunctivo Imperfecti et Plusquamperfecti, Juliane ?

J. Quia Romani in hoc genere sententiam, quae incipit a *cum*, quasi causam efficientem subsequentis sententiae solutae esse censebant v. g. Antigonus, cum adversus Lysimachum pugnaret, in proelio occisus est (= quia pugnavit, occisus est). Alcibiades, cum esset projectus inhumatus, amica corpus ejus texit suo pallio.
Caesar, cum Pompejum apud Pharsalum vicisset, in Asiam trajecit.
Phocion, cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, magnum in odium pervenit suorum civium.
Caesar, cum Antonii a Brundusio reditus timeretur, firmissimum exercitum comparavit.

M. Restant *cum* causale, *cum* concessivum, *cum* adversativum, quae semper excipiunt Conjunctivum. Quid significat *cum* causale ?

b. Cum causale.

J. Significat causam aliquam v. g. *Cum* Athenas *sis* profectus, inanem redire turpissimum est. *Cum* solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena *sit*, ratio ipsa monet amicitias comparare.
Dionysius, *cum* in communibus suggestis consistere *non auderet*, contionari ex turri alta solebat. Socratis ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, *cum ipse* litteram Socrates nullam *reliquisset*.

Saepius invenimus : *praesertim cum* vel *cum praesertim* v. g.
Magno vos studio convenit sociorum salutem defendere, *praesertim cum* de vestris vectigalibus *agatur*.

Quid significat

c. Cum concessivum ?

J. Idem fere ac *quamquam* v. g.
Phocion fuit perpetuo pauper, *cum* ditissimus esse *posset*. Homines *cum* multis rebus infirmiores *sint*, hac re maxime bestiis praestant, quod loqui possunt. *Cum* omnibus virtutibus me affectum esse *cupiam*, tamen nihil est, quod malim, quam me et justum esse et videri. Apollonius, *cum* mercede *doceret*, tamen non patiebatur, eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere, dimittebatque.

M. Quid significat

d. Cum adversativum ?

J. Significat contentionem quandam et comparationem, qua sententia conjuncta solutae adversari declaratur.

Gallice dicimus : *tandis que, pendant qu'au contraire, lorsque pourtant, bien que* v. g.
Hoc ipso tempore *cum* omnia gymnasia philosophi *teneant*, tamen eorum auditores discum audire, quam philosophum malunt.
Marcelli, Scipionis, Mumii domus, *cum* honore et virtute *florerent*, signis et tabulis pictis erant vacuae. Nostrorum equitum erat quinque millium numerus, *cum* hostes non amplius octingentos equites *haberent*. *Cum* ante Hamilcaris adventum male res *gererentur*, ipse ubi adfuit, semper superior discessit. Solus homo ex tot animantium generibus particeps est rationis et cogitationis, *cum* cetera *sint* omnia expertia.

M. Nonne hoc *cum* idem est quod *dum*, Luciane ?

L. Minime vero: propterea enim idem esse non potest, quod *cum* est conjunctio adversativa, *dum* conjunctio temporalis. Ne *cum* quidem temporale idem illud est quod *dum*, quoniam *cum* temporale (= tum, cum) nihil indicat nisi punctum temporis, quo fit aliquid, *dum* autem spatium temporis, quod utraque actio juxta alteram complectitur.
Dum Lycurgi leges *vigebant*, Lacedaemoniorum gens fortis *erat*. Dum Romani parant consultantque, jam Saguntum summa vi oppugnabatur. Dum in Sicilia sum, nulla statua dejecta est.

Sed : Lituo Romulus regiones direxit tum, cum urbem condidit.
Caesar adolescens tum, cum a Brundusio Antonii reditus timeretur, firmissimum exercitum comparavit. Tum, cum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse.

De conjunctionibus causalibus
Quod, Quia.

M. Hae conjunctiones, plerumque junguntur cum Indicativo, nisi is, qui loquitur causam affert ab altero cogitatam vel dictam v. g. Laudat Panaetius Africanum, *quod fuerit* abstinens. Socrates accusatus est, *quod corrumperet* juventutem. Noctu ambulabat Themistocles, *quod* somnum capere *non posset*.

In his exemplis non auctor ipse affert causam, sed afferentes illos facit, de quibus loquitur.
Praeterea hic Conjunctivus inopinato invenitur apud Ciceronem et alios imprimis in sententiis conjunctis : *quod diceret, quod putaret*, cum non haec verba, sed alia quae ex iis pendent, Conjunctivum exigant v. g. Cum Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paulo post, *quod* se oblitum nescio quid *diceret*. Grammatice exspectatur : *quod* nescio quid oblitum esse *dicebat*. Quomodo explicas hunc Conjunctivum, Luciane ?

L. Negari non potest modum loquendi istum esse vitiosum, cum *quod oblitum esset* solum sit cogitatio alterius, *dicebat* autem verbum narrantis, quod per attractionem innectitur cogitationi alterius. Quod tamen usus sanxit imitari licet. Bellovaci suum numerum non contulerunt, *quod* se suo nomine cum Romanis gesturos bellum *dicerent*. Pomponio cum esset nuntiatum, *quod* illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem *arbitraretur*, surrexit e lectulo. — Ab Atheniensibus locum sepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui, *quod* religione se impediri *dicerent*.

M. Quid significat *quod* cum Indicativo ?

L. *Quod* gallice significat *que, de ce que* cum factum aliquod designandum est aut explicativum aut causale, de quo sententia absoluta judicat.
Ejusmodi sententiae plerumque cohaerent cum pronomine demonstrativo antecedenti aut nominato aut cogitatione explendo (hoc, illud, id, alterum, eo, ex eo, inde, etc.) v. g. Multa sunt in fabrica mundi admirabilia, sed nihil majus quam (scil. id) *quod* ita stabilis et ita cohaeret ad perma-

nendum, ut nihil ne excogitari quidem potest aptius. Non *ea* res me deterruit, quo minus ad te litteras mitterem, *quod* tu ad me nullas miseras *(cette considération)*. *Hoc* uno praestamus vel maxime feris, *quod* exprimere dicendo sensa possumus.

Aristoteles laudandus est in *eo*, *quod* omnia quae moventur, aut natura moveri censet, aut vi aut voluntate. Me una consolatio sustentat, *quod* tibi nullum a me amoris, nullum pietatis officium defuit. *Quod* victor victis pepercit, magnum est, sed majus etiam, *quod* eos in numerum suorum recepit.

Inter inanimum et animal *hoc* maxime interest, *quod* inanimum nihil agit, animal agit aliquid. Phocion non in *eo* solum offenderat, *quod* patriae male consulerat, sed etiam *quod* amicitiae fidem non praestiterat. In *hoc* sumus sapientes, *quod* naturam, optimam ducem tamquam deum sequimur.

Magnum beneficium naturae est, *quod* necesse est mori. Eumeni inter Macedones multum detraxit, *quod* alienae erat civitatis. Primum illi in *eo* peccant, *quod* injuriosi sunt in proximos. Habeo etiam *illam* molestiam, *quod* Dolabella noster apud Caesarem est. Maximam autem plagam Caesar accepit, *quod* Labienus socius sceleris esse noluit.

Hoc me ipse consolabar, *quod* non dubitabam.

M. Hoc *quod* plerumque sequitur verba *facere, accidit, evenit*, et similia, cum conjuncta sunt cum adverbiis *bene, male, commode, opportune, gratum* v. g. Male fecisti, quod me tamdiu in dubio reliquisti.

Bene facis, quod litteras voluptatibus anteponis. Accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti. Humaniter, bene, amice, perperam, recte fecisti, quod. Commode factum est, quod primo die de morte disputatum est.

Praeterea dicimus : *adde, quod ; adde, adjice huc, quod.* Quando *quod* significat factum causale, Rufine ?

R. Cum *ideo, idcirco, propterea* antecedunt, quae saepius audiuntur tantum v. g. Manlius Torquatus filium suum, *quod* is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit. Brevitas in oratione *idcirco* utilis est, *quod* rebus ipsis, non verbis animus auditoris tenendus est. Valde eum diligo, *quod* in his controversiis optima opera ejus uti soleo. Desunt autem verba propter hanc causam, *quod* mirifice sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur. Superbum te esse dicunt, *quod* nihil respondeas.

Vereor ne negligentior sit, *quod* mihi nullas litteras remisit.

Quod significans factum causale conjungitur cum verbis, quae affectum aliquem animi designant, ut gaudere, laetari, laudare, reprehendere, irasci, gratias agere, gratulari, accusare, etc.

Laudat Panaetius Africanum, *quod* fuerit abstinens. Socrates accusatus est, *quod* corrumperet juventutem. Laetor *quod* absens omnia es consecutus. Questi sunt praefecti, *quod* Chabrias adversus regem bellum gereret. Gratias tibi ago, *quod* vivere me coegisti. Mirari Cato se ajebat, *quod* non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. Gaude, *quod* spectant oculi te mille loquentem. Molestissime autem fero, *quod*, te ubi visurus sim, nescio. *Quod* in Matii, doctissimi hominis societatem venisti, valde gaudeo.

M. Saepius praeterea *quod* Gallice significat *quant à ce que* et se refert ad dictum alicujus. Affer exempla.

R. *Quod* autem me Agamemnonem aemulari putas, falleris (= *quant à votre opinion que je*). *Quod* scribis, te, si velim, ad me venturum, ego vero te istic esse volo. *Quod* Silus te cum Clodio loqui vult, potes id mea voluntate facere. *Quid* mihi de nuptiis filiae gratularis, agnosco humanitatem tuam. *Quod* mihi de nostro statu gratularis, minime

miramur te tuo opere laetari. *Quod* scribis te velle scire, qui sit reipublicae status : summa dissensio est. Quod ad me attinet *(quant à moi)*.

M. Nuper quidam scripsit : Quod ad me *pertinet*, inceptum tuum probare non possum. Estne hoc emendatum, Calliste ?

C. Esse negaverim, cum *attinet* et *pertinet* non idem significent.

M. Quid igitur interest, ut hoc breviter perstringamus, inter : Hoc nihil ad te attinet, et : Hoc nihil ad te pertinet ?

C. *Nihil ad te attinet* est locutio latina, quae Gallicae respondet : *Cela ne vous touche, ne vous concerne, ne vous regarde pas ; hoc nihil ad te pertinet* autem significat : hoc tibi nullius momenti est, tua non interest, *cela n'est d'aucune importance pour vous, cela n'a aucun intérêt pour vous*. Nihil ad rem pertinet *(il est sans importance)*. Ad rempublicam pertinere visum est consules primo quoque tempore creari *(être de l'intérêt de la république)*.

M. Affer alia exempla, quae usum hujus verbi demonstrent.

C. Hoc verbum naturalem et principalem significationem *(s'étendre à)* semper fere prae se fert v. g.

Bonitas etiam ad multitudem pertinet *(appartient, est commun à)*

Magis haec malitia pertinet ad viros quam ad mulieres *(s'applique)*.

Hoc ad me, ad meum officium, ad senatum pertinet *(fait partie de mon devoir)*. Res quae ad victum pertinebant *(appartenir)*.

Spero non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat *(s'applique)*.

Quo haec pertineant, videte *(avoir pour but)*.

Summa illuc pertinet, ut sciatis *(le tout a pour but de vous faire savoir)*.

Mors nec ad vivos nec ad mortuos pertinet *(avoir une influence)*.

Ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit *(avoir de l'importance)*.

M. Falsum est : Hic liber ad me attinet vel pertinet ; pro :

Hic liber meus est quia nec *attinet* nec *pertinet* possessionem significat. Falsum est : Illae aves omnes ad unum idemque genus pertinent — pro : in uno eodemque genere sunt ; in unum idemque genus conjiciuntur.

Falsum est : Ad haec (inter haec) verba multa etiam alia pertinent pro : in numero eorum multa etiam alia sunt ; his verbis multa etiam alia annumerantur.

Falsum est : Eo item Ciceronis libri pertinent — pro : Illis item Ciceronis libri annumerandi sunt ; eo item Ciceronis libri referendi sunt. — Falsum est : Adverbium ad verbum pertinet — pro, ut Quintilianus habet : ad verbum est.

Perversae latinitatis est : Quod ad *id* attinet, *quod* librum tuum tempore non remisi — pro : Quod ad librum attinet quem non remisi.

Item : Multi de hac re scripserunt, et quod ad Ciceronem attinet is quinque libros de ea re scripsit — pro : et Cicero quidem quinque libros.

Attinet plerumque invenitur cum negatione vel in interrogatione negativa : Nihil ad nos attinet. Quid ad nos attinet ?

Pertinet est omissum in locutionibus : Nihil ad me. Recte an secus, nihil ad nos, aut si ad nos, nihil ad hoc tempus. Nihil ad rem *(il est sans importance)*. Quorsus haec *(à quoi sert-il)* ? Sed haec hactenus.

Quid significat : *est quod ; habeo quod ?*

C. Gallice : *avoir raison, avoir besoin, avoir sujet de*, quae locutiones semper exigunt Conjunctivum v. g.

Est, quod me pudeat. Plus *habet, quod* gaudeat, quam quod doleat.
Nihil est, quod te moveat. *Nihil habes,* quod timeas. *Nihil est, quod* extimescas (perhorrescas). Nihil est, quod illic moremur diutius. *Quid habetis, quod* de me queri possitis *(quelle raison avez-vous) ?*
Tullium *nihil fuit, quod* appellares *(il n'était pas besoin).*
Nihil habeo, quod incusem senectutem. *Non est, quod* multa loquamur. *(il n'est pas besoin).* Quod timeas, non est *(tu n'as point à craindre).* Si quid ad ea adjicitur, est quod referam ad consilium *(il faut que je).* Est magis, quod gratuler. In viam quod te des hoc tempore, nihil est *(il n'y a pas de raison).* Si animum vicisti potius,quam animus te, est, quod gaudeas. Non est, quod credas, quemquam fieri aliena in felicitate felicem. Quid est, quod tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus ? Plus habet sapiens, quod gaudeat, quam quod angatur.

Eodem modo dicimus : Est, cur ; est, quare ; est, quamobrem.

M. Ad hoc etiam animos advertite :
Utimur Conjunctivo in locutionibus : Quid est, quod non *scribas ?* Quid est quod *fleas ?* — cum quaeritur de *causa* = qua de causa, cur non scribis ? cur fles ? etc.
Utimur Indicativo, cum quaeritur de *persona* vel de *re* v. g.
Quis est, qui tibi ejusmodi rem narravit ?
Quid est, quod Cajus tibi narravit ?
Quid est quod dicis ? Quid est quod invenisti ?
Si interrogatio vero est interrogatio rhetorica, utimur Conjunctivo v. g. Quis est, qui hoc credat ? (nemo).
Quis est, qui tibi ejusmodi rem narraverit *(qui aurait) ?*
Quid est quod Balbus defendat ? etc.

Estne hoc emendatum : Nihil habeo scribere *(je n'ai rien à écrire) ?*

C. Cum sententia sit Ciceronis, falsa esse non potest,

qui idem dicit : Quid habes dicere ? quid habes opponere ? Vel etiam plenius :
Non habeo, quid scribam ; *nihil* habeo, *quod* scribam. Quid habes, quod opponas ?

M. Lucianus paulo ante affirmavit, cum pronomine demonstrativo semper conjungi *quod.* Quomodo igitur explicas hanc sententiam : Quid erat bis vincere ? *Id* profecto, *ut* cum amentissimo tribuno plebis cum decertassem, cum consulibus ceterisque ejus ultoribus decertarem ?

C. Hic agitur de *ut* definienti, quo significatio nominis substantivi, adjectivi, pronominis demonstrativi neutrius, verbi, adverbii, quae in sententia soluta sunt, explicentur. v. g. *Duo summa (grandes qualités)* tenuit, *ut* et rem illustraret, et animos eorum, qui audirent, devinciret. Lex habet in se *molestissimum,* bis *ut* causa dicatur.
Ut definiens loco est in : *in eo esse, in eo positum esse.*

M. Quae restant conjunctiones causales, Sabine ?

S. **Quoniam, quandoquidem, siquidem,** quae solo cum Indicativo conjunguntur.— Significant causam veram et certam, quae jam cognita esse ponitur (= *puisque*).

M. Affer exempla.

S. *Quoniam* ita tu *vis,* nimium me gratum esse concedam.
Quoniam res in id discrimen *adducta est,* animum capiamus. Me vixisse non poenitet, *quoniam* ita *vixi,* ut non frustra me natum existimem. *Quoniam* me una vobiscum servare *non possum,* vestrae quidem certe vitae prospiciam, quos in periculum deduxi.
Quoniam (= postquam) de genere belli *dixi,* nunc de magnitudine pauca dicam. Bellum parate, *quoniam* pacem pati *non potuistis.*
Maturato opus est, *quoniam advesperascit.* De suis privatim rebus ab eo petere coeperunt, *quoniam* civitati consulere *non possent.* Nunc *quoniam demonstravi* (= postquam).

Nunc quoniam ad bella ventum est. Quoniam ad hunc locum perventum est.

Quandoquidem tu istos oratores tanto opere *laudas*. Quandoquidem apud te nec auctoritas senatus nec aetas mea valet.
Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba *(puisque nous sommes assis)*.

Quando idem significat quod *quandoquidem*, sed rarius invenitur v. g. Id omitto, *quando* vobis ita placet. Quando legatos Tyrum misimus. Quando ad majora quaedam nati sumus.
Quando dolus parum profuerat. Quando res plus valet quam verba. Quando talis es, maneas in sententia. Num quando per fortunam licet, festina. Quando virtus est affectio animi constans. Quando igitur inest in omni virtute cura quaedam.

Siquidem nititur in concessione aliqua.
Apud Graecos antiquissimum est e doctis genus poetarum, *siquidem* Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam. Summa etiam utilitas est in iis, qui militari laude antecellunt, *siquidem* eorum consilio et periculo cum republica tum etiam nostris rebus perfrui possumus.

M. Estne haec sententia emendata : Quoniam *semel* hic sum, occasione utar ?

S. Licet dicere : quoniam, quandoquidem, quando *semel*, sed nunquam *cum semel*.

M. Particulae comparativae *ut (uti), sicut (sicuti), quemadmodum*, conjunctae cum demonstrativis *ita, sic, item*, quia plerumque facta certa comparant, recipiunt Indicativum v. g. *Ut* initium, *sic* finis erit. *Ut* optasti, *ita* factum est. *Ut* hirundo aestate advolat, instante hieme avolat ; *sic* infidus amicus rebus laetis praesto est, commutata fortuna deserit amicum.
Quemadmodum socius in societate habet partem ; *sic* heres

in hereditate habet partem. *Sicuti* in foro, *item* in theatro.

Quid jam de hac sententia existimas : Etiam sub vili toga magnum latere potest ingenium. *Ita* veteres Romani ab aratro abduxerunt Cincinnatum, ut dictator esset ?

S. *Ita* haud dubie est falsum. Haec enim sententia illam confirmat exemplo, quod latinitatis auctores semper particulis *ut, velut* inducere solent (Gallice : *ainsi par exemple)*.
Ergo : *Velut* veteres Romani Cincinnatum abduxerunt.
Ut virtus ex viro appellata est (ac non : Ita virtus).
Velut omnes trahimur studio laudis (ac non : Ita omnes).
Ut vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa existimat (ac non : Ita vulgus).
Velut multi indigni luce sunt, et tamen dies oritur.
Ut virtus neque datur dono neque accipitur.
Velut temeritas nunquam cum sapientia commiscetur.
Ut unus ex recentioribus nuper scripsit.
Velut gallinae avesque reliquae cum pullis agere solent.
Velut crocodili aquam persequuntur.
Ut apud quosdam lex erat. Ut apud Platonem Socrates.

2. De Conjunctivo sententiae relativae.

M. Quid interest, Urbane, inter has sententias.
Homo, quem nihil nisi jus civile delec*tat* ; et :
Homo quem nihil nisi jus civile delec*tet* ?

U. Indicativo *quem delectat* loquens subjecto qualitatem quandam objective attribuit ; Conjunctivo eandem ei qualitatem attribuens subjecti notionem ita animo definit, ut verbum velut consequentia illius definitionis appareat. Definitio autem animo loquentis concepta haec est : *Eo animo est* homo, *quem* (= ut eum) nihil nisi jus civile *delectet*. Ut in hac sententia definitio loquentis significat consequentiam, in aliis significare potest aut propositum aut concessionem aut causam v. g.

Missi sunt legati, *qui* pacem *peterent* (= ut ii peterent); Absolvite Verrem, *qui* se *fateatur* maximas pecunias cepisse (= etsi talis est, ut). O fortunate adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris (= cum tu).

Pronomen relativum igitur cum Conjunctivo invenitur :

1) *in sententiis finalibus* pro : *ut ego, ut tu, ut is, ut inde,* etc. Artaxerxes Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem, *quem praeficeret* exercitui. Darius pontem fecit in Histro flumine, *quo* copias *traduceret.* Missi sunt delecti cum Leonida, *qui* Thermopylas *occuparent.* Populus Romanus tribunos plebis creavit, *per quos* contra senatum et consules tutus esse *posset.* Themistocli Artaxerxes Lampsacum urbem donarat, *unde* vinum *sumeret.* Natura homini rationem dedit, *qua regerentur* animi appetitus. Homines sunt hac lege generati, *qui tuerentur* illum globum, quae terra dicitur.

2) *In sententiis consecutivis* pro : *ut ego, ut tu, ut is, ut inde,* etc. cum *tam, tantus, talis, is, ejusmodi* et similia praecedunt vel simul audiuntur v. g. Non sum tam insolens, *qui* Jovem me esse *dicam.* Nihil tam difficile est *quin* quaerendo investigari *possit.* Quis tantus est, *quem* non fortuna indigere etiam infimis *cogat.* Secutae sunt tempestates, *quae* et nostros in castris *retinerent,* et hostes a pugna *prohiberent.* Quidquid ejusmodi est, in *quo* non *possint* plures excellere, in eo fit plerumque contentio. Nomen legati ejusmodi esse debet, *quod* inter hostium tela incolume *versetur.* Nulla acies humani ingenii tanta est, *quae* penetrare in coelum, terram intrare *possit.* Nulla gens tam fera, *cujus* mentem non *imbuerit* deorum opinio. Nunc dicis aliquid, *quod* ad rem *pertineat.* Homines rationem habent a natura datam mentemque sagacem, *quae* causas rerum *videat.*

Non ego sum is consul, *qui,* ut plerique, nefas esse *arbitrer* Gracchos laudare. Ego is sum, *qui* nihil unquam me potius, quam meorum civium causa *fecerim.* Non ego is sum, *qui* omnia *sciam.* Non ii sumus, *quibus* nihil verum esse videatur. Non is sum, *qui* his *delecter* aut *utar* omnino litteris, quae nostros animos deterrent atque avocant a religione. Ea est Romana gens, *quae* victa quiescere *nesciat.* Darius exercitum comparavit, *quem* immensa planities vix *caperet.*

M. Cum de *is sum qui* agitur, ad hoc velim animum intendatis.

Persona verbi sententiae relativae se accommodat ad personam subjecti v. g. Cavete igitur dicatis: Non is sum, qui omnia *credat;* sed : Non is sum, qui omnia *credam,* quia persona subjecti *is sum (ego)* est prima. Idem valet in similibus sententiis.

Mihi crede, qui te sincere *amo,* (ac non : amat). Oderunt me, qui pro omnium salute *laboravi* (ac non : laboravit).

Quid de nobis dicam, qui ad laudem et gloriam nati *sumus.*

Populus Romanus te hominem *per te* (ac non : per se) cognitum extulit.

Ego sum is qui te *confirmem.* Cave putes me eum esse, qui te decipere *cupiam.* Dubito sisne is, qui tantum negotium suscipere *possis.* Non is sum qui *terrear.* Non sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adjuncta esse *dicamus.*

Perge, Valentine, explicare Conjunctivum sententiae relativae.

V. Conjunctivus consecutivus praeterea sequitur verba generalia ut : *Sunt qui, non desunt qui, exsistunt qui, inveniuntur, reperiuntur qui, nonnulli, multi, pauci, quidam sunt, sunt homines, viri, milites, pueri qui* (scil. tales qui).

Item in sententiis et interrogationibus negativis, ut :

Nemo est, nullus est, nihil est, quis, quid est, quotusquisque est, invenitur qui, etc. v. g.

Sunt, qui *censeant* una animum et corpus interire. Fuerunt, qui *crederent* M. Crassum non ignarum Catilinae consilii fuisse.

Ut sunt, qui urbanis rebus bellicas *anteponant,* sic reperies multos, quibus periculosa consilia quietis et cogitatis majora *videantur.* Sunt multi, qui omnino graecas non *ament* litteras. Inventi sunt multi, qui non modo pecuniam, sed etiam vitam pro patria profundere parati *essent.* Quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo *putent.* Qui se ultro morti *offerant,* facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter *ferant.* Sunt certa vitia, quae nemo est, quin effugere cupiat. Nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse *nolit.* Quis est, qui utilia *fugiat ?* Nihil est. quod tam miseros *faciat,* quam impietas et scelus. Quae latebra est, in quam non *intret* metus mortis ?
Nullum est animal praeter hominem, quod notitiam aliquam habeat Dei.
Quotusquisque est, qui voluptatem *neget* esse bonum *(combien)* ?
Quid est, quod me *impediat,* ea, quae mihi probabilia videantur, sequi.
Quis est, qui non *oderit* libidinosam, protervam adolescentiam ?

M. Cum *sunt qui,* etc. conjunctum est cum subjecto certo de quo res vera ac certa dicitur, utimur Indicativo v. g. Mali sunt milites, qui ducem inviti sequuntur. Praeclara sunt, quae fecerat bello Punico secundo. Aristoteles fuit, qui docuit. Sunt bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus, ut in equis. Sunt nonnullae disciplinae, quae officium omne pervertunt. — Ubicumque tamen auditur *talis* vel *ejusmodi,* licet quoque uti Conjunctivo.

De *est quod, non est quod* cum Conjunctivo paulo ante diximus. Perge, Albane.

A. Relativum cum Conjunctivo consecutivo jungitur praeterea cum adjectivis *dignus, indignus, aptus, idoneus.* v. g. Voluptas non est *digna, ad quam* sapiens *respiciat.*

Livianae fabulae non satis *dignae* sunt, *quae* iterum *legantur. Indignus* es, *cui* fides *habeatur.* Res *digna* est, *quam* diu multumque *consideremus.* Rufum Caesar *idoneum* judicaverat, *quem* cum mandatis ad Pompejum *mitteret.* Nulla videbatur *aptior* persona, *quae* de senectute *loqueretur,* quam Catonis. Augustus idoneus esse videbatur, qui rempublicam diu vexatam *administraret.* Qui modeste paret, videtur, qui aliquando *imperet,* dignus esse.

Relativum cum Conjunctivo consecutivo conjungitur cum comparativo : *quam qui* pro *quam ut* v. g. Major sum, quam *cui possit* fortuna nocere. Famae ac fidei damna *majora* sunt, *quam quae* aestimari *possint. Majora* delinquerant, *quam quibus* ignosci *posset.* Majus gaudium fuit, quam quod universum homines *caperent.* Ferocior visa est oratio, quam quae habenda apud regem *esset.*

M. Sermo purus et latinus tamen magis probat: *quam ut.* Perge.

A. Pronomen relativum cum Conjunctivo substituitur in locum conjunctionis *cum*

3) *in sententiis causalibus* pro : *cum ego, cum tu, cum is* etc. Canisius fuit mirifica vigilantia, *qui* suo toto consulatu somnum non *viderit.* Me, *qui* ad multam noctem *vigilassem,* arctus somnus complexus est. Volusenus, *qui* navi egredi ac se barbaris committere non *auderet,* ad Caesarem revertitur. Annon justa causa est, ut vos servem, *quos* tam grandi *sim* mercatus pecunia ? O magna vis veritatis, *quae* contra hominum ingenia facile se ipsa *defendat.*

M. Relativo *qui causali* haud raro adjungitur *quippe* vel *ut (utpote)* explicativum (= *attendu que)* v. g.
Convivia cum patre non inibat, *quippe qui* ne in oppidum quidem nisi perraro *veniret (attendu qu'il ne venait).*
Cum semel causa consideretur, nihil attinet eam ex lege considerare, *quippe quae* in lege scripta non *sit.* Cum a tyranno crudeliter violatus esset, *quippe quem* venundari

jussisset. Solis candor illustrior, quam ullus ignis, *quippe qui* in immenso mundo tam longe lateque *colluceat*.
Nero inusitatae luxuriae fuit, *ut qui* retibus aureis *piscaretur*.
Magna pars Fidenatium, *ut qui* coloni additi Romanis *essent*, latine sciebant. — Perge, Beate.

B. 4) Pronomen **relativum praeterea locum tenet conjunctionis** *cum concessivi*, pro : *cum ego, cum tu, cum is* etc. = *etsi* v. g. Absolvite Verrem, *qui* se *fateatur*. maximas pecunias cum summa sociorum injuria accepisse. Ego, *qui* sero graecas litteras *attigissem*, tamen, cum Athenas venissem, complures ibi dies sum commoratus.

5) Relativum *qui quidem* cum Conjunctivo confirmat aut circumscribit sententiam aliquam generalem v. g.
Refertae sunt Catonis orationes, *quas quidem* aut *invenerim* aut *legerim*, et verbis et rebus illustribus. Neque quidquam est de hac re post Panaetium explicatum, *quod quidem* mihi *probaretur*, de iis, quae in manus meas venerint. Ceteri auctores, *quorum quidem* ego *legerim* annales. Varronis opera, *quae quidem supersint*, etc.

Maximo in usu est *quod* circumscribens cum Conjunctivo v. g.
Quod *sciam (à ce que je sache)* ; quod *meminerim* ; quod ego *intelligam* ; quod (facile) intelligi *possit* ; quod conjectura provideri *possit* ; quod salva fide *possim* ; quod commodo tuo *fiat* ; quod sine alterius injuria *fiat*.

Contra semper cum Indicativo : *Quantum* possum ; quantum ego percipio ; quantum scio ; quantum in me est ; quantum audio ; quantum assequi possum.

6) Sententia relativa exigit Conjunctivum, cum cogitationem continet subjecti sententiae solutae.

a) Sententia soluta est in Indicativo v. g.
Socrates exsecrari eum solebat, qui (ut ipse cogitabat) primus utilitatem a natura *sejunxisset*. Paetus omnes libros, quos frater suus *reliquisset*, mihi donavit. Caesar quotidie Aeduos frumentum, quod publice *polliciti essent*, flagitabat. Laudant eos, qui (ut ipsi cogitant) aequo animo *moriantur*.

b) Sententia relativa constituit partem necessariam sententiae, unde pendet et quae est in Infinitivo aut in Conjunctivo.
Quid potest esse tam apertum, quam *esse aliquod numen, quo haec regantur*. (Sententia relativa complet cogitationem esse aliquod numen). Aristoteles ait, *bestiolas quasdam nasci, quae* unum diem *vivant*. Temere credunt multi, *eum, qui* orationem bonorum *imitetur*, facta quoque *imitaturum esse*.
Quis confidit, illud stabile et firmum *permansurum esse, quod* fragile et caducum *sit*. Non est consentaneum, *qui* metu *non frangatur*, eum *frangi cupiditate*. Non dubitavi id ad te *petere, quod* mihi *esset* omnium maximum maximeque necessarium. Eo simus animo, ut nihil in malis *ducamus, quod sit* vel a Deo immortali vel a natura constitutum. Pietas erga Deum postulat, ut nihil ab eo *exspectetur, quod sit* injustum atque inhonestum Nihil turpius, quam cum eo *bellum gerere, quicum* familiariter *vixeris*. Nemo avarus adhuc inventus est, cui *quod haberet, satis esset*. *Qui* semel verecundiae fines *transierit*, eum naviter oportet *esse impudentem*.
Illud est in officio, ut *ei* plurimum *tribuamus, a quo* plurimum *diligamur*. Sunt, qui quidvis perpetiantur, dum *quod velint, consequantur*.
Cum enim ejusmodi Infinitivus et Conjunctivus non enuntiet factum verum ac certum, sed rem animo tantum conceptam, per attractionem sententia quoque relativa excipit Conjunctivum.

M. Utrum est emendatum : Non emo libros, quos mihi *commendas*, an : Non emo libros, quos mihi *commendes* ?

B. Illud est emendatum. Sententia enim relativa, quae

sententiae negativae adjungitur, exigit Indicativum, cum de facto certo ac vero agitur ; Conjunctivum autem, cum de re animo tantum concepta agitur v. g. Non emo libros, quos imperitus aliquis mihi *commendet*.

3. De Conjunctivo interrogationis obliquae.

M. Quae interrogatio appellatur obliqua, Damase ?

D. Illa, quae non est absoluta, sed quae pendet ex aliquo verbo.

M. Affer exemplum.

D. Cur feles aquam abhorrent ? est interrogatio absoluta seu recta ; cui si verbum aliquod praepono, unde pendeat, fit obliqua et exigit Conjunctivum v. g. *Quaeritur*, cur feles aquam abhorreant.

M. Ex quibus verbis interrogatio obliqua pendere solet ?

D. 1) *Ex verbis interrogandi* : rogare, interrogare, percontari, sciscitari, quaerere, exquirere, requirere, etc.

2) *Ex verbis sentiendi et declarandi*, quae aliter Accusativum cum Infinitivo exigunt, ut : audire, cognoscere, cogitare, concludere, colligere, conjicere, discere, dicere, fateri, certiorem facere, intelligere, judicare, meminisse, narrare, nuntiare, ostendere, respondere, scire, sentire, suspicari, etc.

M. Demonstra aliquot exemplis, quomodo interrogatio recta fiat obliqua.

D. Si quis me interrogat : Qualis est animus ? respondeo : Qualis *sit* animus, ipse animus nescit.
Quo nomine appellatur ille ? – Quo nomine *appelletur*, me fugit.
Quid dicunt homines ? – Non curo, quid homines de me *dicant*.
Quo anno es natus ? — Quo anno *sim* natus, certum nescio.

Quid feret nox ? – Quid nox latura *sit*, incertum est.
Quis hoc fecit ? — Quis hoc *fecerit*, conjecturam facere non possum.
Uter alteri nocuit ? — Uter alteri *nocuerit*, compertum non habeo.
Quae est causa hujus rei ? — Quae causa *esset*, ipse saepius mecum cogitavi.
Quando fuit Terentius ? — Quando fuerit, omnino oblitus sum.
Quanti ponderis est lapis iste ? — Quanti ponderis *sit*, aestimare difficile est.

M. Estne hoc latinum : *Nescio*, quid tibi scribam ?

D. Latinum est : *Non habeo*, quid tibi scribam.
Nihil habeo, quod tibi scribam.
Non habeo, quid tibi consilii dem.

M. Converte hanc interrogationem rectam in obliquam : Vidistine unquam navem longam seu bellicam ?

D. Me interrogas, viderimne vel num unquam viderim navem bellicam *(vous me demandez si j'ai vu)*.
Si enim dubitativum gallicum latine promiscue redditur particulis *num* vel *ne* quod verbo significanti annectitur. *Si ne-pas* latine est *nonne*, cum antecedit verbum interrogandi.

M. Affer aliquot exempla.

D. Quaeritur *idemne* sit pertinacia et perseverantia. Unum illud nescio, *gratulerne* tibi. Epaminondas quaesivit, *salvusne esset* clipeus. Ex me quaesivit, *nonne* rem *crederem*.

M. Quid interest, Floriane, inter *dubito num* et *dubito ne* v. g. dubito *num* venturus sit et : dubito *sitne* venturus ?

F. Nihil interest omnino ; etsi enim *num* in interrogatione recta significat responsum negativum, tamen nihil differt a *ne* in interrogatione obliqua. Idem valet in *ecquis*, *ecquid* = numquis, numquid.

M. Quid interest inter : *Dubito num* sic satis sit et : *Dubito an* sic satis sit ?

F. Illud neque affirmat neque negat, sed rem in medio relinquit; hoc ad affirmationem inclinat. Conjunctum enim cum verbis *haud scio, nescio, dubito, dubium est, incertum est, delibero, haesito, an* significat *si ne pas*, quod affirmationem modestam continet = facile crediderim sic satis esse ; adducor, ut credam sic satis esse ; fortasse sic satis est.

M. Affer aliquot exempla.

F. *Haud scio an* hoc verum sit (= propenso ad credendum sum animo hoc verum esse). *Dubito an* hic considam. *Haud scio an* satis sit eum poenitere. *Nescio an* modum excesserit.
Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia...
Haud scio an, quae dixit, sint vera *(pourrait bien être vrai)*.
Quis scit, an prudens huc se dejecerit *(peut-être)*.
Haud scio an spectacula sint crudelia *(sont peut-être vraiment)*.
Dubito an te primum ponam. Dicitur Darius *dubitasse, an* fugae dedecus honesta morte vitaret. Ego *dubito an* id imperium potius appellem. — *Dubitavit an* jure posset reprehendi *(il était presque sûr qu'on était en droit de l'arrêter)*.
Da cani bibere, *haud scio an* sitiat *(peut-être a-t-il soif)*.
Vir sapientissimus atque *haud scio an* praestantissimus *(et peut-être)*.
Testis est non mediocris, sed *haud scio an* gravissimus *(peut-être d'un très grand poids)*.
Magna fuit constantia, *nescio an* melius patientia possim dicere *(peut-être serait-il plus juste de dire)*.
Non dubito an recte admonuerit *(peut-être a-t-il raison)*.
Moriendum certe est et id *incertum an* hoc ipso die (= idque fortasse hodie).
Contigit tibi, quod *haud scio an* nemini (= quod fortasse).

M. Converte : *Peut-être n'est-il pas vrai.*

F. Haud scio an *non* verum sit. Cum enim *haud scio an*, etc. sensum habeat affirmativum *(= peut-être)*, sententia, quae sequitur, negatione (non, nihil, nullus, nemo, nusquam) carere non potest v. g. Gracchus, si diutius vixisset, nescio an eloquentia parem habuisset *neminem*.
Dubito an turpe *non* sit (= crediderim turpe non esse).
Mea sententia haud scio an *nullus* beatior esse possit.
Hoc dijudicari, nescio an *nunquam*, sed hoc sermone certe non potest.
Non saepe, haud scio an *nunquam* merum biberim.
Haud scio an, excepta sapientia, *nihil* melius amicitia homini sit a diis datum.

M. Falsum est igitur : « Haud scio an vel dubito an, *quis* domi sit, » si velis dicere « fortasse nemo domi est ».
Falsum est : Nescio an *unquam* anulum pretiosiorem viderim, — cum significare velis te nunquam fortasse vidisse.

Quid interest, Laurenti, inter : Nescio quae tu *scis*, et : Nescio, quae tu *scias ?*

L. Illa est sententia relativa, quae significat : Tu multa scis (v. g. linguam latinam, historiam, mathematica), quae ego nescio ; haec est interrogatio obliqua : Tu scis aliquid, sed nescio quid.
Ejusmodi sententias relativas apud Ciceronem invenias v. g.
Nihil est admirabilius, quam (id) *quomodo* mortem filiae *tulit*.
Quaeramus (ibi) *ubi* maleficium *est*.

M. Estne haec sententia emendata : Dic, quaeso, num te illa terrent ?

L. Est Ciceronis, qui Imperativum *dic* et *vide* modo cum Indicativo jungit modo cum Conjunctivo v. g. Vide, quam conversa res est.

M. Estne hoc emendatum : Casu *nescio quo* in ea tempora aetas nostra incidit ?

L. Est vero. Cum enim *nescio* conjunctum cum verbo interrogativo, ut *quis, quid, quomodo (je ne sais quel ou qui)* etc., sensum pronominis indefiniti assumit (nescio quis = quidam), recipit Indicativum.

Idem valet in : *mirum quantum* (= mire multum), *incredibile quantum* (= incredibiliter multum), *mirum quam. nimium quantum* (= mirum in modum).

Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis.

Prope me hic *nescio quis* loquitur. *Nescio quomodo* inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum.

Hoc *nescio ubi* ab aliquo audivi. Haec villula *mirum quantum* me delectat. Sales in dicendo *nimium quantum* valent.

M. Damasus paulo ante dixit, *si* dubitativum gallicum interrogationis obliquae latine particulis *num* et *ne* reddi ; at tamen haud raro apud optimos scriptores pro *num* vel *ne* inveni *si* conjunctionem v. g. Temptata res est, *si* capi Ardea posset. Quomodo rem explicas ?

L. *Si* plerumque conjungitur cum verbis conandi et exspectandi (conari, tentare, experiri, operam dare, exspectare, videre), quae verba nonnunquam cogitando explentur v. g.

Conati sunt, si perrumpere possent. *Exspectabam, si* quid ad me scriberes. *Videbo si* forte frater redierit. Si nostri transirent, hostes exspectabant. Hunc *adibo, si* quid me velit. Ad eum Furnium *misi, si* quid forte proficere posset. Ex castris *exierunt, si* quid frumenti reperire possent. Aggerem *conscendunt, si* tueri se possent. Te adeunt fere omnes, si quid velis.

Fasciculum *solvi, si* quid ad me esset litterarum.

M. Quomodo interrogatio obliqua disjunctiva construitur, Pauline ?

P. Pluribus modis construi potest v. g.

Quaeritur, *utrum* bonum *an* malum sit.

Quaeritur, bonum*ne an* malum sit.
Quaeritur, bonum *an* malum sit.
Quaeritur, bonum malum*ne* sit.

M. Affer aliquot exempla.

P. Unum illud nescio, gratuler*ne* tibi, *an* timeam.

Dionysius diu dubitavit, imperium deponeret. *an* bello resisteret.

Stellarum numerus par, *an* impar sit, nescitur.

Nescio, maneam*ne* Arpini, *an* propius accedam, *an* veniam Romam.

Quid refert, *utrum* non incipias *an* desinas ? Dubitant nonnulli de mundo, casu*ne* ipse sit effectus aut necessitate aliqua, *an* ratione ac mente divina. Deliberatur, incendi placeret oppidum *an* defendi. Incertum fuit, vicissent victi*ne* essent. Quid interest, *utrum* ex homine se quis convertat in belluam, *an* in hominis figura immanitatem gerat belluae ?

Incertum est abeam *an* maneam, adeam *an* fugiam. Quaeritur, justum *an* injustum, utile *an* inutile sit. Vere *an* secus, nihil ad hoc tempus. Nihil interest dactylus sit extremus, *an* creticus.

Extrema syllaba brevis *an* longa sit, nihil refert. Dubites aequum sit *an* iniquum. Neque enim maneatis *an* abeatis hinc deliberari potest.

Vincerent *an* vincerentur haud multum intererat. Manere *an* abire me velitis, clamore significate. Elige cum cive *an* hoste pugnare malis.

M. Estne haec sententia emendata : Deliberat senatus, captivos ab hostibus redimat *annon* ?

P. Est illa quidem, cum Ciceronis sit, emendata, sed *necne* in ejusmodi sententia contracta multo majore in usu est v. g.

Quaeritur primum sintne dii *necne*. Factum sit *necne*, quaeritur. Verum sit *necne* dijudicari non potest. Demus

beneficium *necne*, in nostra est potestate. Parthi transierint Euphratem, *necne*, praeter te video dubitare neminem.

Sapientia efficit sapientes sola per se; beatos efficiat *necne* sola per se, quaestio est. Me laudes, *necne*, nihil curo.

M. Estne hoc emendatum : Semper vigilavi et providi, *quemadmodum* salvi esse possemus ?

P. Quin sit, nihil dubito ; *quemadmodum* interrogativum enim vix invenitur nisi in interrogatione obliqua. Idem valet in : *quare* et *quamobrem*, quae raro invenias in interrogatione recta.

DE IMPERATIVO.

M. Quid significat Imperativus, Romane ?

R. Iussum, optationem, consilium, admonitionem.

M. Quot sunt genera Imperativi ?

R. Imperativus Praesentis v. g. *veni*, et Imperativus Futuri v. g. *venito*. Item passive : *laudare, laudator*.

M. Quid differt Imperativus Praesentis ab Imperativo Futuri ?

R. Imperativus Praesentis vult, ut aliquid, quod jam est, aut maneat v. g. *vive* felix, aut illico fiat v. g. *veni, surge, audi ;* Imperativus Futuri vult, ut aliquid non illico, sed alio quodam tempore vel in posterum fiat. Quam ob rem hic Imperativus maximo in usu est in legibus, foederibus, testamentis, in praeceptis agendi et vivendi. Saepissime eum antecedit alterutrum Futurum v. g. Cum litteras meas *acceperis, venito*.

M. Affer exempla Imperativi Praesentis ex usu vitae sumpta.

R. Resiste, siste pedem, Aemili, paucis te volo. Fac, ut tibi opus est facto. Abi, praecurre, ut sint domi parata omnia. De hac re fac tuo arbitratu ; age ut libet.

Cogita, quid sis dicturus ; audi, seria res est. Interroga quemlibet. Dic mihi semel quid velis ; dic uno verbo ; dic quam brevissime. Explica mihi consilium tuum; dic mihi verum ; dic integre ; dic usque ad finem. Aperi mihi animum tuum. Vale. Recita clara voce. Attolle vocem ; intende vocem, remitte vocem. Assurge magistro. Desine, quiesce, Antoni ; mitte me ; omitte me ; dimitte me ! Sine me dicere, perficere, absolvere ; sine me transire. Exspecta parumper. Concede mihi transitum ; cede mihi. Omitte istas ineptias. Incedite ordine. Accede huc ; accede ad me propius. Misce vinum ; ministra pocula ; instrue mensam, appone cibos. Aufer, tolle mensam ; da mihi bibere ; da mihi aliquid bibendum. Facesse hinc ! apage te ; abi in malam rem ; abscede procul e conspectu meo ; libera oculos meos !

Excute crumenam ; prome pecuniam ; expedi nummos.

M. Profer, Severe, exempla Imperativi Futuri.

S. *Venito* ad me hoc vespere. Alias venito. Rem post aliquot dies iterum *tentato*. Singulis minimum annis mihi *scribito*.

Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi. In omnibus rebus, priusquam agas, *deliberato*. Nunquam par pari *referto*.

Bibito moderate, *edito* frugaliter. Virgines Vestales in urbe *custodiunto* ignem sempiternum. Censores bini *sunto*, magistratum quinquennium *habento*. In re nova atque admirabili causam *investigato*. Illud exploratum *habeto*, nihil fieri posse sine causa. Non satis est, pulchra esse poëmata, dulcia *sunto*. Lactucam diligenter *lavato* et sale aspersam oleo et aceto *superfundito*. Si librum reposcat, *reddito*.

Cum valetudini tuae consulueris, tum *consulito* navigationi. *Laudatote*, cum respondero. Cum nuntium acceperis, *judicato*.

M. In sermone familiari latinitatis auctores Imperativo saepius aliam formam verbi substituunt ; quam ?

S. Futurum simplex, cujus negatio est *non* v. g. Tu ad omnia mihi *rescribes*. Post coenam paululum quieti te *dabis* Officium tuum praestare non *cessabis*. Nihil me *celabis*. Tu alienis negotiis te non *immiscebis*. Ejusmodi socios *fugies*.

M. Quomodo Imperativus acuitur; quomodo ei plus ponderis affertur ?

S. Acuitur Imperativus jussivus circumlocutione *fac, (ut), cura, ut* cum Conjunctivo ; mitigatur autem verbis *velim, quaeso* v. g. Magnum *fac* animum *habeas* et spem bonam.

Cura, ut valeas. *Cura, ut* quam primum venias. Cura, ut otium tuum omne in historia scribenda consumas. *Fac cogites* in quanta calamitate sis. Fac discas, puer, dum licet. *Velim* pristinam tuam erga me voluntatem conserves. Mihi spatium cogitandi *velim* relinquas. Narra, *quaeso*, omnia.

Imperativus autem prohibitivus acuitur circumlocutione *fac ne, cave (ne), noli, nolim* v. g.

Fac ne quid cures. *Fac ne* tempus nugis teras. *Cave* te excuses. Cave dicas tibi non esse praedictum. Cavete tentetis ludi fortunam. *Nolite* id velle, quod fieri non potest. *Nolite* imitari malos medicos. *Nolim* me jocari putes. Cave, ne nimis promittas. Fac, ne cuiquam hoc dicas.

M. Aliis praeterea modis Imperativus augeri potest ; quibus Turibi ?

T. Locutione *amabo* te, vel *amabo* ; *dum, vero* particulis, *quin* interrogatione v. g. *Amabo te* advola. Tace *amabo*. Adjuva me *amabo te*. Tace*dum*, age*dum*, agite*dum (=donc)*. Ostende *vero !* cape *vero ! Quin* respondes ? *(répondez donc)*. *Quin* tu audi *(écoutez donc)*. *Quin* omitte me.

M. Quae est negatio Imperativi ?

T. Futuro simplici excepto, negatio Imperativi est *ne* et pro neque *neve*.

M. Dicesne igitur : Ne ride ; ne scribe neve veni ?

T. *Ne* cum Imperativo Praesentis vix in usu est nisi apud poetas et in legibus ; oratio prosa semper habet *ne* cum Perfecto Conjunctivi : Ne *riseris*, ne *scripseris* neve *veneris*. Ne *cessaveris*. Malos libros ne *legeris*. Ne *dubitaveris*. De hac re nemini quidquam *dixeris*. Ejusmodi homini fidem ne *habueris*. Aurum ne *miratus sis*. Eum amplius ne *sis hortatus*.

Nihil *concesseris*.

Nunquam mendacium *dixeris*. Nihil *omiseris*. Nulli *credideris*.

Ne Apellae quidem *dixeris*.

M. Nonnunquam inveni *ne* cum tertia persona Praesentis Conjunctivi v. g. Puer telum ne habeat ; probasne hunc usum ?

T. Sermonem purum et latinum non possum quin approbem.

Ne te *pigeat*. Nemini incredibile *sit*. Nemo hominem justum *condemnet*.

Falsum est autem eodem modo uti secunda persona, nisi significat personam indefinitam (gallice : *on*) v. g.

Ne dicas *(qu'on ne dise pas)* ; ne credas. Isto bono ne utare.

Sed : Hodie, mi Pauline, ne veneris

M. Affer exempla Imperativi prohibitivi Futuri.

T. Hominem mortuum in urbe *ne sepelito neve urito*. Estote fortes in bello *neve* animos *demittote*. Quotidie aliquid addiscito *neve* unquam in studio *cessato*. Pueri ejusmodi spectaculo *ne intersunto neve* interesse *desideranto*.

M. Estne haec sententia emendata : Peto abs te, cura omnia negotia ejus ?

T. Imperativus verbo adjungi non potest, quod exigit *ut*. Ergo : Peto abs te *ut* cures omnia negotia ejus.

M. Quid de hac judicas sententia : Considera attente

has gemmas *et* facile cognosces utra sit adulterina ?

T. Est illa quidem non falsa ; sed optimi latinitatis auctores cum Futurum sequitur Imperativum aut ommittunt *et* aut utuntur *jam* vel *tum*.

Considera attente has gemmas : facile cognosces (vel : *jam* facile, *tum* facile cognosces), utra sit adulterina.

M. Hac occasione verborum vos admonuerim *dicere, facere, ducere, ferre,* quae in Imperativo faciunt : *dic, fac, duc, fer*. Pro *sci* (de verbo *scire*) veteres dicebant *scito* ; pro *scite : scitote*.

Quid interest, ut hoc quasi praeteriens tangam, inter *certe* scio et *certo* scio ?

T. Illud significat : Noli dubitare, rem vere scio; — hoc : Equidem de re minime dubito, rem exploratam habeo, pro certo scio.

Cicero plerumque utitur *certe scio*.

Certe conjungi potest cum aliis verbis, *certo* cum solo verbo *scire*.

CAPUT TERTIUM.
DE VERBO INFINITO.
I. De Infinitivo.

M. Infinitivus pro substantivo indeclinabili haberi et ideo subjectum sententiae esse potest. Affer, Vincenti, exempla.

V. Recte *regere* rempublicam ars est difficilis. Vacare culpa magnum est solatium. *Invidere* non cadit in sapientem. Virtus est *vitium fugere*. Dulce et decorum est pro patria *mori*.

Stultum est alios mendaciis *fallere*. *Imperare* sibi maximum imperium est. Docto homini et erudito *vivere* est *cogitare*.

M. Demonstra Infinitivum in ejusmodi exemplis esse Nominativum ideoque sententiae subjectum.

V. In exemplis quae attuli, recte *regere* rempublicam, etc. idem est quod : recta *gubernatio* reipublicae ars difficilis est ; *vacare* culpa idem quod *vacuitas* culpae ; *invidere* non cadit, idem quod *invidia* non cadit ; *imperare* sibi, idem quod *imperium* sui.

M. Estne Infinitivus hujus exempli subiectum : Me piget narrare omnia ?

V. Infinitivus conjunctus cum verbo impersonali, ut piget, pudet, taedet, decet, delectat, juvat, etc. plerumque est subjectum v. g.

Me pudet *dicere*, quomodo sit factum. Non poenitet me *vixisse*.

Taedet eadem *audire* milites. *Irasci* oratorem minime decet. Reipublicae conducit quam maximas copias *habere*. Non opus est *affirmare*. Necesse est *mori*. Hoc *fieri* oportet. *Audire* interest.

Videre non refert. Amico *profuisse* juvat. *Mori* praestat. Quid attinet ejusmodi sumptus *facere* ? Non libet plura *scribere*.

M. Quid de hoc exemplo judicas : Transire non dubitant ?

V. In isto exemplo Infinitivus est *objectum* dubitationis, quod semper fit, cum ex illis verbis pendet, quae per se minus intelligi possunt. Ejusmodi verba sunt : posse, velle, malle, nolle, cupere, debere, studere, conari, audere, festinare, maturare, cunctari, morari, dubitare, incipere, pergere, coepisse, cogitare, negligere, parare, statuere, decernere, solere, assuescere, consuescere, docere, scire, desinere, discere, non curare, in animo habere, in animum inducere *(se mettre en tête)*, etc.

v. g. Hannibal nescis uti victoria. Non possunt omnes doctores *esse*. Venae et arteriae *micare* non desinunt.

Frumentum *maturescere* incipit. Lapides *jaci* coepti sunt.

Homerus solus *appellari* poeta meruit. Solent diu *cogitare*

omnes qui mala negotia volunt *agere*. Nolo *esse* laudator. Me *sapere* docuit. Non curat ista *scire*. *Pluere* desiit. Nemo mortem *effugere* potest. Labienus ipse flumen *transire* in animo habebat Consilium ceperunt ex oppido *profugere*.

M. Estne haec sententia emendata, Ambrosi : Beatum esse sine virtute nemo potest ?

A. Non est profecto ; cum enim verbum finitum junctum est cum Nominativo, Infinitivus quoque objectivus conjungitur cum Nominativo. Ergo : *Nemo* potest sine virtute *beatus* esse v. g. *Cato* malebat *bonus* esse quam videri. *Antiochus magnus* haberi coepit. *Socrates* jure philosophiae *parens* appellari meruit. Nolo esse *laudator*, ne videar *adulator*. Non *omnes* didicerunt *liberi* esse. Omnes *homines* student *beati* fieri. Desiit *rex iratus* esse. In omnibus rebus *cupio* esse *justus*.

M. Quando licet uti Accusativo ?

A. In sententiis, quae definito subjecto carent v. g. *Mendacem* esse turpe est. *Divitem* esse non nefas est. Laude dignum est *pium* esse in parentes. *Integrum* esse difficile est. Honorificum est creari *consulem*. *Contentum* suis rebus esse maximae sunt divitiae.

M. Quomodo hunc Accusativum explicas ?

A. Subjectum est *aliquis*, quod simul auditur v. g. *(Aliquem)* mendacem esse, turpe est. *(Aliquem)* divitem esse nefas non est. *(Aliquem)* consulem creari honorificum est. Honori ducitur *(aliquem)* esse fortem, etc.

M. Non ita pridem legi : Sententiae tuae assentiri non *valeo*. Et in eadem epistola : Molestissime fero, quod ipse venire non *valeo*. Quid judicas de his sententiis ?

A. Latinitatis sunt perversae. Latinum est : assentiri non *possum* ; venire non *possum*. *Valere* enim significat satis virium corporis habere ad faciendum aliquid. Quam ob rem Suetonius de imperatore

quodam Romano scribit : Neque calceum perpeti neque libellum evolvere aut omnino tenere valebat *(il n'avait pas la force)*.
Et Horatius : Vide, quid valeant ferre humeri. Terram fodere non valeo.
Sensu autem translato *valere* significat : auctoritatem, potentiam habere, potentem esse v. g. Plus potest, qui plus valet. Valent amicis, equitatu, copiis pedestribus. Verba nihil valent *(n'ont aucune efficacité)*. Valet ima summis mutare Deus.
Neque est emendatum : Quae dixi, *de* omnibus ceteris generibus valent *(vaut)*. Quod praeceptum etiam *de* similibus verbis valet. Hoc *de* te valet.

Latinum est : Quae dixi *in* omnia cetera genera (in omnibus ceteris generibus) valent.
Quod praeceptum etiam *in* similia verba valet. Hoc *in* te valet. Hoc in omnes numeros impares valet. Hoc etiam in illis legibus valet.
Cicero autem utitur verbo *valere* cum *ad* praepositione v. g. Alii velocitate ad currendum, alii viribus ad luctandum valent.
Tu non solum ad negligendas leges, verum etiam ad evertendas valuisti *(être assez fort pour)*. Hoc praeceptum ad tollendam amicitiam valet *(est propre à)*. Id perficiam, ut invidia mihi valeat ad gloriam *(profite à ma gloire)*. Si gemitus valet ad confirmandum animum *(contribue à raffermir)*.

2. De Accusativo cum Infinitivo.

M. Quid est constructio Accusativi cum Infinitivo, Corneli ?

C. Est mutatio sententiae conjunctae, quae gallice plerumque a *que* conjunctione inchoatur, in Accusativum cum

Infinitivo v. g. *Je sais qu'il viendra:* Scio eum venturum esse.

Usus docet hominem esse mortalem *(que l'homme est mortel).*

M. Et haec constructio Infinitivo similis aut subjectum aut objectum sententiae absolutae esse potest Quando est subjectum ?

C. Cum vicem praestat Nominativi sententiae absolutae v. g.

Certum est *nos esse morituros = Mors nostra* certa est.

Justum est sceleratos puniri = Iusta est sceleratorum punitio.

M. Quando est objectum ?

C. Cum locum tenet Accusativi v. g.

Cognovi *Cajum advenisse* = Cognovi *adventum Caji.*

M. Explica paulo accuratius, quando Accusativus cum Infinitivo vicem praestet subjecti.

C. Vicem praestat subjecti, cum verbum *esse* conjunctum cum substantivo vel adjectivo aliquo est praedicatum sententiae, ut : justum est ; aequum, par, verisimile, consentaneum, perspicuum, apertum est; verum, credibile, difficile, turpe, honestum, pulchrum, indignum est ; fas, nefas, scelus est ; spes, fama, opinio est.

His praeterea annumerantur verba impersonalia : necesse est, opus est, oportet, convenit, decet, placet, licet, prodest, expedit, conducit, constat, liquet, apparet, interest, refert, intelligitur, perspicitur, nuntiatum est, putandum est, etc. v. g.

Constat profecto ad salutem civium inventas esse leges.

Legem brevem esse *oportet,* quo facilius ab imperitis teneatur.

Non sine causa *dictum est* nihil facilius quam lacrimas inarescere.

Accusatores multos esse in civitate *utile est,* ut metu contineatur audacia.

Traditum est Homerum caecum fuisse. *Verum est* amicitiam nisi inter bonos esse non posse.

Facinus est vinciri civem Romanum. Non *rectum est* minori parere majorem. *Nefas est* filium in conspectu matris considere.

Facile intelligitur mundum propter hominem esse factum.

Opus est te animo valere, ut corpore possis. Quid nostra *refert* victum esse Antonium. Corpus mortale *necesse est* aliquo tempore interire.

M. Inutile non fuerit animos vestros ad hoc quoque advertere :

Cum Accusativus cum Infinitivo aut subjectum sit aut objectum, virgula ab reliqua parte sententiae separari non debet.

Vitiosum est igitur in hujusmodi sententiis : « Mos erat victimam sertis redimiri » post « mos erat » virgulam interponere.

Licetne dicere : Oportet, *ut* hoc *facias ?*

C. Nunquam, sed licet dicere : Oportet hoc *facias,* sine *ut.*

Idem valet in *necesse est ; opus est* contra non admittit Conjunctivum v. g. Me ipsum *ames oportet,* non mea. Philosophiae *servias oportet.*

Exstent oportet vestigia. Ego *oportet* crimen *diluam.*

Quidquid oritur causam *habeat necesse est.* Virtus *necesse est* res sibi contrarias *aspernetur.* Intimi multa *videant necesse est.* Boves *vendat necesse est.*

Cum *necesse est* vel *oportet* est in Infinitivo, conjungitur cum Infinitivo v. g. Credo *necesse esse* legiones Romam *venire.*

Litteras *dari necesse esse* non putavi. *Oportere* ita *fieri* non arbitror.

Cum ejusmodi sententia persona agens non memoratur,

auctores utuntur Accusativo cum Infinitivo passivo v. g. Hoc nobis concedi oportet.
Hos homines nominatim appellari non est necesse.

M. Attamen invenimus : Ex malis eligere minima oportet, scilicet : *aliquem* ut supra significavimus. Eadem de causa *licet* cum Infinitivo activo conjungitur : licet hoc facere.
Estne hoc emendatum : Civi Romano licet esse Gaditanum ?

C. Cum Ciceronis sit istud, non dubito, quin sit emendatum. Multo tamen saepius *licet* et cum Dativo personae conjungitur et cum Dativo praedicati v. g. *Themistocli* licuit esse *otioso*. *Mihi negligenti* esse non licet.

Idem valet in verba *fieri* et *vivere* v. g. *Patricio* Romano *tribuno* plebis fieri non licebat. *Si Virginiae liberae vivere* licitum fuisset.

Cum is, cui licet, non memoratur, sequitur Accusativus v.g. Licet (licitum est) esse otiosum. Non licet medios esse.

M. Supra diximus *verum, aequum, rectum, utile est* conjungi cum Accusativo cum Infinitivo ; quomodo explicas, Faustine, *ut* cum Conjunctivo, quo auctores haud ita raro utuntur ?

F. Licet verba ista conjungere cum *ut*, cum *verum est, aequum, justum, utile, novum est*, etc. idem est quod : revera *fit*, jure *fit*, utile *fit*, recte *fit*, difficile *fit*, ut... i. e. cum factum vel praeceptum aliquod significandum est v. g.
Rectum est, ut eos qui beneficia in nos contulerint, diligamus.
Si verum est, ut Cajus fratrem occiderit, dignus est supplicio (= si revera factum est, ut occiderit).
Verum est, ut populus Romanus omnes gentes virtute superaverit (vere factum est, ut).
Non est verisimile, ut Chrysogonus litteras adamaverit (non factum est).

Expedit (utile est), ut singulae civitates suas leges habeant.
Mos est hominum, ut nolint eundem in pluribus rebus excellere (= fieri solet, ut).
Sententia autem generalis plerumque significatur Accusativo cum Infinitivo.

M. Quando Accusativus cum Infinitivo fit objectum sententiae?

F. Cum pendet ex verbo sentiendi vel declarandi.

M. Quae vocas verba sentiendi ?

F. Illa quae ad sensus, ad intelligentiam, ad memoriam pertinent v. g.
Videre, audire, sentire, cogitare, cognoscere, credere, colligere, concludere, censere, arbitrari, ducere, putare, existimare, animadvertere, discere, scire, ignorare, judicare, suspicari, accipere, comperire, intelligere, sperare, nescire ; opinio est, spes est, meminisse, recordari, oblivisci, etc.
v. g. *Sentimus* calere ignem, nivem esse albam, dulce mel. Tactu *cognoscimus* glaciem esse gelidam. Ex amico *cogita* posse fieri inimicum. Noli *putare* me mori maluisse. Phamaeum mortuum esse *audivi*. Ex vultu Ephori insidias sibi fieri *intellexit*. *Animadverti* et *didici* ex litteris tuis te in omnibus rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres. Ex Cicerone *accepi* te Brundusio esse profectum. Deinde *concludebas* summum malum esse dolorem.

M. *Esse* saepius omittitur in exemplis ut : Hoc faciendum putabant.
Enumera aliquot verba declarandi.

F. Dicere, affirmare, negare, narrare, nuntiare, docere, respondere, fateri, declarare, demonstrare, ostendere, significare, indicare, minari, promittere, polliceri, scribere, certiorem facere, memoriae tradere vel prodere, fama est, rumor serpit, nuntius affertur, etc.

v. g. Epicurus *confirmabat* deos humanis membris esse praeditos.
Orpheum poëtam *docet* Aristoteles nunquam fuisse. Siderum aspectus satis *indicat* non esse ea fortuita. Thales Milesius aquam *dixit* esse initium rerum. *Docui* per litteras id non opus esse nec fieri posse.
Omnes *significabant* se esse admodum delectatos.

M. At haud ita raro inveni verba declarandi conjuncta cum *ut* vel *ne*.

F. Sane quidem, cum verbum declarandi significat, quid aliquis facere vel quid fieri debeat, quo verbum declarandi fit verbum jubendi vel hortandi v. g.
Caesar Dolabellae *dixit, ut* ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem. Atheniensibus Pythia respondit, *ut* ligneis moenibus se munirent.
Idem valet in verba sentiendi, ut censere, etc. v. g.
Senatus *censuit, ut...* Plerique *censebant, ut* noctu iter facerent (= sententiam ferre).

M. Quid interest, Libori, inter : Audivi te canere ; et : Audivi te canentem ?

L. Illud, ut jam alias demonstravimus, idem est quod : Audivi ab aliquo (aliquis mihi dixit) te canere ; hoc idem quod : Meis auribus te audivi canentem.
Eodem modo dicimus : cerno, aspicio, conspicio, animadverto pueros ludentes, puellam saltantem, solem occidentem, etc.
Sed passive : Video, vidi hominem virgis *caedi*.

M. Quid interest inter : Memini Pamphilum narrare ; et : Memini Pamphilum narrasse ?

L. Illud significat : Ipse audivi Pamphilum narrantem ; hoc : Ipse testis non fui narrationis ; aut rem omnino praeteritam intelligi volo.
Idem valet in : *memoria teneo*.
Memini Catonem mecum et cum Scipione *disserere*.

Meministis tum, judices, corporibus civium Tiberim *compleri*. Memoria teneo Q. Scaëvolam bello Marsico quotidie *facere* omnibus conveniendi sui potestatem. Meministis me ita *distribuisse* initio causam. Meministis eum in senatum *venisse*.

M. Estne hoc emendatum : Spero te proxime venire ?

L. Nihil minus ; namque verba *sperare, promittere, polliceri, minari, jurare* actionem non praesentem, sed futuram spectant.
Ergo : Spero te proxime esse venturum.
Promitto tibi me omnia diligenter curaturum. Pollicetur Piso sese ad Caesarem esse iturum. Minatur se abiturum esse. Iuravit Labienus se nisi victorem in castra non reversurum esse.

Eadem verba pro Infinitivo Futuri conjungi possunt cum *fore, ut* cum Conjunctivo v. g. Spero fore, ut salvus in patriam redeas.

M. At inveni : Spero amicitiam nostram tertium non *egere*.
Spero me laudem probitatis *consecutum esse*. Spero te *valere*.

L. Nihil obstat, quin utamur Praesenti aut Perfecto, cum de re praesenti aut praeterita agitur.

Idem valet cum Infinitivus pendet ex verbo *posse* v. g. Spero me venire posse. Totius Galliae se potiri posse sperant.

M. Quae alia verba substituunt Accusativum cum Infinitivo in locum objecti, Probe ?

P. Verba voluntatis : *volo, nolo, malo, cupio, studeo*, dummodo bina subjecta sint in sententia v. g. *(Ego)* cupio *te* venire *(je veux que tu viennes)* : *ego* unum est subjectum, alterum *tu*.

Cum contra sententia unum continet subjectum, sequitur solus Infinitivus.

Malo mori. Nolo omnia scribere. Cupio redire in patriam.

Si vero verbum sententiae conjunctae est passivum aut verbum *esse* vel *videri* cum aliquo attributo, Accusativus cum Infinitivo locum sibi vindicat v. g. Nolo haec omnia scribi. Volo hoc *fieri*.
Volo hoc factum esse (vel sine *esse* : hoc factum). Volo *me eruditum fieri. Principem se esse* maluit quam videri. Cupio *me esse clementem*.
Cupio in tantis reipublicae perculis *me non dissolutum videri*.
Me amari volo. *Hoc* velim *intelligi*. Corinthum patres vestri *exstinctam esse* voluerunt. Saluti civis *consultum esse* volumus.
His omnibus *me* vehementer *excusatum* volo. Illos commonitos volo. Te offensum nolebam. Patriam liberatam cupio.
Alexander Iovis filium non modo se dici, sed etiam haberi volebat.

M. Dic alia verba quibuscum Accusativus cum Infinitivo objecti loco conjungatur.

P. *Iubere* et *vetare* v. g. Iubeo aut veto te hoc facere. Iubeo autem aut veto *tibi* hoc facere, non est latinum.
Cum vero is, qui jubeatur aut vetetur, non est nominatus, sequitur Infinitivus passivus v. g. Caesar pontem interrumpi jubet.

M. At saepius in ejusmodi sententiis inveni Infinitivum activum.

P. Non nego, sed persona omissa facile auditur v. g. *homines, milites, aliquis*.
Lex recte facere jubet, vetat delinquere (scilicet homines). Castra munire jubet (scil. milites). Receptui canere jubet (scil. tibicines).
Hesiodus eadem mensura reddere jubet, qua acceperis,aut etiam majore.

M. Estne hoc emendatum : Iubetur nos vel nobis in hortum convenire ?

P. Esse haud facile concesserim. Verba enim *jubere* et *vetare* mutata in passiva conjunguntur cum Nominativo et Infinitivo.
Ergo : Iubemur convenire in hortum. Iubeor hoc facere. Exire vetamur. Civis ex urbe exire vetiti sunt. De hac re loqui vetiti sumus. Milites jubentur equos dimittere. Hostem aggredi jussi sunt. Legibus hoc facere vetamur. Iubemur a magistro domi manere.

M. Licetne dicere : Iubeo, *ut* hoc facias ?

P. *Iubeo ut* non invenitur nisi in plebiscitis, in legibus et edictis principum et magistratuum.

M. Quid judicas, Semproni, de verbis *sinere* et *pati* ?

S. Conjunguntur cum Accusativo cum Infinitivo, qui objecti locum teneat. Si vero in sententia conjuncta deest persona, quae sinatur, definita, sequitur Infinitivus passivus v.g.Non sinimus gentes transalpinas serere.Vinum ad se omnino importari non sinunt Huic ordini ignem novum subjici non sivisti. Sine me loqui. Me non sinit respirare. Augustus se dominum appellari non passus est. In urbe sepeliri non patiuntur.

Passive praecipue in Praesenti *sinere* conjungitur cum Nominativo cum Infinitivo v. g. Sinitur vinum fermentari. Non sinor librum tuum legere. Hic non est situs accusare eum.

M. Estne hoc latinum : Non sino me deterreri ; sibi persuaderi non sinebat ; se flectere non patiebatur ?

S. Cum *sinere* et *pati* significent : *permittere, concedere, veniam dare*, in istis exemplis locum habere non possunt, Latine dicendum est : Non deterreor vel : deterreri non possum. Sibi persuaderi non poterat. Flecti non poterat.

Item : exorari, commoveri, rapi, reprehendi, corrigi, adduci, falli non potest, poterat.

M. Verba *statuere, constituere, decernere (résoudre, s'arrêter à)* modo conjuncta sunt cum Infinitivo, modo cum conjunctionibus *ut* vel *ne*, modo cum Accusativo cum Infinitivo Gerundivi.
Estne loquenti liberum promiscue uno aliove modo uti?

S. Cum sententia unum solum continet subjectum, verba *statuere, constituere, decernere* recipiunt Infinitivum, raro *ut* vel *ne*; si sententia duo continet subjecta, sequitur *ut* vel *ne* vel Accusativus cum Infinitivo Gerundivi v. g. Caes r belli finem facere statuit.
Caesar constituit, ut Labienus in castris remaneret — vel : Labieno in castris esse remanendum.
Omnium consensu constituunt, ut omnes legiones in unum locum cogerentur — vel : in unum locum esse cogendas.
Statuitur, ne Creta sit provincia.

M. Quae verba vocantur verba affectuum, Tiberi ?

T. Illa, quae aliquem animi motum aut ejusdem significationem denotant v. g. gaudeo, delector, angor, doleo, laetor, indignor, miror, succenseo, poenitet, glorior, gratulor, quaeror, aegre, graviter, moleste fero, gratias ago.

M. Quam constructionem exigunt verba affectuum ?

T. Junguntur aut cum Accusativo cum Infinitivo, qui objecti locum teneat, aut cum *quod* conjunctione cum Indicativo.

M. Licetne indifferenter alterutro uti ?

T. Multis locis vix quidquam interest v. g. dicendo : « Gaudeo quod advenisti » significo *causam*, cur gaudeam ; dicendo : « Gaudeo te advenisse, » *rem* significo, qua gaudeam.
Si vero de re agitur simulata, ementita, non vera, semper sequitur Accusativus cum Infitivo v. g.
Questi sunt Romani Carthagines rupisse fidem pacis.

Quod praeterea conjungitur potius cum Praeterito ; Accusativus cum Infinitivo cum Praesenti v. g.

Gratissimum mihi est, quod ad me tua manu scripsisti.
Gratissimum mihi est te bene valere. Te hilari animo esse valde me juvat. *Quod* rex victis *pepercit*, omnibus gaudio fuit.

Cum affectus significatur verbis : laudo, reprehendo, consolor, misereor, gratulor, gratias ago, gratiam habeo plerumque sequitur *quod*, et nonnunquam *cum* cum Indicativo v. g. Te quidem *cum* isto es animo, laudare non possum.
Gratulor tibi *cum* tantum vales apud Dolabellam. Tibi gratias ago, *cum* tantum litterae meae potuerunt.

M. Converte, Aemiliane, in latinum : *Je vous félicite de votre victoire.*

A. Gratulor tibi *de tua* victoria. Gratulor tibi *tuam* victoriam.
Gratulor tibi *victum hostem*. Gratulor *victoriae tuae* (sine tibi).
Gratulor, *quod* victoriam reportasti. Gratulor tibi, *cum* victoriam reportasti.

M. Sempronius paulo ante demonstravit verba passiva *sinor, jubeor, vetor* conjungi cum Nominativo et Infinitivo ; scisne alia verba quae idem praeceptum sequantur ?

A. Dici, putari, judicari, existimari, nuntiari, narrari, videri ; traditur, traduntur ; fertur, feruntur v. g.
Homerus caecus fuisse *dicitur* (traditur, fertur).
Putatur in Graecia humanitas inventa esse. *Videris* (videtur, videmini, videntur) ignorare, quid acciderit. Mihi non *videtur* quisquam beatus esse posse. *Videmini* non satis, quid dicam, intelligere.
Omnibus *videmur* recte fecisse.
Dicor (diceris, dicitur) vir probus esse. *Videris, videntur* errasse.

M. Estne haec sententia emendata : traditur Homerum caecum fuisse ?

A. Est illa quidem non falsa, sed raro invenitur. In temporibus enim compositis : *Traditum est, proditum, creditum est, dicendum, existimandum est* plerumque conjungitur cum Accusativo cum Infinitivo.

Traditum est Homerum caecum fuisse. *Nunciatum est* adesse Scipionem cum legionibus. *Memoriae proditum est* Latonam profugisse Delum atque ibi Apollinem Dianamque peperisse.

Fides et tibias eorum causa factas esse *dicendum est*, qui illis uti possunt. Socratem doctum et sapientem virum fuisse *memoriae proditum est*. Philonem *existimandum est* disertum fuisse.

M. Quid significat : Senatui *visum est* bellum indicere ?

A. Placuit senatui, utile esse judicavit.

Nunc visum est mihi, ait Cicero, de senectute aliquid ad te conscribere.

Qui imitantur, quod cuique visum est.

Eandem significationem invenimus in *si videtur* v. g. Tibi, si videtur, villis illis utere. Eam quoque, si videtur, correctionem explicat.

M. Quid significat *mihi videor* cum Infinitivo ?

A. Puto de me, mihi fido, mihi persuadeo*(je me flatte)*.

Videor mihi perspicere ipsum animum. Recte atque ordine fecisse mihi videor, quod ab instituto meo non recesserim.

Videor mihi hanc urbem videre subito uno incendio concidentem.

Quid dicas mihi, exaudire videor.

Vel sine *mihi* : Videre jam videor populum a senatu disjunctum.

M. Quae alia verba passiva cum Nominativo et Infinitivo conjungi possunt ?

A. Scribor *(on écrit de moi)*, audior *(on entend de moi)*, invenior, reperior *(on trouve que je)*, intelligor, perspicior

(on reconnaît que je), arguor *(on m'accuse)* v. g. patrem occidisse ; *putor* etc.

M. Quomodo rem aggrederis, si in constructione Accusativi cum Infinitivo duo subjecta, quae unum idemque praedicatum habent, aliquo modo inter se sunt comparanda ?

A. Si verbum utrique subjecto est commune, utrumque subjectum collocatur in Accusativo.

M. Claudius istud exemplis confirmabit.

C. *Platonem* dicunt sensisse idem, quod *Pythagoram*.

Non dubito dicere *prudentiam* pluris esse faciendam, quam *fortitudinem*.

Exploratum est *solem* multo majorem esse, quam *lunam*.

Non ignoras *me* tibi aeque libenter gratum esse facturum ac *quemquam*.

Ex his intelligimus *prudentiam* non minus valere, quam *audaciam*.

Dicunt *Hortensium* non minus eloquentia, quam *Ciceronem* floruisse.

Audivi *filium* idem sentire, quod *patrem* ; non aliter sentire, quam patrem.

Gaudeo *te* tantum ab uxore ducenda abhorrere, quantum *me ipsum*.

Audio *te* similiter egisse atque *ceteros*. Iuvat audire *filiam* tuam iisdem virtutibus excellere, quibus *matrem*. Historia testatur ut *priscos Romanos* ita *plerosque populos* antiquos a cultu atque humanitate longissime abfuisse.

Scio *nos* dignitatis vocabulo alio prorsus sensu, quam *Ciceronem* usos esse. Affirmas *me* de metro judicare ut *puerum scholasticum*.

Iudicium feci *paucos* aeque eleganter scripsisse atque *te*, eruditius certe *neminem*. Minime miramur *te* tuis, ut *egregium artificem*, praeclaris operibus laetari. Suspicor iisdem

rebus *te*, quibus *me ipsum*, gravius commoveri. *Eam* scimus sectari cervos veluti *alteram Dianam*.

M. Ex his exemplis intelligi potest hoc praeceptum non solum cum de Comparativo, sed etiam cum de adjectivis vel adverbiis aequalitatis et similitudinis agitur, valere.

Quid de hac sententia existimas, Pie : Putant omnes bellum brevi *confectum iri* ?

P. Est illa quidem emendata, sed Romani pro ista forma Infinitivi Futuri passivi plerumque circuitione *fore, ut* utebantur

Ergo : Putant omnes *fore, ut* bellum brevi *conficiatur*.

Eadem circuitio, ut alias vidimus, necessaria est, cum verbum Supino caret v. g. Verisimile est *fore, ut* illa arbor hoc anno non *floreat*.

M. Quomodo hunc Accusativum cum Infinitivo explicas :

Te nunc, mea Terentia, sic *vexari*, sic *jacere* in lacrimis et sordibus !

P. Accusativus cum Infinitivo, qui in exclamationibus et interrogationibus indignabundis invenitur, pendet ex : « *Estne credibile* », quod cogitando expletur v. g.

Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam !

Saepius additur *ne* particula v.g. Me*ne* incepto desistere victam ?

Adeo*ne* esse hominem infelicem quemquam quam ego sum ?

O praeclarum imperatorem ! tantum*ne* vidisse (eum) in metu periculoque provinciae.

M. Nonnunquam inveni verba sentiendi et declarandi conjuncta cum *quod* Conjunctione v. g. Scio, *quod* me quaerunt.

Legati renuntiarunt, *quod* Pompejum in potestate haberent.

Illud quoque nosse oportet, quod .. etc.— Estne hoc latinum ?

P. Ejusmodi constructio, quae vix invenitur nisi in latinitate vetustissima, repugnat rectae loquendi consuetudini.

M. Quid, ut hujus rei finem faciamus, de hac sententia existimas : Cum quidam *illi* pollicitus esset se artem *ei* memoriae traditurum, etc. ?

P. Cum revera hic de una, non de duabus agatur sententiis, consuetudine sermonis latini repugnat bis uti pronomine demonstrativo.

Latinum est igitur : Cum quidam illi artem memoriae se traditurum pollicitus esset, etc.

De oratione obliqua.

M. Quid differt oratio recta ab oratione obliqua, Severine ?

S. Oratione recta sermo alicujus iisdem ipsis, quibus ille usus est verbis, oratione obliqua non iisdem verbis, sed in eandem sententiam narratur. Oratio enim obliqua quasi sententia conjuncta ex verbo sentiendi vel declarandi aliquo pendet.

Oratio recta est v. g. Pater meus Hamilcar a me quaesivit : *Visne mecum in castra proficisci ?*

Oratio obliqua est : A me quaesivit, *si vellem secum in castra proficisci*.

M. Quae praecepta servanda sunt in mutanda oratione recta in obliquam ?

S. 1) Quaecumque sententia absoluta enuntiat, narrat, contendit, censet, judicat aliquid,

exigit in oratione recta Indicativum,

in oratione obliqua Accusativum cum Infinitivo.

Item illae sententiae relativae, in quibus *qui* idem est quod

et is, *nam is* in oratione obliqua saepius in Accusativo cum Infinitivo inveniuntur v. g.

Themistocles ad Ephoros Lacedaemoniorum accessit atque apud eos contendit: *falsa his esse delata ;* quare *aequum esse* illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent.

Legationi Caesaris Ariovistus respondit : *se non sine exercitu* in eas partes Galliae *venire audere,* quas Caesar possideret ; *sibi autem mirum videri,* quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari aut omnino populo Romano negotii esset.

Themistocles apud Lacedaemonios liberrime professus est, urbem Atheniensium ut propugnaculum oppositam esse barbaris, *apud quam jam bis classes regias fecisse naufragium.*

2) Quaecunque sententia absoluta continet hortationem, postulationem, jussum, consilium, optationem, exigit

in oratione recta Imperativum vel Conjunctivum hortativum ;

in oratione obliqua Conjunctivum.

Ejusmodi sententiae affirmativae plerumque inveniuntur in Imperfecto Conjunctivi, sine *ut* (licet tamen, si plures sunt, primae praeponere *ut*), negativae recipiunt *ne* et deinceps *neve* v. g.

Consules scripta ad Caesarem mandata remittunt, quorum haec erat summa: Caesar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, exercitum dimitteret ; quae si fecisset, Pompejum in Hispanias iturum.

Divitiacus Caesarem obsecrare coepit, ne quid gravius in fratrem statueret. Ubii, qui ad Caesarem legatos miserant, magnopere orabant, ut sibi auxilium ferret, quod graviter a Suevis premerentur.

Haec Ciceronis verba fuerunt, ut Catilina ex urbe egrederetur, liberaret rempublicam metu, in exilium proficisceretur.

Divico ita cum Caesare agit : ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi Romani et internecione exercitus nomen caperet.

3) Quaecunque sententia absoluta continet interrogationem aliquam, exigit

in oratione recta Indicativum aut Conjunctivum ;

in oratione obliqua, cum de interrogatione agitur vera, Conjunctivum ; Accusativum autem cum Infinitivo, cum interrogatio est rhetorica.

Persona interrogationis rectae secunda in oratione obliqua, si interrogatio vera est, mutatur in tertiam, Praesens in Imperfectum et Perfectum in Plusquamperfectum Conjunctivi v. g.

Caesar cum animadvertisset trepidare suos, graviter eos incusavit : quid tantum vererentur, aut cur de sua virtute aut de ipsius diligentia desperarent.

Caesar centuriones vehementer incusavit. Ariovistum, se consule, cupidissime populi Romani amicitiam appetisse; cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum judicarent ?

Tribuni militum nihil temere agendum existimabant ; quid esse levius aut turpius, quam auctore hoste de summis rebus consilium capere ?

An quidquam esse superbius quam ludificari sic omne nomen Latinum ?

Cui non apparere adfectare eum imperium in Latinos ?

4) Omnis sententia conjuncta exigit

in oratione recta Indicativum aut Conjunctivum ;

in oratione obliqua Conjunctivum.

Sententia conjuncta, quae cogitationem illius continet, de quo refertur, requirit Conjunctivum, sententia conjuncta autem, explicandi causa ab illo addita, qui refert, Indicativum.

Solon, cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse.

Athenienses et amissum Siciliae et Lacedaemoniorum victorias suae culpae tribuebant, quod Alcibiadem e civitate expulissent.

Plato escam malorum appellat voluptatem, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces.

Cum contemplor animo, quatuor reperio causas, cur senectus misera videatur: unum, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte.

Bene majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt.

Caesar per exploratores certior factus est, ex ea parte vici, quam Gallis *concesserat*, omnes noctu discessisse montesque, qui impenderent, a maxima multitudine teneri.

Themistocles Xerxem certiorem fecit: id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto *fecerat*, dissolveretur.

Divico ita cum Caesare agit: *Si pacem populus Romanus cum Helvetiis facer.t*, in eam partem ituros esse atque ibi futuros Helvetios, *ubi eos Caesar constituisset* atque esse *voluisset*. Sin bello persequi *perseveraret*, reminisceretur et veteris incommodi populi Romani et pristinae virtutis Helvetiorum.

Critias ceterique tyranni Atheniensium Lysandrum certiorem fecerunt, nisi Alcibiadem *sustulisset*, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis *constituisset*. Quare si suas res manere *vellet*, illum persequeretur.

5) Pronomina orationis rectae, quae se referunt ad subjectum sententiae solutae, in oratione obliqua commutantur in pronomen reflexivum *sui, sibi, se* et in pronomen possessivum *suus*.

Pronomen *ipse* orationis rectae, in oratione quoque obliqua retinetur.

Praeterea in locum pronominis personalis substitui potest. Ariovistus ad postulata Caesaris respondit: *Quid* sibi vellet? Cur in suas provincias veniret? Provinciam suam hanc esse Galliam, sicut illam nostram. Ut ipsi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, quod in suo jure se interpellaremus.

6) Persona secunda (tu, vos) orationis rectae in oratione obliqua fit *ille*, si pronomen acuendum est; si minus, *is* v. g.

Ariovistus respondit: Si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille se velit, illum ad se venire oportere.

7) Si verbum, unde exorditur oratio obliqua, est in praeterito, sententia conjuncta plerumque invenitur in Imperfecto vel Plusquamperfecto Conjunctivi, neque tamen desunt exempla, in quibus, quasi oratio obliqua pendeat ex Praesenti historico, Praesens et Perfectum Conjunctivi in usu sint.

v. g. Ariovistus Caesari respondit: Omnes Galliae civitates ad se expugnandum venisse; eas omnes copias a se uno proelio fusas ac superatas esse; si iterum experiri *velint*, iterum paratum sese decertare; si pace uti *velint*, iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus *dependerint*.

Quid sibi *vellet*? Caesar nisi *decedat* atque exercitum *deducat* ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum.

3. De Participio.

M. Quid significat Participium, Adriane?

A. Participium notionem actionis vel status, quae verbo

significantur, adjectivi forma exprimit, sed ita tamen, ut casum verbi sui retineat (v. g. animal *ratione* utens) et simul qualis sit actio, permanens, praeterita an futura, designet.

M. Quot igitur Participii sunt tempora ?

A. Cum verbi tempora sint tria, Praesens, Futurum, Praeteritum, Participii quoque sunt tria, quae tamen nisi in verbo deponenti pleno numero non inveniuntur.

M. Quae sunt tria Participia verbi deponentis ?

A. Participium Praesentis v. g. *hortans*, intuens, moriens, experiens, quod significat : is qui hortatur, is qui intuetur, etc.

Participium Futuri : *hortaturus*, intuiturus, moriturus, experturus = is qui se parat ad hortandum, etc.

Participium Perfecti : *hortatus*, intuitus, mortuus, expertus = is qui hortatus est, qui intuitus est, etc.

Verbum deponens praeterea Participio utitur Futuri passivi : *hortandus* etc, quod actionem verbi necessariam esse significat v. g. Pueri hortandi, virtus imitanda = pueri quos hortari, virtus quam imitari debemus.

M. *Pueri hortandi* nonne praeterea significare potest ; pueri, quos hortabimur ?

A. Hoc Participium id solum significat, quod aliquo tempore futuro faciendum erit ; nunquam vero locum tenet simplicis Futuri v. g. Classis aedificanda magno constabit.

M. Dixisti verbum deponens solum pleno numero temporum uti ; quid de ceteris verbis ?

A. In ceteris verbis non inveniuntur nisi bina Participia activa et bina passiva.

M. Quae sunt illa bina, Caesari ?

C. Verbum activum Participio Perfecti caret, sed utitur Participio Praesentis et Futuri v. g. *laudans*, ridens, scribens, audiens.

Laudaturus, risurus, scripturus, auditurus.

Verbum passivum Participio Praesentis caret, sed utitur Participio Perfecti et Futuri v. g. *laudatus*, monitus, scriptus, auditus.

Laudandus, monendus, scribendus, audiendus.

M. Quomodo Participium Perfecti, quo verbum activum caret, expleri potest ?

C. Compluribus modis suppleri potest :

1) Mutando verbo activo in passivum v. g. pro : Puer, quem magister non laudaverat, flevit — dici potest : Puer a magistro *non laudatus* flevit.

2) Sententia relativa vel conjuncta v. g. Viator, cui animus nihil mali praesagiit, domum intravit. Postquam Romam pervenit, febri correptus est.

3) Verbum activum verbo deponenti commutari potest, dummodo idem declaret v. g.

Pro : Postquam magnas divitias sibi comparavit, rediit in patriam, dici potest : Magnas divitias *adeptus* (assecutus, consecutus) in patriam rediit.

Pro : Postquam extremam saevitiam in famulos adhibuit, ex eis reperit...

Extrema in famulos *usus* saevitia, ex eis reperit...

Pro : Postquam urbem occupavit, omnes cives interfici jussit.

Urbe *potitus* omnes cives interfici jussit.

M. Quomodo Participium Praesentis, quo verbum passivum caret, suppleri potest ?

C. Participio Futuri passivi v.g. Viro probo *contemnendo* dignitas virtutis non minuitur (= Vir probus cum contemnitur).

M. Adrianus dixit Participium tria amplecti tempora. Quod intelligis tempus, Donate ?

D. In quod tempus incidat actio, non ipso significatur Participio, sed verbo sententiae finito. Participium Prae-

sentis autem continens omnia tempora, quae continuationem actionis indicant (Praesens, Imperfectum, Futurum) cum omnibus temporibus verbi finiti conjungi potest v. g.
Legens Platonem delector (delectabar, delectabor, delectatus sum, delectatus ero).

Participium Perfecti significat statum aliquem (v. g. scriptus) qui prior actione verbi finiti cogitatur, neque tamen indicat, quo spatio temporis sit prior. Quam ob rem cum omnibus temporibus conjungi potest v.g. *Interrogatus* silet, silebat, silebit, siluit, etc.

M. Quae Participia verbi deponentis active et passive accipi possunt?

D. Haec Participia Perfecti : *Comitatus* (bene, parum, ab aliquo) ; *confessus* (res, aes) ; *contestatus* (testibus affirmata res, virtus) ; *meditatus* (scelus, verbum, oratio, mors praemeditata) ; *dimensus* (ligna dimensa ad altitudinem fluminis) ; *ementitus* (historia, fabula, narratio) ; *expertus* (virtus) ; *partitus* (exercitus, copiae, tempora) ; *complexus* (v. g. hoc uno maleficio scelera omnia complexa videntur) ; *perfunctus* (periculo) ; *populatus, depopulatus* (agri, regio) ; *exsecratus* (civitas) ; *inexpertus* (legiones bello inexpertae) ; *interpretatus* (sententia) ; *emensus* (pars itineris emensa).

Neque tamen unquam auctores ejusmodi Participio utuntur ad formanda tempora verbi passivi aut ablativum absolutum.

M. Quae sunt Participia Perfecti passivi, Feliciane, quibus subjecta sit notio activa ?

F. Pransus, coenatus, potus, juratus. — *Pransus* significat : is qui prandit ; *coenatus* : is qui coenavit ; *potus* : is qui potavit ; *juratus :* is qui juravit v. g. *Coenatus* in lectum se recepit.
Potus obdormivit. Testes *jurati* rem affirmant. *Pransus* domum reliquit.

In horum numero praeterea sunt : ausus, gavisus, fisus, confisus, exosus, perosus, pertaesus, ratus, veritus, quae tamen plerumque vicem Participii Praesentis, quod vix in usu est, praestant v. g. Mendacium dicere *veritus* tacuit. Consul optimum factu *ratus* noctem antecapere. Ignaviam suam *pertaesus* hostibus obviam ivit. Sibi *confisus* saltum conatus est. Domi manere *solitus*. Non *ausus* flumini se committere, etc.

M. Quid interest inter *cognovi* et *cognitum habeo* ?

F. Cognovi significat solam actionem praeteritam ; *cognitum habeo* contra cognitionem acquisitam atque permanentem, qua dictione Latini plerumque utuntur, cum de verbis cognoscendi et statuendi agitur v. g. cognitum, spectatum, perspectum, perceptum, comprehensum, exploratum, statutum, constitutum, deliberatum, persuasum habeo.

Eodem modo verba *tenere, possidere,* quibus possessio rei permanens significetur, cum Participio Perfecti passivi conjungi possunt.

M. Affer jam aliquot exempla.

F. Illum hostem non satis *habes cognitum.* Illud *exploratum habeto* nihil fieri potuisse sine causa. Siculi ad meam fidem, *quam habent perspectam,* jam et diu *cognitam* confugiunt.
Atticus philosophorum ita praecepta *habuit percepta,* ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur. Noli scribere vel disputare de re, *quam perceptam* aut *cognitam non habes.*
Persuasum habeo (persuasissimum habeo) nihil hominem beatum reddere posse, nisi virtutem. *Statutum habeo* cum animo et *deliberatum* transitum conari. *Habeo absolutum* suave opus ad Caesarem. Verres deorum templis bellum semper *habuit indictum.*

Quod si feceris, me maximo beneficio *devinctum habebis*. Roscii patrimonium domestici praedones vi *ereptum possident*.

M. Quae Participia vicem praestant adjectivi attributivi ?

F. Participium Praesentis et Participium Perfecti v. g. Temeritas est *florentis* aëtatis, prudentia *senescentis*. Venia est poenae *meritae* remissio. Gloria est *consentiens* laus bonorum. Omnia, quae fiunt, causis fiunt *antegressis*.

A. De Participio conjuncto.

M. Quod vocas Participium conjunctum, Tiberi ?

T. Illud vocatur conjunctum, quod in locum sententiae conjunctae substituitur, cujus subjectum invenitur aut in subjecto aut in casu obliquo sententiae absolutae v. g. Pro : Legibus parere oportet, quae imperent justa, prohibeant contraria, — Latini plerumque dicunt : Legibus parere oportet *imperantibus* justa, *prohibentibus* contraria.

M. Quodnam genus sententiarum Participio conjuncto locum cedere solet ?

T. 1) Sententia relativa v. g. Nemo sana mente *utens* hoc negabit.
Pisistratus primus Homeri libros *confusos* antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Timotheus a patre *acceptam* gloriam multis auxit virtutibus. Sunt divitiae perpetuo *mansurae*.

M. Licetne sine discrimine uti Participio pro sententia relativa ?

T. Optimi latinitatis auctores relativum Participio potius habent, cum nomen antegrediens distinguendum vel describendum est v. g. Germani, *qui* trans Rhenum incolunt ;
deinde, cum relativum se refert ad alicujus rei partem vel

numerum v. g. Duae legiones, *quae* proxime conscriptae erant, claudebant agmen ;

tum, cum relativum illud indicat, quod subjecto perpetuo inhaeret v. g. Flumen est Arar, *quod* in Rhodanum influit ; denique in sententiis generalibus, quae ab *is, qui* incipiunt v. g.
Is, *qui* vitium laudat, desiit esse homo. Hoc iis relinquo, *qui* patriam non habent.

M. Pergat explicare Participium conjunctum Gaudentius.

G. Participium conjunctum plerumque in locum substituitur

2) Sententiae conjunctionalis, quae pendet ex conjunctionibus temporalibus (cum, postquam, dum) aut ex illis, quae causam, conditionem, concessionem significant (cum, quod, quia, si, etsi, quamquam, etc.) v. g. Rex longe *persecutus* hostes in castra sua rediit (pro *postquam* vel *cum*).
Tarquinius Superbus Ardeam *oppugnans* imperium perdidit (pro, *cum*, vel *dum*).
Hipparchus, Pisistrati filius, in pugna Marathonia cecidit, arma contra patriam *ferens* (= cum). *Aranti* Quinctio Cincinnato nuntiatum est eum dictatorem esse factum (= dum). Dionysius tyrannus Syracusis *expulsus* Corinthi pueros docuit (= postquam). Caesar Alexandria *potitus*, regnum Cleopatrae dedit.

Pleraque ante oculos *posita* transimus (= quamquam posita sunt).
Risus interdum ita repente erumpit, ut eum *cupientes* tenere nequeamus (= etsi).
Ut oculus, sic animus se non *videns* alia cernit (= etsi).
Mendaci homini ne verum quidem *dicenti* credere solemus (= etiamsi).
Philotas non erubescebat, Macedo *natus*, homines linguae suae per interpretem audire. Dionysius tyrannus, cultros

metuens tonsoris, candente carbone sibi adurebat capillum (= quia).

M. Quid significat Participium conjunctum exiens in *urus*?

G. Voluntatem vel propositum aliquid faciendi v. g. Ciconiae *abiturae* congregantur in locum certum. Magna pars hominum est, quae *navigatura* de tempestate non cogitat. Alexander ad Iovem Hammonem pergit *consulturus* de origine sua (= ut).
Darius pervenerat ad Arbela vicum nobilem sua clade *facturus (= qui devait).*
Pisandrus ingentem classem instruxit fortunam belli *tentaturus.*

M. Licetne Participio conjunctiones concessivas *etsi, quamquam, quamvis* praeponere v. g. Quamvis recusantem secuti sunt ; etsi victus ?

G. Hoc quidem genus non invenitur apud auctores latinitatis optimae, sed saepius apud Suetonium, Tacitum aliosque aetate posteriores.
Item *quasi, tamquam.*

M. Estne haec sententia emendata : Caesari tradiderunt claves indicaturi se suaque omnia potestati victoris permittere ?

G. *Indicaturi* falsum est, quia actio non spectat futurum, sed eodem tempore fit, quo actio tradendi = tradiderunt, ut indicarent ; tradendo indicant.
Eadem de causa falsum est dicere : Explicabo vobis Virgilium commentarios optimos *secuturus ;* quia *sequi* eodem fit tempore atque *explicare.*

M. At haec sententia emendata esse videtur : Oppidum cepit et delevit.

G. Neque ista est emendata et latina, cum Romani de binis actionibus conjunctis cum *et* vel *sed* minorem plerumque mutent in Participium conjunctum. Ergo : Oppidum *captum* delevit.

Eodem modo : Veniunt legati *petentes,* ut captivi redderentur (pro : et petunt).
Bona *publicata* inter se diviserunt (pro : publicarunt et diviserunt).
Caesar Pompejum celeriter *aggressus* ex vallo deturbavit (pro aggressus est et deturbavit).
Miltiades capitis *absolutus* pecunia multatus est (pro : sed multatus est).
Divitiacus ad senatum *profectus* infecta re redierat.
Caesar hostes in fugam *conjectos* persecutus est.
Duobus ducibus *usus* in summum montem pervenit.
Veteres Peripatetici Academicique re *consentientes* vocabulis differebant.

M. Qualis haec sententia tibi videtur, Honori :
Scipio propter domitam Africam Africanus appellatus est ?

H. Est plane latina. Cum enim lingua latina ad significandas res quasdam idoneis nonnunquam careat substantivis verbalibus, auctores pro ejusmodi substantivis conjunctis cum Genitivo objectivo in casibus obliquis (etiam cum praepositionibus *ad, ante, ob, post, propter, ab, de, ex, in)* uti consueverunt Participio Perfecti passivi, cum actio est praeterita, Participio autem Futuri passivi, cum actio nondum praeterita aut animo tantum concepta est.

M. Affer aliquot substantiva verbalia.

H. Amissio, interfectio, instructio, aedificatio, scriptio, toleratio, auditio, destructio, receptio. administratio.

M. Profer jam exempla, in quibus Participium locum substantivi verbalis teneat.

H. Thebae et ante Epaminondam *natum* et post ejus interitum perpetuo alieno paruerunt imperio. Poena *violatae religionis* justam recusationem non habet (pro : violationis religionis).

Non caruerunt suspicione *oppressi Ciceronis* Caesar et Pompejus.

Patres pudor non *lati auxilii* cepit. Regnatum Romae a *condita urbe ad liberatam* annos ducentos quadraginta quatuor.

Tertio anno post *reges exactos* Tarquinius Tusculum se contulit.

Caesar queritur de *Milone* per vim *expulso*. Major *ex civibus amissis* dolor, quam laetitia *fusis hostibus* fuit.

M. Dixisti haec Participia ad solos pertinere casus obliquos ; atqui plus semel Nominativum quoque inveni v. g.

Hae *litterae recitatae* magnum luctum fecerunt. *Occisus Caesar* aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur.

Hannibal *receptus* Prusiam suspectum Romanis fecit.

Lentulo gloriae fuit bene *tolerata* paupertas.

Angebant Hannibalem Sicilia Sardiniaque *amissae*.

H. Ciceroniana latinitas non habet nisi casus obliquos, Livius autem, Tacitus ceterique auctores aetate posteriores Nominativum non excludunt, quod imitari licet.

M. Affer, Juliane, aliquot exempla Participii Futuri passivi, quod locum substantivi verbalis teneat.

J. Ab *oppugnanda Neapoli* Hannibalem absterruere *conspecta* moenia. Regulus captus a Poenis de *captivis commutandis* Romam missus est. Multa dicta sunt ab antiquis de *contemnendis* ac *despiciendis rebus humanis*. Multi in *equis parandis* adhibent curam, qui in *amicis eligendis* negligentes sunt.

M. Cur Nominativus hujus Participii vicem substantivi verbalis praestare non potest ?

J. Quia Nominativus praecipue necessitatem passivam significat ; aliud enim est epistola scribenda, aliud scriptio epistolae.

M. Nonne Participium quoque Praesentis locum substantivi verbalis tenere potest ?

J. Haud dubie potest v. g. Sol *oriens* et *occidens* diem noctemque conficit. Themistocles *absens* proditionis damnatus est. Omne malum *nascens* facile opprimitur. Ultro Ariovisto pollicetur, quod antea *petenti* denegavit. Alcibiades penitus in Thraciam se abdidit *sperans* ibi facillime suam fortunam occuli posse.

M. Quid de hac sententia existimas : Catonem vidi in bibliotheca sedere ?

J. Ut jam semel et iterum alias vidimus, falsa est ; verba enim videre, audire, conspicere, invenire, facere, fingere, inducere pro Infinitivo conjunguntur cum Participio Praesentis. Ergo : vidi Catonem sedentem.

Nemo unquam eum *querentem* audivit. Eodem semper vultu *exeuntem* domo et *revertentem* vidi. Cottam cum Vellejo senatore *disputantem* offendi (inveni). Xenophon facit Socratem *dicentem*.

Sed passive : Audio te *laudari*. Vidi hominem *caedi*. Plato facit mundum a Deo *construi* atque *aedificari*.

M. Quomodo in Gallicum convertimus Participium conjunctum, cui antecedit negatio ?

J. Gallice dicimus *sans que* v. g.

Romani Graecis *non rogati* auxilium tulerunt. Nihil potest evenire *nisi causa antecedente*. Epicurus *non erubescens* voluptates persequitur omnes nominatim. Quod verum est, dicam, *non reverens* assentandi suspicionem. Ei *non petenti* dedit. Nihil feci *non* diu *consideratum*. Multa *non exspectata* venerunt.

B. De ablativo absoluto.

M. Tiberius ante dixit Participium conjunctum tenere locum sententiae conjunctionalis, cujus subjectum inesset

in subjecto aut in alio aliquo nomine sententiae solutae; quid jam est Ablativus absolutus seu Ablativus consequentiae, Luciane ?

L. Ut Participium conjunctum, ita Ablativus absolutus ex sententia conjunctionali oritur, quae tamen Participio conjuncto dissimilis subjectum suum habet proprium. Hoc, conjunctione omissa cum Participio verbi in Ablativo locatur v. g.

Cum Tarquinius Superbus regnaret, Pythagoras in Italiam venit — fit :

Pythagoras *Tarquinio Superbo regnante* in Italiam venit.

M. Cur ejusmodi sententia potissimum ponitur in Ablativo ?

L. Quia ejusmodi sententiae plerumque respondent interrogationi : *quando.*

Ceterum quaelibet sententia conjunctionalis Ablativo absoluto significari potest.

M. Affer aliquot Ablativi absoluti exempla.

L. *Regibus exterminatis* libertas in republica constituta est. Graeci Thermopylas *advenientibus Persis* occupavere. *Dione* Syracusis *interfecto* Dionysius Syracusarum potitus est. Maximas virtutes jacere omnes necesse est *voluptate dominante.* Quaenam sollicitudo vexaret impios *sublato* suppliciorum *metu.* Artes innumerabiles repertae sunt *docente natura.* Hostes *objectis silvis* non sunt visi.

Philocles sentiebat se *Alcibiade recepto* nullius momenti apud exercitum futurum.

Nihil potest evenire nisi *causa antecedente. Reluctante natura* irritus labor est. *Te adjuvante* opus celeriter absolvero.

M. Potest Ablativus absolutus locum habere in hac sententia :

Hannibal, postquam Romanos devicit, Romam ipsam aggredi consilium cepit ?

L. Mihi quidem, quin possit, non est dubium, si sententia conjunctionalis, ut in hoc genere plerumque fit, mutatur in passivam :

Hannibal *Romanis devictis* Romam ipsam aggredi consilium cepit.

Antonius *repudiata sorore* Caesaris Octaviani Cleopatram duxit uxorem.

M. Licetne Ablativo absoluto conjunctiones v. g. *quamquam, etsi, tamen,* praeponere aut addere ?

L. Apud optimos latinitatis auctores ejusmodi conjunctiones raro inveniuntur, saepius contra apud auctores posteriores v. g.

Quies provinciae, *quamquam remoto consulari,* mansit.

Perditis rebus omnibus, *tamen* ipsa virtus se sustentare potest.

Caesar decumanos adire non cunctatus est, *quamquam* deterrentibus amicis.

M. Nunquam vero pronomen demonstrativum aut reflexivum cum Ablativo absoluto conjungi potest v. g. Hannibal, Romanis *ab eo* devictis, ipsam urbem aggredi constituit. Exercitu *suo* victo imperator in castra se recepit. His *ab eo* dictis abiit.

Cum verbum sententiae conjunctae est deponens, utimur Participio cunjuncto v. g. Postquam haec locutus est exercitum in aciem eduxit — fit : Haec *locutus* exercitum eduxit.

Quid de hoc Ablativo absoluto judicas, Rufine : Rex apum nisi *migraturo agmine* foras non procedit ?

R. Sermo purus et latinus non admittit Ablativum absolutum Participii Futuri, qui tamen, etsi raro, invenitur apud auctores latinitatis, quam vocant argenteam.

Neque licet uti Ablativo absoluto, cum verbo attributum aliquod additur. Pro : Cicerone *consule* creato : dicendum est: Cum Cicero creatus esset; pro: Antiocho *rege* mortuo:

Cum Antiochus rex mortuus esset; pro: Sociis *conjuratis* convenientibus: Cum socii conjurati convenirent; pro: Pompejo Strabone *de coelo tacto* mortuo: Cum Pompejus Strabo de coelo tactus mortuus esset.

M. Nonne in Ablativo absoluto et quaedam substantiva verbalia locum Participii tenere possunt?

R. Sane quidem v. g. dux, comes, testis, auctor, adjutor, adjutrix, judex, interpres, praeceptor, praeceptrix, magister, magistra v. g. *Duce natura* errari nullo modo potest (= ducente natura). Augustus in Orientem meavit *comite Livia.*

Quod *teste Deo* promiseris, id tenendum est. *Magis auctoribus* Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur. Sapientia enim est una, quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat: *qua praeceptrice* in tranquillitate vivi potest.

Praeterea ea nomina quae aut dignitatem aliquam aut gradum aetatis declarant v. g. Consul, praetor, imperator, rex, puer, senex, adolescens, juvenis.

Natus est Augustus *Cicerone et Antonio consulibus.*

Nobis pueris, illis jam senibus haec facta sunt. *Pueris nobis* illa oratio magno in honore erat. Bellum Gallicum *Iulio Caesare imperatore* gestum est.

Imo vero adjectivum, cum verbum *esse* Participio careat, locum Participii tenere potest v. g. *Sereno* quoque *coelo* aliquando tonat. *Sereno* (coelo) profectus sum, *tranquillo* (mari) navigavi, *nubilo* Athenas perveni. Respublica accepta clade majores animos habuit quam unquam *rebus secundis.*

Infirma valetudine frigus vix vitatur. Bella multa cum Romanis gessit *varia victoria. Parvis* adhuc *Romanis rebus,* magna tamen in re militari virtus erat. *Alto jam sole* tota civitas dormire videbatur. Romani *Hannibale vivo,* nunquam se sine insidiis futuros arbitrabantur.

Obvius fit Miloni Clodius expeditus, *nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus.*

M. Apud historicos saepius invenimus Participium Perfecti passivi solum in Ablativo Absoluto: *nuntiato, cognito, audito, comperto.*

Quomodo hanc rem explicas, Sabine?

S. Substantivi, quod deest, locum tenet sententia, quae sequitur Ablativum Participii. Cum v. g. dico: Hannibal *cognito* sibi insidias parari, fuga salutem quaesivit — verba *cognito insidias sibi parari* idem significant quod *cognitis insidiis sibi paratis.*

M. Profer aliquot verba, quae hunc Ablativum imprimis admittant.

S. Audito, cognito, comperto, explorato, nuntiato, desperato, credito, edicto, intellecto, pacto, permisso v. g. Alexander *audito* Darium appropinquare, cum exercitu ei obviam ire constituit. Consul *edicto,* ut quicumque ad vallum tenderet, pro hoste haberetur, fugientibus obstitit. Alexander *audito* Darium movisse Ecbatanis, fugientem insequi pergit strenue. Germanicus nondum *comperto* profectionem in Aegyptum incusari, Nilum subvehebatur, orsus oppido a Canobo.

M. Rarius loco Participii adjectivum invenimus in Ablativo v. g.

Multi adnatantes navibus, *incerto* prae tenebris, quid peterent aut vitarent, foede interierunt = cum incertum esset.

Ejusmodi Ablativo tamen non uti, certe praestat.

Nova latinitas, ut ad extremum hoc breviter perstringam, nonnunquam exempla Ablativi absoluti profert, ut haec: Ars dicendi *edente Claudio Cusmano.* Principia philosophiae *auctore Paulino Rufo.*

Cur, Sabine, Ablativus absolutus in his exemplis falsus est?

S. Quia verbis adjunctus est, quae sententiam non constituunt.

Illa exempla latina non sunt,nisi dico : Ars dicendi, quam edidit Claudius Cusmanus.
Principia philosophiae, quorum auctor est Paulinus Rufus.

M. Neque in his exemplis Ablativus absolutus locum habere potest :
Hunc locum Ciceronis *approbante Faustino* Valerius sic legendum censuit.
Me non probante Gramerus hoc verbum addidit. — Magna tamen *dicente Livio* ejus aerarii fuit inopia. *Ambitione seposita* cetera vitia Philippus magnis bonis aequavit.
Hoc dictum *Gellio docente* Catoni adscribitur.
Cur in his exemplis Ablativus absolutus falsus est ?

S. Quia in singulis exemplis rem aliquam declarat, quae ad alteram partem sententiae logice non pertinet. Latine dicendum est : quod Faustinus approbavit ; —quod ego non probo ; — ut Livius memorat ; — ut ambitionem praetermittam ; — ut Gellius docet.

4. De Gerundio.

M. Quid est Gerundium, Urbane ?

U. Est neutrum Participii Futuri passivi, quod significatione plerumque activa Infinitivo Praesentis activo quasi substantivo verbali casus obliquos suppeditat.
Gerundium, Infinitivo simile, cum illo casu conjungitur, quem verbum recipit, neque admittit adjectivum, sed solum adverbium.

M. Confirma exemplo, quomodo Infinitivus *legere* declinetur.

U. *Legere* utile est.

Ars *legendi* facile discitur.

Velim operam detis *legendo*.

Propensi sumus ad *legendum* (obdormivit *inter legendum*.) Diligenter *legendo* mentem excolimus.

M. Affer alia etiam Gerundii exempla.

U. Avari homines non solum *libidine augendi* cruciantur, sed etiam *amittendi metu*. Sapientia *ars* bene beateque *vivendi* putanda est.
Legendi semper occasio est, *audiendi* non semper. Dumnorix Aeduus *insuetus navigandi* mare timebat. Epaminondas *studiosus audiendi* erat. Tantum auri et argenti Romani in publicum contulerunt, ut triumviri *accipiendo non sufficerent*. Homo ad duas res, *ad intelligendum* et *ad agendum*, *natus* est. Hominis *mens discendo alitur* et *cogitando*. Caesar *dando, sublevando, ignoscendo* gloriam adeptus est.

5. De Gerundivo.

M. Quod vocas Gerundivum, Valentine ?

V. Gerundivum est Participium Futuri passivi, quod in locum Gerundii substituitur, cum verbum transitivum conjunctum est cum aliquo objecto v. g. ex ; Timotheus peritus fuit *civitatem regendi* — fit : Timotheus peritus fuit *civitatis regendae*.
Ex : Consul placando deos operam dat — fit : *placandis diis*.
Ex : Pythagoras Babyloniam profectus est ad perdiscendum siderum motus — fit : *ad perdiscendos motus*.
Ex : Tollendo superstitionem religio non tollitur — fit ; *Superstitione tollenda*.

M. Quando Gerundivo uti non licet ?

V. Cum Accusativus pronominis vel adjectivi neutrius cum verbo conjunctus est v. g. studium *aliquid* discendi, *verum* cognoscendi, *omnia* videndi.

Deinde praestat uti Gerundio pro duris illis Genitivi formis, quae exeunt in *orum, arum* v.g. occasio scribendarum epistolarum ; occasio legendorum bonorum librorum. Elegantius certe dicimus : occasio legendi *bonos libros*.

Utimur praeterea Gerundio cum plus ponderis volumus dare verbo, id quod plerumque fit, cum duae sententiae sibi sunt contrariae v. g. *Gubernando* rempublicam majori fuit detrimento, quam *tradendo* illam provinciam.

M. Quid de hac sententia existimas : Cupidus sum *te* videndi ?

V. Non desunt ejusmodi exempla, sed omnes fere auctores conjungere solent Pronomen personale (me, te, se, nos, vos) cum Gerundivo v. g. *Vestri adhortandi* causa loquor. Ambiorix hortatur Nervios, ne *sui* in perpetuum *liberandi* atque ulciscendi Romanos occasionem dimittant. Ex litteris tuis intellexi, te summa cupiditate affectum esse *videndi mei*.

Vestri salutandi et *confirmandi* causa adveni.

M. Quid interest, Albane, inter : Ars est difficilis rempublicam *regere ;* et : Ars rempublicam *regendi* difficilis est.

A. In hoc exemplo quaero : *Quae ars* est difficilis ? Et respondeo :

Ars regendi ; in illo autem : *Quid* est difficile ?

Et respondeo : *Regere*. Infinitivus est subjectum, ars praedicatum.

M. Quid interest inter *tempus est abeundi,* et *tempus est abire ?*

A. In illa sententia *tempus* est subjectum ; in hac *abire.*

M. At quando uteris Infinitivo, quando Gerundio ?

A. Infinitivo utor, cum de invitatione aut admonitione agitur v. g. *tempus est abire in forum* idem significat quod : *tempus monet, ut in forum abeamus.*

Sed : *Tempus est abeundi, non jocandi.*

Eadem est ratio verborum : Occasio est, jus est, consilium est, mihi mos, consuetudo est.

M. Explicationi tuae hoc addiderim. Ejusmodi verba conjuncta cum *esse :* tempus est, consilium est, mos est, saepius cum aliis verbis, quae Infinitivum recipiant, commutari possunt v. g. tempus est, cum *maturum est ;* consilium est, cum *volo ;* mihi mos est, cum *soleo.*

Quod ad *consilium capere, consilium inire* (= decernere, constituere) attinet, ea saepius cum Infinitivo conjuncta inveniuntur.

Conjunguntur autem cum Infinitivo, cum verbum praecedit objectum ; cum Gerundivo, cum verbum sequitur objectum v. g.

Consilium cepit iter in urbem *patefacere.* Consilium ceperunt ex oppido profugere. Vercingetorix consilium capit omnem equitatum a se dimittere.

Sed : *Necandi* aut *tradendi* ejus in potestatem *consilium cepit.*

Ut subito Galli belli renovandi consilium caperent.

Consilium capere ut raro invenitur.

Licetne dicere : *Idoneum tempus est* pugnare ?

A. Cum *tempus est* conjunctum est cum attributo aliquo, non admittit nisi Genitivum Gerundii : Idoneum tempus est pugnandi.

M. Estne hoc emendatum : Nomen (vox, verbum) *metuendi* caret Supino ?

A. Ita sane ; est hic Genitivus definitivus. Ut dicimus nomen *virtutis,* vox *belli,* etc. ita etiam verbum *metuendi, amandi, videndi.*

M. Quid significat *conservandae libertatis esse* in hac sententia :

Imperium regium Romae initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat ?

A. Ejusmodi Genitivus subjectivus conjunctus cum *esse* apud historicos significat : valere ad, usui esse, favere alicui rei v. g.

Minuendae concordiae, dissolvendae religionis esse etc.

M. Jam explica, Beate, quando praecipue opus sit Genitivo Gerundii vel Gerundivi.

B. Genitivo Gerundii vel Gerundivi quaedam substantiva explicantur vel complentur v. g. *Ars* gubernandi. *Consuetudo* mentiendi. *Consilium* pugnandi. *Desiderium* redeundi. *Facultas* loquendi. *Metus* amittendi. *Occasio* videndi. *Potestas* interveniendi. *Spes* recuperandi. *Studium* venandi. *Venia* transeundi. *Voluntas* manendi. *Ratio* imperandi. *Modus* vivendi. *Causa* arma capiendi. *Libido* divitias augendi. *Scientia* reipublicae administrandae. *Occasio* recuperandae libertatis. *Modus* operis perficiendi. *Cupido* agri colendi. Urbis visendae *causa* venimus. Ulciscendae injuriae *gratia*. *Praecepta* bene vivendi.

Eodem modo quaedam adjectiva recipiunt Genitivum v. g.

Avidus cognoscendi. *Cupidus* rei videndae. *Studiosus* discendi. *Peritus* civitatis regendae. *Conscius* sceleris perpetrandi. *Ignarus* equitandi.

M. Licetne dicere : Me pudet mentiendi ?

B. Non licet. Verba enim, quae exigunt Genitivum rei ut pudet, piget, taedet conjungi non possunt cum Genitivo Gerundii. Dicam igitur :

Me pudet mendacii, vel pudet me mentiri.

M. Quando Dativo Gerundii vel Gerundivi opus est, Damase ?

D. Dativum recipiunt quaedam adjectiva ut :

utilis, inutilis, aptus, idoneus, accommodatus, habilis, par, natus.

Sed multo majore in usu est *ad* cum Accusativo, vel *ut*, vel *qui*.

Lignum quercus *utile* est navibus aedificandis. Charta saepius *inutilis* est scribendo. Ille parum *idoneus* fuit moderando imperio.

Vis venti *apta* faciendo igni coorta est. Tempus *accomodatum* demetendis fructibus. Ager *natus* tegendis insidiis. *Par* (*impar)* erat suscipiendo negotio (nunquam *ad*).

Dativum Gerundii et Gerundivi praeterea recipiunt verba : studere, operam dare, praeesse, praeficere, sufficere, tempus impendere, consumere, intentum esse, adesse, esse (= par esse), interesse, diem dicere, locum capere, comitia habere (v. g. magistratibus creandis, legibus ferendis) v. g.

Revocandis regibus Brutus non studuit. Consul *placandis diis* operam dat. Centurio *operi perficiendo* praeerat. Paucos dies insumpserunt *reficiendae classi*. Ibi locum *oppido condendo* ceperunt. Civitas *solvendo* non erat (= par solvendo).

Oneri ferendo non erant. Quae *diutinae obsidioni* tolerandae erant, ex agris contulerunt.

M. *Studere* multo saepius conjungitur cum Infinitivo et *operam dare* cum *ut*. Perge.

D. Dativus praeterea adjungitur nominibus magistratuum ad designanda eorum munera v. g.

Tiberius Gracchus triumvir creatus *dividendis agris* a Scipione Nasica oppressus est. Decemviri *legibus scribendis* creantur. Triumvir *reipublicae constituendae, coloniae deducendae, agris assignandis* creatus.

M. Gerundivum denique id indicat quod fieri necesse est. Affer aliquot exempla.

D. Virtus laudanda est. Omnia humana tolerabilia ducenda sunt. Epistola scribenda est. Ceterum censeo Carthaginem esse delendam. Consilium tuum est contemnendum.

Cum sententia definito subjecto caret, Gerundivo neutro utimur, quod etiam verba intransitiva admittunt. Persona autem ad quam pertinet actio, collocatur in Dativo, nisi ambiguitas *a* praepositionem exigit cum Ablativo v. g.

Scribendum est *(il faut écrire)*, moriendum est, currendum est, audendum est. Diligenter quid quemque deceat judicandum est. Videndum est, quid quisque sentiat. Utendum

est exercitationibus modicis. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis. Auctoritati parendum est. Tacendum est. Eundum est.
Diligentia praecipue colenda est *nobis*. Tacendum est *discipulis*. *Nobis* moriendum est. Nihil est *homini* tam timendum, quam invidia. Ratio reddenda est *nobis*. Moderandum est *mihi* orationi meae.

Sed : Aguntur bona multorum civium, *quibus* est *a vobis* consulendum — quia ex gemino Dativo ambiguitas oriatur.

M. Inestne in Gerundivo alia etiam atque necessitatis notio ?

D. Nunquam, nisi Gerundivum conjunctum est cum *vix* particula aut cum aliqua negatione ; tum significat *posse* v. g. *Vix* erat credendum (= vix credi poterat).
Ejusmodi homo *vix* est ferendus. Voluptates corporis cum auctoritatis praemiis *non* sunt comparandae. *Vix* optandum nobis videatur.

M. Veniamus ad Accusativum, Floriane.

F. Accusativo Gerundii et Gerundivi plerumque praeponitur *ad*, raro *in* et *ob*. Scriptores aetate posteriores praeterea frequenter utuntur *inter* v. g. inter coenandum, inter ludendum ; sed emendatius dicitur *in* coenando, in ludendo, nunquam *inter* capiendum cibum, inter scribendam epistolam, etc.

M. Affer aliquot Accusativi exempla.

F. Oratores Attici nobis propositi sunt *ad imitandum*. Etiam crastinus dies aliquid *ad cogitandum* dabit. Non solum *ad discendum* propensi sumus, verum etiam *ad docendum*. Multitudo pecudum partim *ad vescendum*, partim *ad corpora vestienda* facta est.
Fides nulla necessitate *ad fallendum* cogitur. Homo habet multa instrumenta *ad adipiscendam sapientiam*. Flagitiosum est *ob rem judicandam* pecuniam accipere. *Ad connectendas*

amicitias tenacissimum vinculum est morum similitudo. Paratus sum *ad audiendum* (vel paratus sum audire). Mores puerorum se *inter ludendum* simplicius detegunt. Natura animum ornavit sensibus *ad res perspiciendas* idoneis.

M. Estne haec sententia emendata : Pueris quotidie denos versus Virgilii damus ediscere ?

F. Minime vero ; verba enim dandi et accipiendi ita cum Gerundivo conjunguntur, ut, si verbum est activum, Gerundivum omissa conjunctione *ad* cum objecto suo collocatur in Accusativo; si verbum est passivum, cum subjecto locatur in Nominativo. Ergo :
Pueris quotidie denos versus Virgilii *damus ediscendos* — et passive :
Pueris quotidie deni versus Virgilii *dantur ediscendi*.

M. Profer, Laurenti, aliquot verba dandi et accipiendi.

L. Dare, tradere, mandare, mittere, permittere, concedere, relinquere, proponere, locare, elocare, conducere, accipere, sumere, suscipere, curare v. g.
Antigonus Eumenem mortuum propinquis ejus *sepeliendum tradidit*. Alexander militibus dexteram *osculandam porrexit*.
Diomedon Epaminondam pecunia *corrumpendum suscepit*.
Lentulus totam Italiam *vastandam* Catilinae attribuit. Domos nostras et patriam ipsam vel *diripiendam* vel *inflammandam reliquimus*.

Tota Italia Catilinae *relinquitur diripienda*. Cassander filium Alexandri cum matre in arcem *custodiendos mittit*. Consul aedem Fortunae *faciendam locavit*.
Conon muros dirutos a Lysandro *reficiendos curavit*. Hi ossa ejus in Cappadociam deportanda curaverunt.
Fabricius perfugam reducendum curavit ad Pyrrhum.

M. Estne hoc igitur falsum : Damus pueris ediscere ?

L. Minime gentium. Cum enim verbum *dare* non est

conjunctum cum objecto (Accusativo), Infinitivum admittit. Idem valet in verbum *ministrare* v. g. *Da* cani *bibere*. Iussi cani dari bibere.
Ministrabant Iovi *bibere*.

Sed : Da cani *aquam bibendam ; da ei aliquid edendum*.

M. Inveni : Nihil habeo ad te scribere. Haec fere habeo dicere. Tantum habeo polliceri. Habeo urbem tuendam. Quomodo explicas hanc discrepantiam ?

L. In illis locutionibus *habere* significat idem fere quod *posse* ; habeo urbem tuendam contra significat : urbs tuenda mihi commissa est.

M. Florianus paulo ante dixit verba dandi et accipiendi ita cum Gerundivo conjungi, ut, omissa praepositione *ad*, verbum cum objecto suo collocaretur in Accusativo.
Atqui inveni : Caesar militibus oppidum *ad* diripiendum concessit.
Quam multas nobis imagines non solum *ad* intuendum, verum etiam *ad* imitandum scriptores reliquerunt. — Quomodo rem explicas ?

L. In hoc genere actio verbi minus spectat ad objectum, quam ad propositum v. g. Ciceronem mihi ad imitandum proposui.

M. Utrum est latinum : Multum interest inter *dandum* et *accipiendum* — an : Multum interest inter *dare* et *accipere ?*

L. Hoc solum est latinum.

M. Licetne dicere, Pauline : Ratio obtemperanda est ; hostis parcendus est ; haec materia ictibus resistendis apta est ; firmandus est animus ad dolorem obsistendum ?

P. Obtemperare, parcere, resistere, obsistere conjunguntur cum Dativo ; si vero verbum non recipit Accusativum, Gerundivum usui esse non potest.

M. Quando opus est Ablativo Gerundii et Gerundivi ?

P. Cum agitur de causa vel de instrumento ; praeterea

Praepositiones *a, ab, de, ex, in* saepius exigunt Ablativum v. g.
Caesar *dando, sublevando, ignoscendo* gloriam adeptus est. *Docendo* discimus. *Cogitando* mens alitur. Injurias *ferendo* majorem laudem, quam *ulciscendo* mereberis. Nihil est, quin male *narrando* depravari possit. Themistocles maritimos praedones *consectando* mare tutum reddidit. *Dividendo* copias periere duces nostri. Socrates *percontando* atque *interrogando* elicere solebat eorum opinionem, quibuscum disserebat.
Superstitione *tollenda* non tollitur religio. Aristotelem in philosophia non deterruit *a scribendo* amplitudo Platonis. *Ab oppugnanda* Neapoli Hannibalem absterruere conspecta moenia. Pueri ne verberibus quidem *a contemplandis* rebus *perquirendisque* deterrentur. Multa de bene beateque *vivendo* a Platone disputata sunt.
Primus Tusculanarum quaestionum est *de contemnenda morte*, secundus *de tolerando dolore, de aegritudine lenienda* tertius.
Ex providendo est appellata prudentia. Brutus *in liberanda patria* est interfectus. Virtutes cernuntur *in agendo. In voluptate spernenda* virtus vel maxime cernitur. Prohibenda maxime est ira *in puniendo*.

M. Quid de hac sententia existimas : Nullum officium referenda gratia magis necessarium est ?

P. Ciceronis est, unde patet Gerundivum etiam cum Ablativo comparationis conjungi posse. — Nunquam vero licet dicere : Nihil turpius est mentiendo ; hic liber dignus est legendo. Latinum est : Nihil turpius est quam mendacium ; hic liber dignus est, qui legatur.

M. Licetne dicere : Haec vasa aurea liberalitas ejus nobis *dedit utenda ?*

P. Procul dubio. Verba *utor, fruor, fungor, potior* antiquitus transitiva, in Participio Futuri passivi transitiva man-

serunt : res utenda ; rem quam utendam accepisti. Voluptates fruendae ; munus fungendum ; cupidus oppidi potiundi.
Nunquam vero pro : *re* utendum est, *res utenda est ;* pro : *munere* fungendum est, *munus fungendum est.*

M. Quid interest inter : Audivi de Caesare *occiso* — et : Audivi de Caesare *interficiendo ?*

P. *Occiso* significat id, quod factum est ; *interficiendo* id, quod in praesenti aut in futuro fieri debet.

M. Nihilominus nonnunquam in eadem sententia alterutro Participio sine discrimine uti licet v. g. Mirifice ille de patria liberata (vel de patria liberanda) meruit.
Liberatio enim patriae, quae nunc est actio perfecta, gradatim ita facta cogitari potest, ut procedente tempore patria nondum liberata, sed liberanda esset.
Eadem de causa dicere licet : Sulpicius libris editis (vel libris edendis) nominis famam adeptus est.

6. De Supino.

M. Quot sunt genera Supini, Romane ?

R. Duo sunt Supini genera, quorum unum exiens in *um* est Accusativus, alterum exiens in *u* est Ablativus v. g. auditum, auditu.
Illud et significationem et casum, quem verbum recipit, retinet neque tamen admittit Adverbium ; hoc contra significationem verbi omnino amisit.

M. Quibus verbis Accusativum Supini plerumque invenimus adjunctum ?

R. Verbis movendi v. g. ire, venire, proficisci, mittere, ducere, concedere, vocare.

M. Affer hujus Supini exempla.

R. Philippus, cum *spectatum* ludos *iret*, juxta theatrum occisus est.

Legati ad Caesarem *congratulatum convenerunt.* Caesar quinque cohortes *frumentatum* in proximas segetes *misit.* Lacedaemonii Agesilaum *bellatum miserunt* in Asiam. Agesilaus Ephesum *hiematum* exercitum *reduxit.* Hannibal invictus patriam *defensum revocatus,* bellum gessit adversus P. Scipionem. Nemo consulem *sessum recepit (offrir un siège).* Stultum est *venatum ducere* invitos canes. Themistocles e civitate ejectus, Argos *habitatum concessit.*
Augustus filiam Iuliam Marcello *nuptum* dedit (collocavit).

M. Nonne oblitus es verba festinare, properare, maturare, accelerare, quae item sunt verba movendi ?

R. Sunt illa quidem verba movendi,sed semper *cum Infinitivo* conjunguntur v. g. In Italiam *proficisci maturat.* Scipio urbem *oppugnare festinat.* In patriam *redire properat.* Caesar maturat ab urbe proficisci.

M. Quid significat hoc Supinum conjunctum cum verbo *ire* v. g. Se remque publicam *perditum eunt* ?

R. Significat : animo intendunt, volunt, eis decretum est rempublicam perdere, rempublicam perdituri sunt v.g. raptum eunt, ultum eunt. Simo audierat non datum iri filio suo uxorem *(qu'on était résolu).*

M. Quid existimas de sententia : Hannibal *defensum patriam* revocatus est ?

R. Optimi latinitatis auctores raro utuntur Supino conjuncto cum objecto, qui multo frequentius dicunt : ut patriam defenderet ; qui patriam defenderet ; ad patriam defendendam ; patriae defendendae causa ; patriam defensurus.

M. Quid significat *pessum ire ?*

R. *Pessum* non est Supinum, sed adverbium, quod significat *pedisversum (tourné en bas)* ; ergo : in imum ire, perire v. g. navis. — *Pessum dare* significat : perdere.

M. Quomodo utimur Supino, quod exit in *u*, Severe ?

S. Adjungitur substantivis indeclinabilibus, ut : fas,

nefas, opus est ; praeterea adjectivis : bonus, jucundus, injucundus, molestus, suavis, dulcis, acerbus, durus, mollis, turpis, foedus, honestus, nefarius, dignus, indignus, facilis, difficilis, incredibilis, mirabilis, memorabilis.
Ceterum apud optimos auctores vix inveniuntur nisi : *dictu, factu, memoratu, cognitu, auditu, inventu.*
Praeterea in locum hujus Supini saepius alia verba substituuntur v. g. Pro : Iucundum est auditu : *hanc rem audire jucundum est.* — Vel : Haec res jucunde auditur.
Pro : Dignus est regnatu : *Dignus est, qui regnet.*
Pro : Justa causa facilis est defensu : *Justae causae facilis est defensio.*
Pro : Natura deorum difficilis est explicatu : *difficilis est explicatio.*
Virtutum atque vitiorum facilis est distinctio. Mons erat difficili ascensu.
Decemviri erant rari aditus. Sermo *ad* audiendum jucundus, etc.

DE CONJUNCTIONIBUS ADJUNCTIVIS.

I. De Conjunctionibus copulativis.

M. Quae sunt conjunctiones copulativae, Urbane ?

U. *Et, que, ac, atque ; nec, neque, necnon, etiam, quoque* et conjunctiones adverbiales : *item, itidem.*

M. Quid differt *et* a *que*, quod verbo suo annectitur ?

U. ***Et*** mera est copula, quae notiones conjungit separatas, ut fit in enumerationibus et additionibus v. g. Aderant pater *et* filius.
Constamus ex animo *et* corpore caduco. Homo compositus est ex animo *et* corpore. Librum scripsit de agricultura *et* de re militari. Plerumque *et* sequitur verba : multi, plurimi, tot, tam, tantus, talis v. g. Multae *et* magnae cogitationes.

Plurima *et* flagiosissima facinora. Tot *et* tantae et tam graves calamitates.

Que contra est conjunctio non tam copulativa quam adjunctiva, quae amplificat atque complet notionem antecedentem v. g. Senatus populusque Romanus. Diis deabusque sit honor.

Jus potestatemque habere. Patres majoresque nostri.
Terra marique vinci. Ferro ignique vastare. Domi militiaeque prospera fortuna uti. Ultro citroque currere. Singulis universisque favere. Salvum incolumemque te videre.
Noctes diesque iter facientes. Vir de illa civitate totaque provincia bene meritus. Domi forisque. Jupiter diique omnes.
Idem conjungit prononima, ut : me meaque, te tuamque me meosque, vos vestrosque.

Que praeterea copulat notiones arcte inter se conjunctas, ut : plus plusque, magis magisque, minus minusque, carior cariorque factus, satis superque, jamjamque omnia sciemus ; jamjamque moriendum.

Que denique longiorem notionum seriem concludit v. g.
Pacem, otium concordiamque. Agri, insulae litoraque.
Honore, fama fortunisque. Hi qui solis et lunae reliquorumque siderum ortus, obitus motusque cognorunt.

M. Estne hoc emendatum : Certior factus *de* morte Titi *deque* Fabii adventu ?

U. Quin emendatum sit, non dubito ; *que* enim aut praepositionibus, quae syllabae sunt unius *(de, ex, in, cum, per,* etc.) ; aut nomini, quod inde pendet, adjungi potest.
Ergo : *deque* Fabii adventu ; vel : de *Fabiique* adventu.

M. Neque tamen facile invenias, a*que*, ad*que ;* raro praeterea : de*que*, in*que*, ex*que*, cum sequitur demonstrativum *hic* vel *is* v. g. exque his ; exque eo tempore ; deque his rebus, inque ea urbe, inque eam rem.
Saepissime contra : a meque, ab armisque, abs teque, ab

eodemque, ab omnibusque, ad meque, ad Caesaremque, ad plurimosque, ex omnique genere, ex iisque, ex Hispaniaque, in foroque, in reque, in rebusque, in convivioque ob eamque causam.

Cum vero agitur de praepositionibus disyllabis, *que* his adjungitur : interque, intraque parietes, extraque urbem, supraque vires, ultraque Padum, etc.

Cum verbis denique quinque syllabarum, etc. *que* raro conjungitur v. g. pecuniosusque, magnificentissimusque.

Quid interest inter *et* et *que*, cum totas copulant sententias ?

U. Id quod modo demonstravimus. *Que* enim amplificat vel alteram sententiam ex priore ducit significando *itaque* vel *proinde* v.g. Cum S. Sulpicius salutem reipublicae vitae suae praeposuerit contraque (= et ita) vim gravitatemque morbi contenderit, ut... perveniret, isque vitam amiserit, ejusque mors consentanea vitae fuerit : statuam aeneam... statui.

M. Quid differt *ac* ab *atque*, Valentine ?

V. Utrumque unum idemque significat, nisi quod *atque* congruit cum vocalibus et consonantibus, *ac* cum solis consonantibus, *h* excepto.

Falsum est igitur : Ac antea, ac idem, ac omnes, ac usus, ac hic, ac homo. Contra utrumque est emendatum : *Ac* fortis, et : *atque* fortis ; *ac* gloria, et : *atque* gloria ; *ac* princeps, et : *atque* princeps.

M. Quid significat **ac, atque ?**

V. *Ac*, *atque* ab *ad* praepositione ductum esse putatur = *adde ad hoc ; et etiam.* Notiones autem imprimis copulat natura inter se conjunctas, ut notiones, quae easdam fere res significant et quarum altera saepe majoris ponderis est v. g. *Victum* atque *expugnatum* ; *perferre* ac *pati* ; *recte* atque *ordine* ; *opem* a me atque *auxilium* petere ; *grata* ac *jucunda* ; *merito* ac *jure* ; *fraude* ac *dolo* ; *fasces* ac *secures* ; *voce* ac

viribus sustinere ; *etiam* atque *etiam*. Animus perturbationibus vacuus *perfecte* atque *absolute* beatos efficit. *Spargere* ac *disseminare*. Genus hominum *liberum* ac *solutum*.

M. Quid significat *atque (ac)*, cum incipit sententiam ?

V. Aut amplificat quod antecedit, aut procedit ad aliquid majoris momenti (= et nunc, et quidem).

Atque accedit muros juventus Romana (= et ita). Quinctium incautum hasta transfigit : *atque* ille praeceps procidit (et ita).

Atque haec mea quidem sententia est. *Atque* de ipsis Syracusis cognoscite (jam). *Atque* hic tantus vir tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit litteris. Cognovistine hos versus ? — *Ac* memoriter (= cognovi et quidem memoriter).

Nonne video Cassium ? — *Atque* is est *(oui c'est lui.)*

Inclementer dicit *atque* id sine malo.

M. In quibusdam comparationibus invenias *ac (atque)* pro *quam* ; quomodo rem explicas ?

V. Cum de adjectivis vel adverbiis similitudinis et dissimilitudinis agitur latinitatis auctores pro *quam* utuntur *ac (atque)*. Ejusmodi adjectiva et adverbia autem sunt : aeque, par, pariter, perinde, proinde, pro eo, similis, dissimilis, similiter, talis, totidem, alius, aliter, contra, secus, contrarius v. g.

Non aliter scribo *ac* sentio. Non dixi secus *ac* sentiebam. Aliud mihi *ac* tibi videtur. Omnia fere contra *ac* dixi evenerunt. Simile fecit *atque* alii.

Res tibi aeque est nota *ac* mihi. Cum totidem navibus rediit *atque* erat profectus. Reipublicae juxta *ac* sibi consuluit. Parem *ac* ceteri mercedem acceperunt.

M. *Alius* conjunctum cum negatione plerumque recipit *quam* v. g. Virtus *nihil aliud* est, *quam* in se perfecta et ad summum perducta natura.

Item *contra* et *secus* admittunt *quam*.

Idem conjungitur cum *ac* vel *qui*.
Verbis *tantus, talis, tot, toties, tam, tantopere* respondent correlativa *quantus, qualis, quot, quoties, quam, quantopere* v. g. *tantum* nobis remisit *quantum* supererat.
Quales in republica principes sunt, tales reliqui solent esse cives. *Tot* sententiae, *quot* sunt capita. *Toties* mihi scripsisti, *quoties* ego tibi. *Tantopere* desiderabam *quantopere* delector.

Servantne auctores semper stricte discrimen inter *et, que, atque ?*

V. Non semper. Nonnunquam sonui numeroque oratorio intenti ex frequentia usus una pro alia conjunctione utuntur.

M. Licetne, Albane, conjunctione omissa dicere : Magnifice, graviter, animose vivunt ?

A. Certe licet ; quin etiam communis est consuetudo sermonis, cum plus bina verba sunt conjungenda conjunctionem aut omittere, quae figura appellatur *Asyndeton,* aut multiplicare, quod vocamus *Polysyndeton* v. g.
Catilina abiit, excessit, evasit, erupit. Caesarem et res quotidie, et dies, et opinio hominum, et ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit.
Veni, vidi, vici. Suaviter, diligenter, officiose. Consulibus, praetoribus, tribunis. Extorrem patria, urbe, domo.
Vel : Extorrem et patria et urbe et domo.

M. Si vero quaterna verba conjungenda sunt ?

A. Conjunctione omissa, ea in bina divido v. g.
Patres vultu composito lacrimas gaudium querelas adulationem miscebant.

M. Nonne dicere licet : Extorrem patria, domo, inopem *et* coopertum miseriis ? Vel : Suaviter, diligenter, officiose *et* humaniter ?

A. Non licet nisi *et* significat *uno verbo,* quam significationem apud Ciceronem habet. Ergo ista exempla sunt emendata.

M. Utrum est melius : Multae magnae res, an : Multae *et* magnae res ?

A. Ut paulo ante Urbanus demonstravit, dicendum est : Multae *et* magnae res. Multa et varia negotia.
Versantur in animo meo multae et graves cogitationes.
Item : Tot et tam validae manus. Tot tantaeque difficultates.

M. Estne hoc emendatum : Lege *et* intelliges ?

A. Imperativus non admittit *et* quod sensum consecutivum habeat. Dicendum est : Lege *tum* vel *jam* intelliges. Adjuva me, tum (jam) salvus ero.

M. Cur *et* saepius significat *etiam ?*

A. Quia *et* ut *etiam* addit aliquid novi v. g. Addam *et* illud etiam. Non solum Romae, sed *et* apud exteras nationes.
Non errasti, mater, nam *et* hic Alexander est. Quod *et* nunc multis in fanis fit. Da mihi *et* hoc. Itaque *et* ego. Sed *et* tempus illud.
Nam *et* ordinem sic definiunt.

Ceterum *et* hoc sensu multo saepius cum pronominibus quam cum nominibus substantivis conjungitur. *Et* ipsum, *et* ipsi, *et* me, *et* vos, etc.

M. Estne haec sententia emendata : Lex lata est, *et* lex *quidem* utilissima ?

A. Non est profecto. Cum enim verbum sententiae antecedentis aliquod repetitur, auctores non utuntur nisi *et* sine *quidem*. Ergo : *Lex* lata est *et lex* utilissima. *Magna* est vis conscientiae *et magna* in utramque partem.
Piso, gener meus, *et Piso* gener. Turbam congregat ignotorum deorum *atque* ita ignotorum, ut... — Ipsae inter se dissident reipublicae partes, *atque* ita dissident, ut...

Si vero verbum antecedens non repetitur, sed aliquid novi additur, *et quidem* suo loco est v.g. Ego cum illo locutus sum *et* saepius *quidem*. Veniet tempus *et quidem* celeriter.

Omnia videntur subita majora, *et quidem* ob duas causas. Falsum autem, quia omnino superfluum, est : Apud Homerum in Iliade *et quidem* libro secundo pro : *libro secundo.*

Cum nomen antecedens non repetitur, sed nova ei attribuitur proprietas, utimur *et is, isque* v. g. Exempla quaerimus *et ea* non antiqua.

Cum *et quidem* se refert ad verbum vel ad totam sententiam, latine utimur *idque* v. g. Negotium magnum est navigare *idque* mense Quinctili.

M. Quid significat *et-et ?*

A. Item quod Gallice v. g. *Et* dux *et* exercitus captus est.

M. Sic satis est. Verbum autem, ut recte dixisti, in ejusmodi exemplis singulariter, non pluraliter enuntiatur.

Quae est significatio conjunctionis **nec (neque)**, Beate ?

B. *Nec (neque)* significat *et non.*

M. Quid interest inter *et non* et *neque ?*

B. Utimur *et non* pro *nec(neque)*, cum negatio se refert ad unum verbum vel unam partem sententiae v. g.

Longum est *et non* necessarium. Commutatur officium *et non* semper est idem. Ad Demetrium Syrum veterem *et non* ignobilem dicendi magistrum exerceri solebam. Patior *et non* moleste fero.

Exempla quaerimus *et* ea *non* antiqua. Quasi bibentis *et non* edentis. Si te Tarentum *et non* Romam misissem. Videris mihi aliud quiddam *et non* id quod suscepisti, disputasse. Prensare homines coepit *et non* solum orare.

M. Putasne igitur *nec (neque)* perperam usurpari in ejusmodi exemplis ?

B. Non perperam sane, sed apud auctores *neque* raro invenitur inter duo adjectiva vel adverbia, nunquam certe inter duo substantiva, nisi antecedit negatio v. g.

Non cives *neque* socii.

M. Utrum convenit inter duas sententias *nec* an *et non ?*

B. Licet uti *nec (neque)*, cum utraque sententia suum habet praedicatum v. g. Caesar *substitit* neque hostes *lacessivit.*

Dicunt nec *dubitant.*

M. Si vero falsam opinionem, notionem, conjecturam velis corrigere, utrum emendatum est *nec (neque)* an *et non ?*

B. Plerumque apud auctores invenimus *ac non* (= et non potius), rarius *et non* v. g. Hoc suo nomine *ac non* impulsu tuo fecit. Quasi nunc id agatur *ac non* hoc quaeratur.

Pluribus verbis ad te scriberem, si res verba desideraret *ac non* pro se ipsa loqueretur.

Volentes *ac non* coacti. Supervacaneum *ac non* necessarium.

Constanter *ac non* timide. De nostris aedibus *ac non* de publicis templis.

Dicam eos miseros, qui nati sunt, *et non* eos, qui mortui sunt.

M. Etiam fortius negatur omissa conjunctione v. g.

Haec morum vitia sunt, *non* senectutis. Hoc tua culpa factum est, *non* mea.

Quid significat **necnon ?**

B. Idem quod *et.* Apud optimos latinitatis auctores *necnon* disjunctum copulat sententias v. g. Nemo Attico minus fuit aedificator, *neque* tamen *non* imprimis bene habitavit.

Quintilianus et scriptores aetate posteriores *necnon* omnino utuntur pro *et* vel *et etiam* v. g. Legi carmina Homeri *nec non* Hesiodi, *nec non* aliorum. Versatus est in litteris latinis *necnon* in Graecis.

M. Estne haec sententia emendata : Oratione sua ille omnes offendit *et nemo* surrexit ?

B. Non latina esse videtur ; emendatius equidem dixerim : *Neque quisquam* surrexit. Cum enim *et* vel *etiam* con-

jungendo sententias cum negatione aliqua concurrunt, plerumque pro *et non* invenimus *neque*; pro *et nemo neque quisquam*; pro *et nullus neque ullus*; pro *et nihil neque quidquam*; pro *et nunquam neque unquam*.
Item, cum sententia incipit a *non enim*, dicimus; *neque enim* pro *non vero neque vero*; pro *non tamen neque tamen*.
Nunquam vero invenimus : *neque autem*.

M. Quid de hac sententia existimas, Damase : Hoc te rogo, *ne* demittas animum *neque* desperes ?

D. Falsa est. Ut enim primum verbum sententiae exigit *ne*, ita et alterum. Atqui *neque* idem est quod *et non*. Ergo : *et ne*, id est *neve* desperes.

Cum vero prior sententiae pars continet *ut* finale, Cicero et Livius, ut jam alias diximus, in altera nonnunquam utuntur *neque*, quod imitari licet v. g.
His, *ut* diutius morarentur *neque* suis auxilium ferrent, persuaderi non poterat.

M. Estne haec sententia emendata : Magna ubique erat fames *nec* divites *quidem* panem sibi parare poterant ?

D. Falsa est, quia *nec* ut paulo ante ostendi, non idem est quod *et ne*. Ergo dicendum est : *ac* vel *et ne* divites *quidem*.
Ac *ne* in oppidis *quidem*. Et *ne* hoc *quidem* concessit. Ac *ne* lacessitus quidem respondit. Et *ne* ceteri *quidem*.

M. Quid de hac sententia judicas : *Nequeo* satis mirari *neque* conjicere ?

D. Non ausim negare eam esse emendatam ; cum enim in ejusmodi sententiis antecedit negatio aliqua plerumque sequitur *neque* v. g. *Noli* impudens esse *nec* mihi molestiam afferre.
Nostri graece fere *nesciunt*, *nec* Graeci latine.
Nihil tua vita esse jucundius *neque* carius.

M. Quid significat **nec-nec** ***(neque-neque)*** **?**

D. Gallice significat : *ni-ni*.

M. *Neque-neque* saepius explicat notionem negativam, quae antecedit. Affer aliquot exempla.

D. Habeo hic *neminem neque* amicum *neque* cognatum.
Nescio neque unde eam *neque* quorsum eam.
Nequeo satis *nec* communem omnium nostrum conditionem *neque* hujus eventum miserari.
Prae lacrimis *non possum* reliqua *nec* cogitare *nec* scribere.
Nihil neque acerbius *neque* iniquius cogitari potest.
Gentem quidem *nullam* video *neque* tam humanam atque doctam, *neque* tam immanem tamque barbaram.
Nihil tam *nec* inopinatum *nec* insperatum accidere potuit.

M. Apud Ciceronem aliosque auctores pro tertio *neque* saepius invenimus *ne-quidem*, quod negationi plus incrementi affert v. g. Nec postulantibus, nec cogitantibus, *ne* optantibus *quidem*.
Nihil magnum, nihil severum, *ne* serium *quidem* putat.
Si contra *ne-quidem* praecedit, sequitur *aut-aut* pro *neque-neque* v. g. Sed *ne* ad hanc *quidem* vim cogitandi perveniri potest *aut* subito *aut* cito.
Idem valet in *neque enim*.

Neque latinum est : Liber sine loco *nec* anno. Latine dicendum est : Liber sine loco *et* anno ; vel ; ac sine anno, quia *sine* non est negatio.

Quae est distinctio conjunctionum *etiam* et *quoque*, Floriane ?

F. ***Etiam*** addendo aliquid novi auget ; **quoque** aequat significando aliquid consimile. *Etiam*, cum auget, verbo suo praeponitur, *quoque* suo semper postponitur.

M. Profer exempla, quae demonstrent *etiam* augere seu incrementum afferre sermoni.

F. Multo *etiam* major, multo *etiam* magis. Punctum

est quod vivimus et puncto *etiam* minus. Per se jus est expetendum et colendum ; quod si jus, *etiam* justitia. Non solum opus est, sed *etiam* necessarium.

Quoque contra addit rem consimilem v. g. Ut jus et justitia sic *reliquae quoque* virtutes per se colendae sunt. Qua de causa *Helvetii quoque* (ut Belgae) reliquos Gallos virtute precedunt, quod fere quotidianis proeliis cum Germanis contendunt. Me scilicet maxime, sed proxime *illum quoque* fefellissem. Patriae exul qui *se quoque* fugit. *Ego quoque* timida sum. Sunt vero *leonum quoque* clementiae exempla. Quod ego facio, *tu quoque* animum inducas.

M. Quid judicas de hac sententia : Quidquid honestum est, etiam utile est ?

F. Falsa est. Si enim cum eodem subjecto duo conjuncta sunt praedicata, auctores pro *etiam* utuntur pronomine demonstrativo *idem*. Ergo : Quidquid honestum est, *idem* est utile (vel *idem etiam* est utile).
Musici, qui quondam *iidem* erant poetae. Beneficentia, quam *eandem* benignitatem appellare licet. Libera, quam *eandem* Proserpinam vocant. Viros fortes *eosdem* bonos esse volumus. Asiam istam refertam et *eandem* delicatam obiit. Scrutari res obscuras atque difficiles *easdemque* non necessarias.
Ibi mihi Tullia mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu *idem* natalis erat et Brundusinae coloniae.

M. Nova latinitas haud raro perverse utitur *simul*, quod potissimum ad tempus se refert, pro *idem* v. g.
Oratio grandis *et simul* faceta (pro : *et eadem* faceta — *éloquence noble et en même temps pleine d'agrément)*.
Uxor fuit Arminii *et simul* filia Segestis (pro : *eademque* filia).
Naturale non potest *simul* esse nimium (pro : *idem* esse nimium).
Nemo potest *simul* esse accusator et testis (pro : *idem* non potest esse accusator et testis).

Fuit orator *et simul* poeta (pro : *et idem* poeta).
Avunculus meus vir innocentissimus *et simul* doctissimus (pro : *idemque* doctissimus).

At haec sententia videtur esse emendata : Solis defectiones et etiam lunae praedicuntur — nonne ?

F. Neque ista est grammatica. Si enim cum duobus subjectis unum conjunctum est praedicatum, pro *etiam* utimur *item*. Ergo : Solis defectiones *itemque* lunae praedicuntur. Fecisti *item* ut praedones solent. Scripsit ad me, credo *item* ad te. Romulus augur cum fratre *item* augure. Sic Brutus sentit *itemque* ceteri. Litterae mittuntur a patre vehementes, ab amicis *item*. Spectaculum uni Crasso jucundum, ceteris *non item*. Huic *item* Cajo nomen est. Ipse armatus *item* milites esse cogebat.

M. Falsum est : Negant multi, alii *non* (pro : *alii non item*).
Ille est homo dives, ego *non* (pro : *non item ego*).
Graeci mature artibus et disciplinis floruerunt, Romani *non* (pro : *non item Romani*).
Herculi potuit fortasse contingere, nobis *non* (pro : *non item nobis*).
Omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat, radices stirpesque *non* (pro : *non item*).
Et sic semper, cum gemino subjecto praedicatum unum adjungitur.

Estne hoc emendatum : Injussu tuo nunquam pugnaverim *etiam non, si* (vel : *nec si*) certam victoriam videam ?

F. In ejusmodi sententiis *etiam* et *nec* redundant ; satis est dicere *non si* certam victoriam videam.

M. At hoc emendatum esse videtur : *Etiam non (pas même) minima* aura fluctus agitat.

F. Neque isti accedere possum opinioni. Latinum est : *Nulla ne minima quidem* aura fluctus agitat.
Demosthenes nemini ne Ciceroni quidem cedit. Nemo

ne minimum quidem maleficium sine causa admittit. Ne semel quidem, ne postea quidem id faciam.

M. Estne hoc emendatum : Praetereundum est ne hoc quidem ?

F. Quaecumque affirmatio antecedit *ne-quidem*, mutanda est in negationem. Ergo : *Non* praetereundum est ne hoc quidem.

Villa ne in Campania quidem inveniri potest amoenior — mutandum est in : Villa nulla. *Fugio* ne hos quidem — in : Non fugio ne hos quidem. Caesar *dicit* se ne Graeca quidem meliora legisse — in : Caesar negat se legisse.

M. Quid significat *tum-tum*, Laurenti ?

L. **Tum-tum** significans modo-modo,alias-alias,partim-partim ; plerumque res contrarias conjungit, ut : Tum remittit animos, tum contrahit. Tum adeunt, tum recedunt ; tum antecedunt, tum subsequuntur. Non tum hoc, tum illud, sed idem semper de immortalitate disputat.

Vir tum genere inter nos, tum factis clarus.

Modo ait, modo negat.

M. Estne *cum-tum* idem, quod *tum-tum ?*

L. Haudquaquam. **Cum-tum** significat *: et-et praecipue ; non solum, sed etiam ; non magis (minus) — quam ; si — multo magis ; (tant... que ; aussi bien-que ; non seulement- mais encore ; d'un côté-de l'autre ; si déjà — à plus forte raison,*etc.).

M. *Cum-tum* comparat quodammodo rem generatim acceptam cum re singillatim spectata ; vel ea quae praecedunt, cum iis, quae sequuntur.

Cum utraque sententia suo utitur verbo, *cum* vim habet conjunctionis, quae exigit conjunctivum ; si utrique sententiae verbum est commune, *cum* vim habens adverbii jungitur cum Indicativo.

Adde quod *tum* saepissime augetur adverbiis : *maxime, imprimis, praecipue, vero* (nunquam autem : *potissimum,* quod pronominibus adjungitur).

Profer aliquot exempla.

L. Fortuna *cum* in ceteris rebus multum *possit, tum* praecipue in bello dominatur. Idque, *cum* per se dignus *putaretur, tum* auctoritate et gratia Luculli impetravit.

In quo *cum* multa *sint* indigna, *tum* nihil minus est ferendum.

Cum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae *sint, tum* perdifficilis et perobscura quaestio est de natura deorum *(s'il est en philosophie un grand nombre de questions qui ne sont pas encore éclaircies suffisamment, celle de la nature des dieux en est l'une des plus obscures et des plus difficiles).*

M. In ejusmodi sententiis pro Conjunctivo nonnunquam invenimus Indicativum ; quomodo rem explicas ?

L. Cum non agitur de comparatione, sed simpliciter causa affertur, Indicativo utimur v.g.Cum ipsam cognitionem juris augurii consequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter studiis delector *(non seulement je désire.... mais).*

Nam cum te maxime dilexi, tum fratrum tuorum singularis pietas nullum me patitur officii erga te munus praetermittere.

M. Si utraque sententia verbum habet commune, *cum* merum est adverbium. Affer exempla.

L. Cum omnium sociorum provinciarum rationem diligenter habere debetis, tum praecipue Siciliae. Luxuria cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Animi magnitudo cum in utilitatibus comparandis, tum multo magis in his despiciendis elucet. Cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est. Agesilaus cum a ceteris scriptoribus, tum eximie a Xenophonte collaudatus est.

M. Quid interest inter *etiamtum, adhuc, etiam,* quae tria gallice significant *encore ?*

L. Auctores utuntur **etiamtum**, cum *encore* se refert ad tempus omnino praeteritum v.g. Illud factum est quo tem-

pore Cicero *etiamtum* puer erat. Tacitus haec scripsit Nerva *etiamtum* vivente.

Adhuc contra se refert ad tempus praesens = usque ad hoc momentum temporis, non ultra v. g. Nemo adhuc (vel : adhuc nemo) advenit. Nihil adhuc audivi. Cajus mihi adhuc non scripsit.
Non pluit adhuc. Adhuc semper tacui *(jusqu'à présent)*.

Falsum est vero : *Adhuc hodie* illa lex viget ; pro : *hodie etiam* vel *hodie*, vel *adhuc*.

Falsum est : *Adhuc diu* vivat ; adhuc diu mansit ; adhuc diu illius sermonis recordabimur ; pro : *diu vivat ; diu mansit ; diu recordabimur*.

Etiam significat : *adhuc et ultra* v.g.Etiam esurio. Etiam frigus est. Etiam coenant. Etiam in Italia moratur. Quid, tu etiam taces ?

Item **etiamnunc** se refert ad tempus praesens = *encore maintenant ; maintenant encore* v. g. De corpore etiamnunc loquor, non de ipso animo. Sunt etiamnunc, qui hoc credant. Etiamnunc robustior filio est. Etiamnunc vobis prudentiam commendo.
Etiamnunc dolorem sentio. Diu deliberavimus atque etiamnunc statuere non possumus. Etiamnunc alia nobis restat significatio verbi.

M. *Etiam* praeterea auctionem, additionem,gradationem significat v. g. Unum etiam te rogo. Estne tibi commodum mihi unum etiam commodare ? Multa etiam alia exempla afferre possum. Mentiri etiam turpius est.

Additionem item significat **amplius** v.g.Quid vultis amplius ?
Quid est, quod jam amplius exspectes ? Et alia amplius.

Estne hoc emendatum : Nemo *amplius* est *(il n'y a plus personne)*, qui credat Jovem deum esse verum ?

L. Esse nego.*Amplius* enim usui non est, nisi cum verbo agendi ; atqui *esse* non est verbum agendi : igitur latinum

est : *Jam* nemo est, qui credat Jovem esse deum verum. Jam nusquam erant. Non jam erant. Jam nunquam etc.

Sed : Tecum amplius non luctabor. Vos amplius non rogabo.
Te amplius non videbo.

M. *Non jam* cum quocumque verbo conjungi potest ; non item, ut recte dixisti, *amplius*.
Quid significat *tam-quam*, Pauline ?

P. Tam-quam aequationem significat *(aussi bien que, autant que)*.
Vellem tam domestica ferre possem, quam ista contemnere. Nemo orator tam multa scripsit, quam multa sunt nostra. Cicero tam facile graece quam facile latine dicebat. Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est. Tam enim sum amicus reipublicae, cum *qui maxime* (est). Tam sum misericors, judices, quam vos, tam mitis, quam *qui lenissimus*.
Demosthenes in dicendo non tam dicax fuit quam facetus. Provincia non tam gratiosa et illustris, quam negotiosa ac molesta.

M. Quid significat **non minus-quam ; non magis-quam ?**

P. Utrumque significat ; *aeque-ac*.

M. Converte in latinum : *Alexandre s'acquittait aussi bien des fonctions du soldat que de celles du capitaine.*

P. Alexander *non* ducis *magis quam* militis munia exsequebatur.
Vel : Alexander *non* militis *minus quam* ducis munia exsequebatur.

M. Explana rationem tuam.

P.Cum utor *non magis*,notio significans*(militis)*collocanda est in sententia affirmativa (post *quam)*,cum utor *non minus*,collocanda est in sententia negativa (non minus militis).

M. Affer aliquot exempla.

P. *Laudibus haud minus* quam praemio gaudent militum animi (vel non magis praemio *quam laudibus).*
Conficior enim moerore, mea Terentia, *nec* meae me miseriae *magis* excruciant, *quam tuae* vestraeque (vel : *non minus tuae,* quam meae).
Moverat eos regis *non* virtus *magis, quam clementia* (vel : *non minus clementia* quam virtus).
Catonem *non* tu amas *plus, quam ego* (vel : Catonem *ego non minus* amo quam tu).
Patria hominibus *non minus* cara esse debet, quam liberi (vel : Liberi hominibus *non magis...* quam *patria).*
Externis hostibus *non magis quam domesticis* laboramus (vel : *Domesticis* hostibus *non minus...* quam externis).
Dionysius Philistum, historicum, Syracusas reduxit, hominem amicum *non magis* tyranno *quam tyrannidi* (vel : *non minus tyrannidi,* quam tyranno).

M. Quando *non magis* significat : *aussi peu-que ?*

P. Cum aut negatio aliqua praecedit aut sententia ex se est negativa v. g. *Non* nascitur ex bono malum, *non magis* quam ficus ex olea.
Scutum, gladium, galeam in onere nostri milites *non plus* numerant, quam humeros, lacertos, manus.
Animus in aliquo morbo non magis est sanus, quam id corpus, quod in morbo est.

2. De conjunctionibus disjunctivis.

M. Quae sunt conjunctiones disjunctivae, Romane ?

R. *Aut, vel, ve, sive (seu).*

M. Quid interest inter *aut* et *vel ?*

R. **Aut** disjungit res *natura* diversas ; **vel** disjungit res, quae non re, sed *nomine* tantum inter se differunt ; plerumque vim habet correctivam et completivam.
Dives *aut* pauper. Calor *aut* frigus. Caesar *aut* Pompejus.

Verum *aut* falsum. Bellum *aut* amicitia. Mors *aut* victoria. *Aut* nihil *aut* non multum. Non multum *aut* nihil omnino.

Ovum molle *vel* sorbile. Ejusmodi conjunctionem tectorum oppidum *vel* urbem appellaverunt. Fortuna populi posita est in unius voluntate *vel* moribus. In ardore coelesti, qui aether *vel* coelum nominatur. Fortitudo est scientia rerum perferendarum, *vel* affectio animi in patiendo ac perferendo, summae legi parens sine timore.

Aut saepius augetur adverbio *omnino* ; *vel* adverbiis *potius, sane, certe, etiam.*
Peteres *vel potius* rogares. Laudanda est *vel etiam* amanda. Stuporem hominis *vel dicam* pecudis videte. Homo minime malus *vel potius* optimus. Hoc discessu vel potius turpissima fuga. Fateor a plerisque *vel dicam* ab omnibus. Ex hoc populo indomito *vel potius* immani. Extimescebam ne quid turpiter facerem *vel dicam* jam effecissem.

M. Unde vocabulum *vel* ductum esse putas ?

R. A verbo *velle* = si vis.

M. Quid significat **ve** ?

R. Idem quod *vel* significans : *vel quod re idem est.* Cicero utitur *ve* praecipue in numeralibus et verbis arcte conjunctis v. g. Duo *tresve* ; duabus *tribusve* ; consul alter *ambove ; minusve ;* unus *pluresve ;* majus *meliusve ;* quid faciendum non faciendum*ve* sit ; joco *seriove* ; quid vellet *quidve* praeciperet.
Quae cerni *tangive* possunt.

M. Quid significat *vel,* cum adverbiali modo est usurpatum ?

R. Gallice significat : *même* v. g. *Vel* regnum malo quam liberum populum. Pueri ludorum causa *vel* famem et sitim perferunt. Isto quidem modo *vel* consulatus vituperabilis est.
Per me *vel* stertas licet. Da mihi unum. Dabo tibi *vel* decem.

Cum *vel* abundare debeam, cogor mutuari.

M. Quae notio subjecta est adverbio *vel* superlativo praeposito ?

R. Significat : *haud dubie, sine controversia* v. g. Cicero *vel* optimus Romanorum orator. In hoc *vel* maxime vituperandus est. Hannibalis eo tempore *vel* maxima apud regem auctoritas erat. Vellejus mihi videtur *vel* maxime confirmare deorum providentia consuli rebus humanis (*mieux que personne)*.

Vel autem pronomini praepositum gallice significat : *déjà*. *Vel* ex hoc cogi potest. *Vel* inde apparet. Rem ita esse *vel* ex hoc intelligi potest.

M. Explica *sive*.

R. Sive idem est quod *vel si* v.g. Si media nox est *sive* est prima vespera. Si omnes declinabunt, *sive* aliae declinabunt.

Dehinc postulo, *sive* aequum est, te oro.

Saepius etiam invenimus : *sive potius, sive etiam, sive quis alius* v. g.

Nuntios seu potius Pegasos.

Sive (seu) inter duo verba addit eidem rei aliud nomen v. g. Vocabulum *seu* appellatio. Regie *seu* potius tyrannice. Liquor Bacchi *seu* vinum. Septentriones *seu* partes aquilonis.

Pallas *seu* Minerva. Cybele *seu* Ops. Hortalus *seu* Hortensius.

Nunquam vero : Mars seu Mercurius ; uxor seu vidua ; calor seu frigus.

M. Quid significat **sive-sive**, Severe ?

S. Significat : *vel si — vel si = soit-soit que* v. g. Illo loco libentissime soleo uti, *sive* quid mecum cogito, *sive* aliquid lego aut scribo.

M. Quid significat **vel-vel** ?

S. Significat *unum vel alterum*, nihil mea refert v. g.

Vel imperatore *vel* milite me utimini. Hanc tu mihi *vel* vi, *vel* clam, *vel* precario fac tradas. *Aut-aut* contra unum eligit, alterum excludit *(ou-ou)*.

M. Qui modus verbi conjungitur cum *sive-sive ?*

S. Indicativus semper, secunda persona tamen excepta, cum gallice significat *on* v. g.

Sive scripsit hanc legem, *sive sanxit* (nunquam *scripserit*).

Sive *sunt* exempla, sive testimonia (nunquam *sint)*.

Sed : Sive habeas sive non habeas *(=on)*.

M. Estne haec sententia emendata :Nunquam peccasti aut contra legem fecisti ? nunquam divina humanave jura violasti ?

S. Est plane emendata : Namque *aut* et *ve* (= et) continuant negationem in sententiis et interrogationibus negativis.

Licet tamen pro *aut* et *ve* etiam uti *neque* v. g.

Itaque non optimus quisque nec gravissimus, sed imprudentissimus loquacissimusque deligitur. Verres non Honori neque Virtuti, sed Veneri et Cupidini vota debebat. Nullum membrum reipublicae reperies, quod non fractum debilitatum*ve* sit. Num leges nostras mores*ve* novit ?

Constantis est nullo casu perturbari, neque aut spe aut metu de suscepta sententia deterreri (= et ne *ni—ni*). Quid me attinet dicere aut conjungere cum istius flagitio cujusquam praeterea dedecus ? Doctrina non moderata nec mitis, sed paulo asperior et durior quam veritas aut natura patitur.

3. De Conjunctionibus adversativis.

M. Quae sunt conjunctiones adversativae, Turibi ?

T. Sed, autem, verum, vero, (enimvero, verum enimvero), at, atqui, tamen (attamen).

M. Quae est vis ac potestas conjunctionis *sed* ?

T. ***Sed*** aut terminis circumscribit affirmationem aliquam v. g. Saepe ab amico tuo dissensi, *sed* sine ira; — aut negationem affirmatione dissolvit v.g. Otii fructus est non contentio, *sed* relaxatio. Non tu imperas, *sed* ego.

M. Quid differt *sed* ab *autem*?

T. ***Autem*** narrando vel argumentando progreditur : *sed* orationem interrumpit v. g. Erat *autem* in puero summa suavitas oris ac vocis. Aequitatis *autem* utilis est cognitio.

Sed satis verborum est. *Sed* haec hactenus. *Sed* ad instituta redeamus. *Sed* perge ut coepisti. *Sed*, ut ad Dionysium revertamur.

M. Quid de hac sententia judicas : Si quam primum Roma proficisceris, me hic invenies ; *sed si* cessaveris, me non jam invenies ?

T. Veteres nunquam dicebant *sed si*; latinum est : *sin, sin autem, si vero.* Si vero cessaveris me non jam invenies.

M. Explica hanc sententiam : Hae sunt res utiles, *sed* tamen non necessariae.

T. Latinum est : Hae res sunt utiles, *nec tamen* necessariae.

M. Estne hoc emendatum : Haec vitia morum sunt, *sed non* senectutis ?

T. In ejusmodi sententiis *sed* locum non habet v. g. Hoc mea culpa factum est, *non tua*. Romani hoc cognoverunt, *non item* Graeci.

Eodem modo *autem* locum non habet in sententiis relativis velut :

Virum beneficum invenit, qui non satis dives erat ; (nunquam : qui *autem* non satis dives erat). Multa promisit, quae non praestitit (vel : quae tamen non praestitit).

Autem contra in suo loco est, cum duae notiones (imprimis personales) inter se comparantur v. g. Tu mitis es, ego *autem* iracundus. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus videatur ; auditus *autem* semper patet.

Versutos illos appello, callidos *autem* hos. Nihil scribo, lego *autem* libentissime. Cur ego sine te sum ? cur *autem* tu sine me es ? Aesculapio crus fractum obligavi, Apollini *autem* brachium.

Cicero praeterea utitur *autem* in conclusione logica :

Si lucet, lucet ; *lucet autem* : lucet igitur. Si dicis te mentiri verumque dicis, mentiris : *dicis autem* te mentiri verumque dicis : mentiris igitur.

M. Quid significat *autem* in hac sententia : Num quis testis Cajum appellavit ? *Testis autem* ?

T. *Autem* hic significat : *Quid dico* (testis) ? — Rogatus ab ipso. Ab ipso autem ?

— Probari. Probari autem ?

M. Quid significat : *sed enim* ?

T. ***Sed enim*** terminis circumscribit, quod antecedit = quamquam, etsi *(mais, il est vrai)* v. g. Sed revertor ad crimen ; *sed enim* haec mentio facta et vocem meam fletu debilitavit et mentem dolore impedivit.

Ceterum *sed enim* raro invenitur.

M. Estne haec sententia emendata, Vincenti : Misera **quidem** est consolatio, sed tamen necessaria ?

V. Non vero est ; aut *quidem* omittendum est : Misera est consolatio — aut pronomen *ille* addendum est : Misera *illa quidem* est consolatio.

M. Explica, quaeso, hanc rem paulo accuratius.

V. Optimi latinitatis auctores in ejusmodi sententiis *quidem* semper cum pronomine personali aut cum pronomine demonstrativo *ille* (raro *is*) conjungunt, quod demonstrativum cum illo verbo congruit, quocum congruit praedicatum.

Falsum est igitur : Consentio quidem, sed hoc excipio ; pro : Consentio *ego quidem* (vel ut Cicero ait : consentio *equidem).*

Scripsisti quidem, sed oblitus es..; pro : Scripsisti *tu quidem.*

Rem concessit quidem, sed..; pro : Rem *illam quidem* concessit.
Putamus quidem... pro : Putamus *nos quidem*.
Cicero quidem praeclarus fuit orator, sed..., pro : Cicero *ille quidem*.

Auctores autem nobis haec suppeditant exempla :
Reliqua *ego quidem* non contemno, sed plus habent tamen spei, quam timoris. Oratorias exercitationes non *tu quidem* reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti. Scipio non multum *ille quidem* nec saepe dicebat, sed omnes sale facetiisque superabat.
Ludo autem et joco *illo quidem* uti licet, sed tum, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Libri scripti inconsiderate ab optimis *illis quidem* viris, sed non satis eruditis. Cyri vitam et disciplinam legunt praeclaram *illam quidem*, sed non tam aptam rebus nostris.

M. Quo alio modo ejusmodi sententiae reddi possunt ?

V. Pro : Misera illa quidem est consolatio, sed tamen necessaria ; dicere licet : Misera est consolatio, sed tamen necessaria : Consolatio *ut* misera, *ita* est necessaria ; vel : *Quamquam (etsi, tametsi)* consolatio est misera, *tamen* est necessaria.
Quamquam intelligo, quid optimum factu sit, tamen ne faciam multa impediunt.

M. Veniamus ad conjunctiones **vero** et **verum**. Quid differt *vero* a *verum*, Ambrosi ?

A. *Vero* idem differt a *verum*, quod *autem* a *sed*. *Vero* plus ponderis vel cogitationi vel verbo, cui postponitur, afferendo in oratione progreditur ; *verum* orationem interrumpit v. g.
Homerum Colophonii civem esse suum, Smyrnaei *vero* suum esse confirmant. Scimus musicam nostris moribus abesse a principis persona ; saltare *vero* etiam in vitiis poni.

Illud *vero* plane non est ferendum.

Verum haec quidem hactenus. *Verum* haec missa facio. *Verum* de his satis dictum est. *Verum* illa mox. *Verum* hoc, ut dixi, nihil ad me. *Verum*, si placet, ad reliqua pergamus. *Verum*, ut unde digressa est oratio, revertamur. *Verum*, ut ad classem, quo ex loco sum digressus, revertar. *Verum*, ut eo redeat, unde deflexit, oratio.

M. Nihil igitur interest inter *sed* et *verum* ?

A. *Sed* confirmat contrarium ; *verum (en vérité)* confirmat, revelat, explicat v. g. Non ego, *sed* tu. Messana semper justitiam coluit. *Verum* (= audite, rem vobis explicabo) haec civitas isti praedoni (i. e. Verri) receptaculum furtorum fuit.

Nonnunquam *verum* praeterea terminis circumscribit affirmationem, velut : Reprehendendum videtur, *verum* brevi. Pacem sine dubio, *verum* cruentam.

Item nonnunquam contrarium affirmat, ut : Ea sunt omnia non a natura, *verum* a magistro. Sed nos non quid nobis utile, *verum* quid oratori necessarium sit, quaeramus.

Apud Ciceronem deinde invenimus : *Non solum (non modo) — sed etiam*, et : *Non solum (tantum) — verum etiam ; non modo — verum etiam.*
Sine cujusquam non modo morte, verum etiam vulnere.
Non modo sine ulla non modo religione, verum etiam dissimulatione.
O rem indignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant.
Non modo non laedetur causa nobilitatis, verum etiam ornabitur.

Nonnunquam : Non modo non — *verum* ne — quidem.

M. In sententiis negativis, ut : Non modo non — sed ne — quidem, prior negatio omitti potest, cum verbum alterius sententiae utrique est commune v. g. Talis vir non

modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam *audebit*, quod non honestum sit. Quod idem est ac : Talis vir non modo facere, sed etiam cogitare non audebit.
Assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem *digna est*.

Nonnunquam invenimus *sed vix* pro *sed ne... quidem* v. g. Non modo ad expeditiones, sed vix ad quietas stationes viribus sufficiebant.

Cum vero utraque sententia suo utitur verbo, aut verbum utrique commune invenitur in priore sententia, *non modo non* suo locó est v. g.
Ego non modo tibi non *irascor*, sed ne reprehendo quidem factum tuum.
Horum ego imperatorum non modo res gestas non *antepono* meis, sed ne fortunam quidem ipsam.

Nunquam vero prior negatio omittitur, cum constat ex verbis *nemo, nullus, nihil, nunquam* v. g.
Quod non solum Siculus *nemo*, sed ne Sicilia quidem tota potuisset.
Cum multis non modo granum *nullum*, sed ne paleae quidem ex omni fructu relinquerentur.

Estne hoc emendatum : Non modo pecunia, sed etiam homines *potius* defuerunt ?

A. Esse haud facile concesserim. Aut omittendum est *potius* aut *etiam*. — Neque emendatum est : Non tam plebis quam *potius* patrum cura hoc effectum est. Tantum abest, ut hanc caedem laudem, ut eam *potius* reprehendam ; — cum *potius* hoc alieno sit loco.

M. Quandoquidem semel de *potius* loquimur, estne haec sententia grammatica : Nos *potius* nostro delicto plectimur, quam respublica nostra peccata luit ?

A. Neque ista est emendata. Cum *potius* enim comparat, sententia juncta exigit Conjunctivum, quia *quam* in ejusmodi sententiis idem est ac *quam ut*. Ergo : quam (vel quam ut) peccata *luat*. Idem valet in *prius* et *citius*.

M. Quid de hac sententia existimas : Vero illud te rogo?

A. *Vero* nunquam inchoat sententiam ; ergo : Illud vero te rogo.
Sin *vero* est responsum affirmans vel negans (= *oui, non*), primum tenet locum v. g. *Vero*, mea puella, tibi concedo sedes meas. Explicabis ? — *Vero. Enim vero (oui en vérité).*
Minime vero, imo vero.

M. Quid significat *vero* conjunctum cum Imperativo ?

A. Gallice *donc* v. g. Cape *vero* ; ostende *vero* ; respice *vero* ; minue *vero* iram ; dic *vero*.

M. Corrige hanc sententiam : Cajus civis fuit Romanus, non vero Graecus.

A. Cum negatio opponitur affirmationi, non licet uti nec *sed*, nec *autem*, nec *vero*, ut Turibius paulo ante demonstravit. Igitur : Cajus cives fuit Romanus, *non Graecus*. Haec patera mihi argentea esse videtur, *non aurea*. Libri duo fuerunt, *non tres*.

M. Emenda hanc sententiam, Corneli : *Non vero* hoc solum dixit, sed ipse et sensit et fecit.

C. *Neque vero* hoc dixit solum, sed ipse et sensit et fecit. *Neque vero* enim significat sententiam negativam et eam quae antecedit, inter se esse nexas. Eodem modo dicimus *neque enim, neque autem, neque tamen*.

M. Quid significat **enimvero**, quod inchoat sententiam ?

C. Non adversatur, sed introducens id quod maximi momenti est, fortiter confirmat *(en effet, effectivement, vraiment)* v. g.
Enim vero, inquit Crassus, mirari satis non queo *(effectivement)*.
Enim vero jam nequeo contineri *(en vérité)*. — *Enim vero*

ferendum hoc quidem non est *(voilà en effet qui n'est pas supportable)*.

Enimvero nimis graviter cruciat adolescentulum *(il faut avouer)*.

Enimvero illud se tacere suam conscientiam non pati.

Item in responsis : Tu negas ? — *Nego enimvero (oui, je le nie)*.

Utrum vis ? — *Enimvero* utrumque *(l'un et l'autre, ma foi)*.

M. Quae notio subjecta est conjunctioni **verum enimvero** ?

C. Fortissima conjunctio est adversativa (= sed confirmare et asseverare possum ; *mais en realité* ; *mais que dis-je ?)* v. g.

Si ullo in loco ejus provinciae frumentum tanti fuit, quanti iste aestimavit, hoc crimen in istum reum valere oportere non arbitror. *Verum enimvero* cum esset sestertiis binis aut etiam ternis quibusvis in locis provinciae, duodenos sestertios exegit.

M. Quid significat *ego vero ?*

C. Transitionem orationis aliquam = age porro ; age ergo *(eh bien, mais)* v. g. Age vero, ceteris in rebus quali sit temperantia considerate *(mais considérez)*.

Iam vero (jam porro) transitionem indicat ad partem majoris momenti *(Qui plus est, en outre, ce n'est pas tout)*.

Tum vero in narratione historica versionem actionis indicat v. g.

Tum vero Appius furere *(mais ce fut alors que)*.

M. Quae vis subjecta est conjunctioni *at* ?

C. ***At*** opponit notionem aliquam priori contrariam, quae tamen compensat aut compensando infirmat, = contra v. g.

Non ego, *at* tu vidisti (quod mihi idem est). Brevis a natura nobis vita data est, at memoria bene redditae vitae sempiterna.

Non placet Antonio consulatus meus ; *at* placet Servilio. Non est in parietibus respublica ; *at* est in aris et focis. Non cognoscebantur foris, *at* domi.

M. Quid significat *at* vel *at enim*, cum inchoat oppositionem veram aut fictam ?

C. Significat : *Sed objiciet quisquam* v. g. *At* multi sunt imbecilles senes. *At* eum nihil facit. *At enim* istum Siculi solum persequuntur. *At enim* Sulla legem tulit.

Saepius orator ipse sibi opponit v. g. Quid porro quaerendum est, factumne sit ? *at* constat : a quo ? *at* patet.

Item *at* oppositionem inchoat in dialogo v. g. A. Da mihi aliquid. B. *At* ego nolo dare quidquam. A. Equidem hostes exspectabo. B. *At* id quidem absurdum est.

At praeterea praeponitur exclamationibus v. g. *At* videte hominis audaciam *(mais)* ! *At* quae mater ! *At* quem hominem ! *At* pudeat ! *At* te Iupiter perdat ! *At* tibi dii bene faciant omnes ! *At* per deos immortales quid est quod dici possit ! *At* etiam resistas *(quoi, tu)*. *At* vobis male sit *(ah, soyez maudits)* !

Apud quosdam auctores (Sallustius, Virgilius, Tacitus) *at* nonnunquam substituitur in locum conjunctionis *autem*. *At* illi secuti sunt eum (pro : illi autem). *At* pius Aeneas, etc.

M. Quid significat *at*, cum sententia concessiva vel conditionalis antecedit ?

C. Significat *saltem* v. g. Homo etsi non sapientissimus, *at* amicissimus. Quintius Naevium obsecravit, ut aliquam, si non propinquitatis, *at* aetatis suae, si non hominis, *at* humanitatis rationem haberet. Si tua consilia torpent, *at* tu mea sequere. Si tibi non fortuna dedit, *at* natura certe dedit.

M. *At enim* non solum inchoat objectionem, sed terminis etiam circumscribit quod antecedit (= sed enim) v. g.

Ita faciam, *at enim* non sine meo periculo. Possum te reprehendere, *at enim* vereor.

Attamen, at vero, at enim vero = sed tamen *(cependant).*

Quae est significatio conjunctionis *atqui*, Faustine ?

F. Conjunctione **atqui** sententia illa quidem, quae antegreditur conceditur, sed ei aliquid opponitur v. g. Non sum apud me. *Atqui* opus est nunc cum maxime ut sis *(c'est pourtant le moment de).*

Magnum narras, vix credibile. *Atqui* sic habet *(c'est pourtant la vérité).*

O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem. *Atqui* explicanda est *(il faut pourtant bien l'expliquer.)* Modum statuarum haberi nullum placet ? *Atqui* habeatur necesse est *(il faut pourtant bien.)*

Videtis nihil esse morti tam simile quam somnum. *Atqui* dormientium animi maxime declarant divinitatem suam.

M. *Atqui* praeterea in argumentatione usurpatur ; quomodo ?

F. *Atqui* in conclusione logica inducit assumptionem seu propositionem minorem v. g. Quodsi virtutes sunt pares inter se, paria etiam vitia esse necesse est. *Atqui* pares esse virtutes facillime potest perspici *(or).* Mors aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum, aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. *Atqui* tertium certe nihil inveniri potest *(or il ne saurait y avoir de milieu).*

Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum.

M. Quae vis subjecta est conjunctioni **tamen,** Libori ?

L. Gallice significat : *cependant, pourtant, néanmoins, toutefois.*

Respondet conjunctionibus concessivis : quamquam, etsi, etiamsi, quamvis, licet, cum, quae saepius audiuntur seu cogitando explentur v. g.

Quamquam abest a culpa, suspicione *tamen* non caret.

Tametsi verissimum esse intelligebam, *tamen* credibile fore non arbitrabar. *Quamvis* sit magna, *tamen* eam vinces. Quae *tametsi* animus aspernabatur, *tamen* imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur. *Licet* tibi significaverim, ut ad me venires, *tamen* intelligo te re istic prodesse.

Etsi abest maturitas aetatis, jam *tamen* personare aures ejus hujusmodi vocibus non est inutile. *Ut* desint vires, *tamen* est laudanda voluntas. *Cum* ea ita sint, *tamen* obsides sibi dentur.

M. Potestne *tamen* respondere conditioni *si* ?

L. Sane quidem ; apud ipsum Ciceronem ejusmodi exempla invenimus v. g. Si quinque hominum millibus locus quaeritur, *tamenne* patiemini firmari opes ? Si testium studium cum accusatore sociatum est, *tamenne* isti testes habebuntur ? Nemo est tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas, contumelia *tamen* et dedecus magno opere moveat *(du moins).* Satis nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil *tamen* avare, nihil injuste esse faciendum *(nous devrions encore ne rien faire).*

M. Estne haec sententia emendata : Accusatus capitis absolvitur ; multatur *tamen* pecunia ?

L. Quin sit, nihil dubito, quia *tamen* hic respondit cogitationi concessivae = *Etsi* capitis absolutus est, *tamen* multatur.

Hi non sunt molesti, sed *tamen* insident et urgent *(toutefois).* Difficile factu est, sed conabor *tamen.* Quae dura quidem sentit esse, verum*tamen* usu putat posse molliri.

M. Quid interest inter : *hoc tamen* et *tamen hoc ?*

L. Cum dico v. g. Etsi munera abhorreo, *hoc tamen* accipio, — *tamen* pondus affert pronomini ; cum dico : *tamen hoc* accipio, — *hoc* et *accipio* ejusdem sunt ponderis.

M. Licetne dicere *tamen autem, tamen vero, ut tamen ?*

L. Nunquam. Latinum est : *Sed tamen ; sed ut.*

M. Nunquam praeterea inveni *tamen si* pro *si tamen* v. g. Si tamen illi non gravantur. Circa me tantum benignitate nimia modum excessit : nisi quod tamen poetis mentiri licet.

Cum *tamen*, ut hoc addam inchoat sententiam in qua est negatio aliqua, *non tamen* latine fit *neque tamen* v. g.

Multi e naufragio in terram evaserunt : *neque tamen* fieri potuit, ut omnes a morte servarentur.

Nonne *porro* quoque est conjunctio adversativa, Probe ?

P. **Porro** transitionem atque progressum argumentationis (= *or, donc, maintenant*), neque vero unquam nisi forte apud Quintilianum et alios auctores aetate posteriores *contrarium* significat v. g.

Sequitur *porro* nihil deos ignorare *(or il s'en suit que)*. Videte jam *porro* cetera *(maintenant)*. Quid *porro* est facere contumeliam *(donc)*. Quid *porro* praeclarum putet in rebus humanis *(donc)*. Age *porro*, tu qui te jam religiosum existimari voluisti *(voyons donc, toi qui)*. Laetabatur, *porro* autem anxius erat *(d'un autre côté, par contre, mais)*.

M. Quid significat *porro* proprie ?

P. Gallice *en avant* = ut procedamus. Neque vero unquam significat *deinde, tum, praeterea*, quibus adverbiis ad enumerandum utimur.

Pro *porro* saepius invenimus *jam vero (qui plus est : ce n'est pas tout* ; ut jam veniamus ad illud).

M. *Porro* aliam etiam significationem habet ; quam ?

P. Significat successionem = *puis, ensuite, à son tour* v. g.

Saepe audivi a majoribus natu, qui se *porro* pueros a senibus audisse dicebant *(à leur tour)*. Ut quisque audierat... ex templo aliis *porro* impertiebat gaudium *(à son tour)*.

M. Quid significat **contra,** Semproni ?

S. Significat gallice : *au contraire* v. g. Hostes crebri cadunt : nostri *contra* ingruunt *(fondent sur eux)*. Ut hi miseri, sic *contra* illi beati. Cognoscere quid boni utrisque aut *contra* esset.

Cui rei ego tantum abest, ut impedimento sim, ut *contra* te adhorter.

M. Estne hoc emendatum : Alia metalla sunt leviora, alia *e contra* graviora ?

S. *E contra* non invenitur apud bonos auctores, qui dicunt : *contra* vel *e contrario*.

M. Apud Caesarem, Cornelium Nepotem, Livium haud raro invenias **contra ea**; quid significat *contra ea* ?

S. Idem significat quod *contra* (cf. propter*ea*, inter*ea*) v. g. Eo loco manendum et rem proelio committendam existimabant. *Contra ea* Caesar militibus perterritis non satis confidebat. *Contra ea* pleraque nostris moribus sunt decora, quae apud illos turpia putantur. *Contra ea* Dinon scripsit.

Ego *contra ea* totam Graeciam liberavi. Pater Thracem me genuit, *contra ea* mater Atheniensem. Summa fide mansit Agesilaus : *contra ea* Tissaphernes bellum comparavit.

M. Estne haec sententia emendata : Contrarium doloris est voluptas ?

S. Nego esse ; nusquam enim *contrarium* apud auctores est substantivum, sed semper adjectivum, quod congruit cum subjecto v. g. *Contraria* doloris vel dolori est *voluptas*.

Vitium virtuti (virtutis) est *contrarium*. Laus vituperationi est *contraria*.

Neque latinum est : Contrarium fecit quam jussum erat ; Nescio utrum felix sit an contrarium ; sed :

Contra fecit ac erat jussum ; nescio utrum felix sit an *contra*.

Vides omnia fere *contra* ac dicta sint, evenisse.

Dixit *contra* ac sentit.

4. De conjunctionibus conclusivis.

M. Quae sunt conjunctiones conclusivae, Tiberi ?

T. *Ergo, igitur, itaque, proinde.*

Ergo et *igitur* conjunctiones sunt conclusionis logicae.

M. Quid significat **ergo** ?

T. Gallice : *par conséquent, donc* v. g.

Negat haec filiam me suam esse : non ergo haec mater mea est.

M. Quid significat *ergo* in interrogationibus aut conjunctum cum Imperativo ?

T. Gallice : *donc* v. g. Ergo haec veteranus miles facere poterit, doctus vir sapiensque non poterit ? Dic ergo ; ausculta ergo ; vide ergo. Pergamus ergo ad reliqua. Ergo hinc capiamus exordium.

M. Estne hoc latinum : Ejus *victoriae* ergo ; *funeris* ergo ; ejus *legis* ergo ?

T. Non dubito quin sit ; namque idem significat quod : Ejus victoriae, funeris, legis *causa ;* sed vix invenitur nisi in solemnibus asseverationibus, in tabellis et legibus.

M. Quid interest inter *ergo* et **igitur** ?

T. *Ergo,* conjunctio propria conclusionis logicae, probat, quamquam *igitur* non minus saepe eodem sensu usurpatur ; *igitur* autem consecutionem indicat, quae ex se intelligitur. Gallice dicimus *donc ; par conséquent.*

Si mentiris, mentiris ; mentiris autem : mentiris igitur.

Solem prae jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis : in umbra igitur, inquit, pugnabimus.

M. Quem locum tenet *igitur* in sententia ?

T. Plerumque alterum vel tertium, sed etiam primum et quartum v. g. *Igitur* expone nobis. Quid *igitur* faciam ? Quid *igitur* causae fuit ? Haec *igitur* est tua disciplina ? In quo *igitur* loco ? Ecquis est *igitur* qui illud probarit ? Pro his *igitur* omnibus rebus. In hujusmodi *igitur* causa.

Ille mihi videtur *igitur* vere augurari.

Huic homini parcetis *igitur,* judices ? Quae est melior *igitur* in hominum genere natura ?

M. Falsum est *igitur* conjunctum cum *qui (quae, quod),* cum relativum id resumit, quod praecessit v. g. In magno versabatur periculo. *Quod igitur* ut vitaret, etc. ; pro : *Quod,* ut vitaret, etc.

Item falsum est : *et (atque) igitur* vel *igiturque ;* pro : *et idcirco, et proinde, et ideo, ideoque.*

Neque latinum est : *nec (neque) igitur ;* sed : *nec ideo,* cum de conclusione agitur.

In sententiis negativis apud Ciceronem saepius invenimus pro *igitur* conclusivo conjunctionem **idcirco** v. g. Non si Opimium defendisti, idcirco te isti bonum civem putabunt.

Quid significat *idcirco* in ejusmodi sententiis ?

T. Significat : Etsi hoc est, minime tamen sequitur, ut v. g. Nec, si is, qui accepit, bene utitur, *idcirco* is, qui dedit, amice dedit.

Si non juravit, *idcirco* de Cajo judicabatur ?

Non si causa justa est, *idcirco* est licita.

Nec si quid discere satis non est, *ideo* nec necesse est.

Quae vis inest in conjunctione **itaque,** Aemiliane ?

A. Ei inest vis explicativa (gallice : *ainsi, donc, par conséquent, c'est pourquoi)* = Et ita fit vel factum est, ut.

Itaque primum sententiae locum tenet, id quod historici tamen v. g. Livius non semper observant.

Partiendum sibi ac latius distribuendum exercitum putavit. *Itaque* Labienum in Treviros cum exercitu mittit. In Phocione tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire. *Itaque* a servis sepultus est. Sed multa sunt suavitatis praecepta. *Itaque* etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, judicandum. Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum.

M. Latinum non est : *quod itaque, quo itaque*, etc., neque : *et itaque*. Satis est : *itaque ; et ideo, et idcirco*.
Emendatum contra est : *itaque ergo*. nisi de conclusione agitur, quae exigit *igitur*.
Quae est significatio conjunctionis *proinde* ?

A. **Proinde** indicat consecutionem postulationis vel voluntatis, quam ob rem non conjungitur nisi cum Imperativo aut cum Conjunctivo.
Gallice significat : *ainsi, donc, par conséquent* v. g.
Proinde fac animum tantum habeas. *Proinde* aut exeant aut quiescant. *Proinde*, si quid in nobis animi est, persequamur eorum mortem. *Proinde*, si sapis, vide, quid tibi faciendum sit.

M. Conjunctiones ergo, igitur, itaque, proinde ad ea se referent quae antecedunt ; ideo, idcirco, propterea *(pour cela, pour cette raison)* sententia explicantur, quae sequitur. — Affer aliquot exempla.

A. Re quidem ipsa ideo mihi non satisfacio *(je suis content de moi-même)*, quod nullam partem tuorum meritorum consequi possum. Quod multos dies epistolam in manibus habui, ideo multa conjecta sunt. Idcirco nemo superiorum attigit, ut iste (Verres) tolleret ? Ideo Claudius Pulcher retulit, ut Verres auferret ?
Quia mihi natalis est, propterea te vocari ad coenam volo. Haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero ignosceret.

5. De conjunctionibus causalibus.

M. Quae sunt conjunctiones causales, Claudi ?

C. ***Nam, namque, enim, etenim.***
Nam, namque, etenim inchoant sententiam ; *enim* alterum vel tertium locum occupat.

M. Cur *namque* et *etenim* in initio sententiae collocanda sunt ?

C. Quia *que* et *et* indicant hanc sententiam et eam, quae antecedit, arcte inter se esse nexas. Apud Livium tamen et alios auctores aetate posteriores invenimus etiam : *Is namque ; incertum namque ; ibi namque ; mire namque.*

M. Recentiores haud raro *etenim* quoque secundo loco collocant, quod non est imitandum.
Quid interest inter *nam* et *enim* ?

C. *Nam* probat, *enim* explicat. Sunt qui dicant *nam* afferre causam objectivam, *enim* causam subjectivam ; *nam* saepius excipere sententiam negativam, *enim* sententiam affirmativam. *Nam* plerumque anteponitur conjunctioni *etsi* ; *etenim* conjunctioni *si* ; *nam* saepius relativo, *enim* demonstrativo v. g. Nam qui... ; ille enim.

M. Affer exempla.

C. Is pagus appellabatur Tigurinus. *Nam* omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est. Quam ob rem, Quirites, celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris. *Nam* multi saepe honores diis immortalibus justi habiti sunt, sed profecto justiores nunquam.
In quo vix dicere audeo, quam multa saecula hominum teneantur. *Namque* ut olim deficere sol exstinguique visus est...
Praeclare quidem dicis ; *etenim* video jam, quo pergat oratio. Ennius ita ferebat, dico, quae maxima putantur onera paupertatem et senectutem, ut eis pene delectari videretur. *Etenim* cum contemplor animo, quatuor reperio causas, cur senectus misera videatur.
Ejus rei *enim* causa. Quae potest *enim* esse memoria falsorum ?
Ratio est *enim*. Quid est *enim*. Nihil est *enim*. Hic est *enim* ille vultus.

M. Quid Gallice significat *etenim* ?

C. *Et en effet ; et à la vérité ; car.*

M. Licetne dicere : *nam non* ?

C. Plerumque pro *nam non* invenimus *neque enim, non enim.*

M. Audivi non licitum esse uti *namque* nisi ante vocalem. Quomodo res se habet ?

C. Cicero istud praeceptum observat, non item ceteri auctores.

M. Estne haec sententia emendata, Sulpici : Quatuor sunt virtutes *scilicet* prudentia, justitia, etc. ?

S. Minime gentium. Nunquam enim verba **scilicet, videlicet, nimirum, nempe** apud veteres vim habebant explicativam (ut *nam, enim)* ; sed factum indicant jam notum, rem, quae ex se intelligitur (gallice plerumque = *naturellement).*

Dicendum est igitur : Quatuor sunt virtutes : prudentia, justitia, etc. sine *scilicet,* quo scriptores nostrae aetatis tantopere delectantur.

Licet tamen dicere v. g. Quatuor necessariae sunt virtutes : prudentia, *dico,* justitia, etc. Tria vitia operis tui reprehendo, *quae sunt....*

Pro : Omnia bene fecit, *scilicet* Deus, dicimus : *audi* Deus.

M. Demonstra jam accuratius verba *scilicet, videlicet, nimirum, nempe* in exemplis, quae protulisti, non esse suo loco.

S. *Scilicet* (= scire licet), *videlicet* (= videre licet) significant : facile cogitari, facile videri potest, *il est clair, il est évident, assurément, apparemment, sans doute, naturellement.*

Haud raro haec verba per ironiam usurpantur v. g.

Homo *videlicet* timidus et permodestus vocem consulis perferre non potuit. Ad sodalem tuum, virum optimum M. Marcellum demigrasti, quem tu *videlicet* ad custodiendum te diligentissimum fore putasti.

Omnes exspecto, primum te *scilicet (naturellement).*

De oratore loquor, summo *scilicet (j'entends l'orateur parfait).*

Me quidem species quaedam commovit, inanis *scilicet*, sed commovit tamen. Quid metuebant ? Vim *videlicet (sans doute).*

Nihil *scilicet* novi, tamen respondendum esse puto. Vobis nihil timendum est *videlicet.*

M. Quid significant *nimirum, nempe ?*

S. *Nimirum* (= ne mirum) = nemo dubitat nec miratur. Gallice : *certes, assurément, sans doute, en vérité, apparemment* v. g.

Res *nimirum* omnium maxima *(certainement).*

Luxuries igitur hominem *nimirum* et aeris alieni magnitudo ad hoc scelus impulerunt. Nihil ejusmodi invenio ; itaque incognito *nimirum* assentiar, id est, opinor.

Aperienda *nimirum* janua *(il fallait ouvrir, n'est-ce pas)* ?

Nempe (= nam pte) idem fere significat ; gallice : *en effet, c'est que, assurément, sans doute* v. g.

Si pecuniam dat, *nempe* idcirco dat, ut, etc. *(s'il donne, apparemment c'est pour que).* Memini : *nempe* illum dicis, qui, etc. *(je me souviens : sans doute tu veux parler de).*

Nempe dixi *(sans doute, oui je l'ai dit). Nempe* ut curentur recte haec *(ainsi tu veux qu'on prenne soin de cela)* ?

Nempe uxor ruri est tua. *Nempe* hic tuus est *(ainsi donc)* ?

Sum *nempe* receptus *(en effet).* Recte ego *nempe* has fugi nuptias.

Nempe haud raro subsequitur interrogationes aut veras aut animo tantum conceptas, pro verbo cum vi repetito v. g. Quae vita tribuitur isti deo ? *Nempe* ut contorqueatur *(quelle vie accordez-vous à ce dieu ? Celle d'un tourbillon, n'est-ce pas ?)* Ejus consulatus in quibus actibus constitit ? *Nempe* in legibus. Penes quos igitur sunt auspicia majorum ? *Nempe* penes patres. At avus nobilis. (Quis avus ?) Tuditanus *nempe* ille, qui nummos populo de rostris spargere solebat.

APPENDIX.

DE VERBORUM ET SENTENTIARUM COLLOCATIONE.

A. De verborum collocatione grammatica.

M. Verba sententiae latinae aut grammatice aut logice (rhetorice) collocari possunt. Grammatica collocatione utimur in sermone simplici et quotidiano; logica vel rhetorica, cum quibusdam verbis plus ponderis affere volumus. Quomodo igitur verba sententiae latinae grammatice collocantur, Turibi?

T. Omnis sententia a subjecto incipit et praedicato terminatur; quae partes autem subjectum et praedicatum complent utrique interponuntur.

Tempus praeterit, mors appropinquat. Sol lucet. Lacedaemonii Lysandrum ephorum expulerunt. Coelius in Palatino domum non magnam conduxit. Dionysius tyrannus Locris fanum Proserpinae expilavit. Aristides Atheniensis plebiscito in patriam restitutus est.

M. Quem locum tenent attributa subjecti, ut adjectivum, appositio, Genitivus attributivus, substantivum conjunctum cum praepositione aliqua?

T. Subsequuntur subjectum v. g. tempus *nocturnum*, jus *civile*, pater *meus*, domus *tua*, res *familiaris*, dii *immortales*. Philippus, *rex Macedonum*, Pompejus, *nostri amores*. Brutus et Cassius, *interfectores Caesaris*.
Salus *patriae*. Lumen *imperii*. Amor *Dei*. Moenia *urbis*.
Pietas *erga parentes*. Odium in *Romanos*. Clementia *adversus hostem*.

Pronomen tamen demonstrativum nomini suo praeponitur v. g. *Illud* oppidum, *ille* homo, *haec* terra, *illa* victoria, *illud* donum.

M. Ceterae partes, quae praedicatum complent, ubi collocantur, Vincenti?

V. Partes ad complendum praedicatum maxime necessariae, quae cum eo quasi in unam notionem confunduntur, aut proxime antecedunt vel subsequntur v. g.
Caesar Galliam omnem *in obsequio habuit*. Necessitudo etiam timidos *fortes facit*. Me *beneficio affecit*. Flaccus ex Asia *in Macedoniam migravit*. Homini pecuniam *dono dedit*.
Cicero Verrem *avaritiae* nimiae *coarguit*. Themistocles absens *proditionis est damnatus*. Miltiades *accusatus est proditionis*.

M. Quam rationem instituis, si diversi casus conjuncti sunt cum verbo?

V. Accusativus antecedit verbum, Dativus Accusativum v. g. *Parentibus vitam* debemus. Magister *pueris fabulam* narrat.
Cum verbum conjunctum est cum gemino Accusativo, Accusativus personae alterum antecedit v.g. *Pueros grammaticam* docemus.

M. Quem locum assignas tempori, loco, causae, rationi?

V. Antecedunt Accusativum et prout aliud alio majoris putatur momenti, ordine praecedit v. g. Dionysius Locris fanum Proserpinae expilavit. Diomedon magno cum pondere auri Thebas venit. Hannibal ad Trebiam Romanos devicit. Caesar eodem anno apud Pharsalum Pompejum devicit. Servius Tullius magno consensu rex est declaratus. Galli Romam ad senatum venerunt.

Item Infinitivus, Supinum exiens in *um*, Ablativus absolutus antecedunt verbum finitum v. g. Venae et arteriae *micare* non desinunt.
Coriolanus in Volscos *exulatum* abiit. Omnia benefacta in luce se *collocari* volunt. Volsci *abjectis armis* se tradiderunt.

Adverbia verbis suis praeponuntur; adverbia autem *quidem, fere, paene, prope, certe* sequuntur verbum, cum notionem ejus circumscribunt et definiunt v. g.
Omnes *fere* sic agunt.

Non video causam, cur ita sit, hoc *quidem* tempore. At id *quidem* nostris moribus nefas habetur. Non *paene* sum deceptus.
Ego *certe* non promitto. Vir *eximie* doctus. *Satis* multum.
Domus *celeriter* exstructa.

B. DE VERBORUM COLLOCATIONE LOGICA VEL RHETORICA.

M. Cur verborum collocatio grammatica non semper retinetur, Ambrosi ?

A. Orator usitato ordine relicto saepius quaedam sententiae verba in loco magis conspicuo collocat, quo facilius eorum vis et gravitas appareat. Itaque haud raro invenimus praedicatum ante subjectum, adjectivum ante nomen substantivum, pronomen demonstrativum post nomen suum, etc. Modo verbum maximi momenti sententiam incipit,modo eam terminat, id quod maxime fit in sententiis conjunctionalibus, in sententiis conjunctis relativis, in conjunctione Accusativi cum Infinitivo.

1. Praedicatum praeponitur subjecto.

v. g. Tantum cibi et potionis adhibendum est, ut *reficiantur vires*, non opprimantur. Quod non *dedit fortuna* non eripit. *Jacet corpus* dormientis, ut mortui ; *viget* autem et *vivit animus.*
*Eripiet extorquet*que tibi ista *populus Romanus.* Tyrii interrogabant, num *major* Neptuno *esset Alexander.*

M. *Esse,* cum Gallice significat *exister,* incipit sententiam v. g. *Est* coeleste numen. *Est* profecto vis illa. *Fuit* illa ista quondam in hac republica virtus.

Negationes autem : *nemo, nihil, nullus,* comparativum et superlativum *esse* eleganter subsequitur : *nemo est, nihil est* tam difficile, *nulla est* enim vis. *Facilius est* currentem incitare, quam commovere languentem. *Miserrima est* omnino ambitio.

2. Adjectivum praeponitur nomini substantivo.

Affer exempla, Corneli.

C. Temeritas est *florentis* aetatis, prudentia *senescentis.*
Romana acies, audacia regis accensa, fundit Sabinos.
Praestantissimis ingeniis homines se ad philosophiae studium contulerunt. *Omnem civilem* victoriam funestam putabant.
Parvis copiis bella gesta sunt cum *opulentis* regibus.
Meum consilium accommodabo potissimum ad tuum.
Sua vitia insipientes et *suam* culpam in senectutem conferunt.

M. Cum duo adjectiva ejusdem sunt ponderis, nomine substantivo separantur v. g. Cruentum *bellum* diuturnum.
Honesta *mulier* pauper. Mithridatico *bello* superiore. Privata *navis oneraria* maxima.
Contra comparativus, superlativus, numeralia, adjectiva, quae in Genitivo faciunt *ius,* ut totus, solus, etc. et adjectiva omnis, singuli, reliqui, multi, ceteri, talis, alienus, quodvis, quodlibet, eleganter sequuntur substantivum v.g. Spe *uberiore,* praemiis *amplioribus,* honoribus *amplissimis,* laboribus *maximis,* mons *altior,* mons *altissimus.*
Anni *decem* interfuerunt. Puer *octo annorum.* Annum jam *tertium et vicesimum* regnat. Stadia *centum viginti.* Annus *tertius* aetatis *et sexagesimus.* Patria *una* omnes amplexa est. Rerum *omnium* satietas. Laus *omnis* in actione consistit.
Qui ratione *nulla* vincerentur. Difficilis est cura rerum *alienarum,* etc.

Sed : *Talis* nemo, *tale* nihil, *aliud* nihil.
Item adjectiva bisyllaba eleganter collocantur post substantiva plurium syllabarum v. g. Amicitia *vera,* administrator *prudens,* animo *aequo,* nuntius *laetus.*
Cum duo adjectiva copulata sunt conjunctionibus *et, ac,*

pronomen interponitur v. g. Clarus *ille* atque nobilissimus vir.

Pergat Faustinus.

3. Genitivus attributivus praeponitur nomino suo.

F. *Corporis* gravitatem et dolorem animo judicamus, *animi* morbum corpore non sentimus. *Stellarum* globi *terrae* magnitudinem facile vincunt. *Animi* magna, *vocis* parva contentio.

Pythagoras *sapientiae* studiosos appellat philosophos.

Hic modus tum praecipue in usu est, cum Genitivus unam cum nomine, unde pendet, notionem efficit v. g. *terrae motus, belli fortuna, animi praesentia, vis, tranquillitas, confirmatio, alienatio,* etc.

Ingenii contentio, cultus, acies, infirmitas, exercitatio.

Oculorum judicium, mentis error, corporis voluptates, morum dissimilitudo, litterarum commercium, etc.

M. Quid, si duplex Genitivus pendet ex aliquo nomine ?

F. Genitivus subjectivus alterum antecedit v. g. *Helvetiorum* injuriae populi Romani.

M. Pergat explicare Liborius.

4. Appositio praeponitur nomini suo.

L. Romani cum Armeniorum *rege Tigrane* grave bellum perdiuturnumque gesserunt. *Duae urbes potentissimae, Carthago et Numantia,* a Scipione sunt deletae.

Omitto Graeciam atque illas *omnium doctrinarum inventrices Athenas.*

M. *Provincia* tamen nomini proprio plerumque praeponitur : *Provincia* Macedonia, Bithynia, Syria.

Item : *rex, imperator* v. g. *Rex* Antiochus, *rex* Deiotarus, *imperator* Valerius ; *a* littera, *m* littera, *urbs* Roma.

Item nomen plerumque antecedunt laus aut vituperatio ejusdem v.g. Parentibus clarissimis ortus Valerianus. Adolescens indole summa praeditus Cajus. Vir summo ingenio summaque prudentia Cotta. Nos hic cum homine gladiatore, omnium nequissimo, collega nostro, bellum gerimus.

Vocativus collocatur juxta pronomen secundae personae v.g. Eoque magis est *tibi, Cotta,* et *tibi, Sulpici,* vigilandum. Recte *te, Cyre,* beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta est. Pater *tuus, Valeri,* consul fuit. Cupio jam vigiliam meam, *Brute, tibi* tradere. Exponam enim *vobis, Quirites.*

Denique substantivum cum praepositione attributivum nomini suo praeponitur v. g. Aristoteles in tertio *de philosophia* libro multa turbat. Ista mihi perjucunda fuit *a proposita oratione* digressio. Caesaris *in Hispania* res secundae in Africam nuntiis ac litteris perferebantur.

Quid restat, Probe ?

5. Aliae partes sententiae, quae plerumque antecedunt, postponuntur.

P. Pronomen demonstrativum substantivo suo : *tempus illud.* Quae fuerunt *vitia illa* ? Neque Aristotelem *istum* neque philosophum quemquam desidero.

Casus obliqui postponuntur verbo : Nulla vitae pars *vacare officio* potest. Themistocles non *effugit* civium suorum *invidiam.* Gravius est *spoliari fortunis,* quam non *augeri dignitate.*

Infinitivus et Supinum postponuntur verbo finito :
Sunt, qui, quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audeant dicere. Athenienses *miserunt* Delphos *consultum,* quidnam facerent de rebus suis.

Adverbia postponuntur verbis suis :
Decet oratione prudenter uti, et agere, quod agas *considerate.*

Facilius *multo* pro tua singulari prudentia judicabis. Tempestas autem erat saeva *valde*.

Quod verbum denique pluribus sententiae partibus commune est, id illis aut praeponitur aut postponitur v. g. Bellorum non causas modo, sed etiam exitus *cognoscere*. In *scriptoribus* legendis et imitandis. *Alexander* cum audisset Darium appropinquare, ei obviam ivit. (Falsum est cum Alexander audisset).

Idem praeceptum valet, cum de comparativo agitur v. g. Eloquentiae quam divitiarum copiam habere, *commendabilius* est.

Accipere quam facere praestat *injuriam*. Amicitia quam pecunia *delectat amplius*. Italiam quam domum suam *ornare maluit*. *Malo* non intelligi orationem meam quam reprehendi. *Morbi* perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis. Id re quam verbis *faciam libentius*. *Quamvis sit* ejus nomen quam Solonis illustrius.

M. Maximum pondus verbis affertur, qui collocantur aut in initio aut in fine sententiae. Affer exempla.

P. Tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara *per se*. *Concordia* parvae res crescunt, *discordia* dilabuntur. Vitiorum peccatorumque omnis a philosophia petenda correctio est.

Luce clariora nobis sunt tua consilia. *Cito* arescit lacrima. *Facilius* illud intelligo. *Aetas* non impedit, quo minus litterarum studia teneamus usque ad ultimam senectutem.
A malis mors abducit, non a bonis. Hadrianus finem imperii esse voluit *Euphratem*. Ex inimico cogita fieri posse *amicum*. Et ita plerumque in Accusativo cum Infinitivo.

Item nemo, nullus, nihil, omnis, comparativus et superlativus saepius collocantur in fine v. g.
Helvetii dicebant sibi esse in animo iter per provinciam facere, quod aliud iter haberent *nullum*.

M. Verba significantia praeterea conspicua fiunt distentione, juxtapositione, chiasmo.

1. De Distentione.

Quid est distentio, Semproni ?

S. Distentio est illa verborum conformatio, qua bina verba inter se arcte conjuncta, ut substantivum et adjectivum, substantivum et Genitivus attributivus, aliis minoris momenti verbis separantur v. g.
Rerum nomina *novarum*. Si *quid* est in me *ingenii*. Non suo, sed *populorum* suffragio *omnium*. Sicilia saepe *maximis* terrae *motibus* conquassata est. *Objurgationes* nonnunquam incidunt *necessariae*. Sapientes *nullum* pro salute patriae *periculum* vitant. *Magna* adhibita *cura* est a providentia deorum. *Multis* ante *annis*. *Paucis* post *diebus*. Videsne quam *magna* sit *dissensio* ?
Quam ille *facile* esset *consecutus*. *Nimis* mihi videor *multa* in genera digessisse. Desine bonos *petulantissima* consectari *lingua*. *Multo* ejus *oratio* esset *pressior*.
Epistola copiose et suaviter *scripta*. *Philosophia* omnium *mater* artium. *Magna tua* in omnes *liberalitas*.

M. Saepissime interponitur pronomen personale v. g. Merita *erga me* tua. Benevolentiae tuae *in me* magnitudo. Hic *me* dolor angit. Haec *me* cura sollicitat. Ad amicitiam *se* meam contulit. Magna *me* molestia liberabis. Catonem *mihi* tuum mitte.

Ista *mihi* tua fuit perjucunda a proposita oratione digressio.
Cujus cum patre magna *mihi fuit* amicitia.

Per praepositio in contestationibus plerumque a casu suo separatur v.g. *Per* ego te *deos* oro. *Per* ego vos *decora* majorum oro et obtestor. Nolite, judices, *per* vos *fortunas vestras* inimicis meis dare laetitiam. Patres conscripti, *per* vos *liberos* et *parentes*, subvenite misero mihi.

Ceterae praepositiones a casu suo nisi Genitivo aut adverbio non separantur v. g. Inter *hostium* tela. Propter *Hispanorum*, apud quos consul fuerat, injurias. Ad *bene beateque* vivendum.
Post vero *Sullae* victoriam. Praeter *enim* tres disciplinas.

2. De Juxtapositione.

M. Quid est juxtapositio, Tiberi ?

T. Juxtapositio est illa verborum conformatio, qua bina verba similia aut contraria juxta componuntur v. g.
Manus manum lavat. Quaedam *falsa veri* speciem habent. *Tua te* virtus ducit ad verum decus. Sublato *tyranno tyrannida* manere video. *Mea me* delectant maxime. *Omnem omnium* rerum scientiam. Quamdiu *vixit, vixit* in luctu. In proeliis *exsultant, lamentantur* in morbo. *Homines hominibus* plurimum obesse vel prodesse possunt. Quid est fletu *muliebri viro* turpius. *Tu te* ipse in custodiam dedisti. *Amavi amorem* tuum. *Timorem timor* vincit.
Adjectivo *alius* autem in hoc genere sic utimur :
Sunt *alii ad alios* morbos procliviores (= alii procliviores sunt ad hunc morbum, alii ad alium). *Alius alio* dicendi genere gaudet. *Aliis alius* vincendi mos est. *Aliis alii* rebus delectati sunt. Virtutum in *alia alius* vult excellere. *Alii aliter* cum suis vivunt. Eadem *aliter alibi* nuncupantur. *Aliis aliunde* periculum. *Alii alio* confugiunt.

3. De Chiasmo.

M. Quid est chiasmus ?

T. Est collocatio verborum in decussem. Cum enim de quaternis verbis bina sibi sunt contraria, eorum repugnantia eo maxime significatur, quod duo ceteris duobus circumclusa juxta vel quam proxime componuntur.
Ita primum contrarium apparet quarto, tertio secundum.
v. g. FRAGILE *corpus animus* SEMPITERNUS movet.

M. Cur hic modus appellatur chiasmus ?

T. Chiasmus dicitur a X, littera graeca, quia formam hujus litterae habet v. g.

Fragile X *corpus*
animus *sempiternus*

Ratio nostra consentit, pugnat oratio. Non video, quomodo sedare possint mala praesentia praeteritae voluptates. Honesta in virtute ponuntur, in vitiis turpia. Qui dedit beneficium taceat ; narret qui accepit. Corporis robore utare dum adsit ; dum absit ne requiras.

Nonnunquam chiasmus non plus quam tribus, nonnunquam plus quam quatuor verbis consistit v. g.
Proelium uno animo, voce una poscunt (*unus* repetitur).
Quod nobis non licet, liceat illis (*licere* repetitur).
Leges supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

c. De sententiarum collocatione.

M. Quae leges valent, Aemiliane, in sententias collocandas ?

A. Cum sententia conjuncta locum tenet attributi, objecti, adverbii, subjecto et praedicato sententiae absolutae interponitur ; si vero locum tenet subjecti, sententiam solutam antecedit v. g.
Nullum animal, quod sanguinem habet, sine corde esse potest (pro attributo : sanguinem habens). Nos in vita non, quae cuique peccato poena sit, sed quantum cuique liceat, spectare debemus (pro objecto : poenam cujusque peccati). Vercingetorix, ubi de Caesaris adventu cognovit, ei obviam proficiscitur (pro adverbio : Caesaris adventu cognito).

Sed : Qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse (pro subjecto : modeste parens).

M. Ut vero in sententia simplici collocatio grammatica

saepius locum cedit logicae, ita in sententia composita pars subjecta non semper interponitur, sed modo alteri praeponitur modo postponitur.

Quando praeponitur, quando postponitur ?

A. Sententia conjuncta solutae praeponitur, cum aut arcte cum sententia praecedenti est juncta, aut cogitationem, quae sequitur introducit. Sententia conjuncta solutae postponitur, cum aut arcte conjuncta est cum ea, quae sequitur, aut sententia soluta planius explicatur v. g.

Classis communis Graeciae apud Artemisium cum classiariis regis conflixit. *Hi etsi pari proelio discesserant,* tamen eodem loco non ausi sunt manere. Nemo prudens punit, *quia peccatum est, sed ne peccetur.*

Cum crebri afferrent nuntii male rem gerere Darium, Miltiades hortatus est pontis custodes, *ne a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae dimitterent.* Miltiades capitis absolutus pecunia multatus est. *Hanc pecuniam quod solvere in praesentia non poterat,* in vincula publica conjectus est. Atticus ita vixit, *ut universis Atheniensibus merito esset carissimus.*

M. Ejusmodi sententia composita, in qua pars conjuncta sententiam solutam aut antecedit aut sequitur, *periodus* appellatur.

Latini enim tria sententiarum genera distinguebant :

1) *Comma* seu incisum i. e. sententia simplex non conjuncta v. g. Nemo vere beatus est. Nemini invideamus. Romam profectus est.

2) *Colon* seu membrum, est *comma,* quod pendet ex alia sententia v. g. Cum nemo vere beatus sit. Etsi Romam profectus est.

3) *Periodus* autem est conjunctio utriusque generis in unam sententiam v. g. Cum nemo vere beatus sit, nemini invideamus.

Vel sententia conjuncta a subjecto et praedicato sententiae solutae circumcluditur v. g. Dionysius, *cum fanum Proserpinae Locris expilasset,* navigavit Syracusas.

Colon et comma, amplificata eorumque variae partes inter se congruenter conjunctae illas, quas tantopere apud Ciceronem admiramur, constituunt periodos.

Restat, ut de quibusdam verbis collocandis singillatim agamus.

1. De collocando Pronomine.

M. Quomodo collocantur pronomina, Claudi ?

C. a) Pronomina ejusdem personae juxta componuntur v. g. *Tu te* ipse in custodiam dedisti. *Suis se* laudibus vita occidens consolari potest.

b) Pronomen personale duobus verbis arcte conjunctis interponitur v. g. Res tuae quotidie faciliores *mihi* et meliores videntur.

Haec *me* cura sollicitat.

c) Pronomen demonstrativum antecedit nomen suum ; si vero nomen conjunctum est cum adjectivo, pronomen interponitur v. g.

Praeclarus *ille* vir. Magnus *ille* Alexander.

Sed semper : *hi* omnes, *haec* omnia, *huic* meae laudi, *ista* vestra oratio, *his* meis litteris.

Item : ceteri, reliqui *omnes ;* alia *omnia.*

d) Pronomen possessivum sequitur nomen, nisi ponderis causa ei praeponendum est v. g. *Suam* culpam in senectutem conferunt.

Meum solius peccatum corrigi non potest

e) Pronomen *ipse* ceteris pronominibus plerumque postponitur v. g. Me *ipse* consolor. Tu tibi *ipse* vivis. Sua *ipsi* frumenta corrumpunt. Hoc *ipsum* ad voluptatem refert.

Ne semet *ipse* aperiret. Necem sibi *ipse* conscivit.

f) Pronomen personale Infinitivo et Participio eleganter

postponitur v. g. Vides *sudare me* jam dudum laborantem. In montibus *uri se* patiuntur. Juri *studere te* memini. *Visurum me* non despero, *vidisse se* negat Scipio. *Reprehendi me* a ceteris facile patior. *Amantem me* contemnis.

2. De collocanda Praepositione.

M. Quem locum Praepositioni assignas, Sulpici ?

S. *Versus* et *tenus* exceptis, quae nomen subsequuntur, praepositio nomen antecedit v.g. Calabriam *versus*, Oceano *tenus*. Sed : *ab* origine, *ex* aqua, *in* monte, *prae* dolore, etc.

M. Estne hoc emendatum : Martius, cum quo mihi familiaritas est ?

S. Non dubito, quin sit emendatum ; plerumque tamen praepositio *cum* pronomini relativo et pronomini personali annectitur v. g. quo*cum*, qua*cum*, quibus*cum* ; me*cum*, te*cum*, se*cum*, nobis*cum*, vobis*cum*.

M. Cavete dicatis : Diu *pro et contra hanc* sententiam disputatum est. Sed : Pro hac sententia et contra eam — quia *pro* et *contra* diversos casus recipiunt.
Neve : Et *in* et *post* consulatum tuum ; sed : Et in consulatu tuo et post consulatum. — Neve : Ante et post signa ; sed : ante signa et post ea, vel postque ea.
Neve : Pro et contra disputare ; sed : In utramque partem vel in contrarias partes disputare.

Invenimus tamen apud Ciceronem : Et *in* corpore et *extra* esse quaedam bona, — quod imitari licet, cum praepositio simul est adverbium.

Cum praepositio ad duo se refert nomina, altero loco omitti potest ; nunquam vero in sententiis partitivis et disjunctivis *(partim-partim, et-et, cum-tum, aut-aut, vel-vel, non solum-sed etiam)* neque in sententiis comparativis, etc.

Falsum est igitur : Mens aut in corde aut sanguine jacet (pro *in* sanguine).Hominis dignitas non in sola mentis intelligentia, sed maxime animi integritate cernitur (pro : *in* animi integritate).
Hoc probatur non quidem ex Cicerone, sed Seneca (pro : *ex* Seneca).Animi in coelum quasi domicilium suum perveniunt (pro : quasi *in).*

Estne verum, quod modo dixisti, Sulpici, *versus* et *tenus* solas, quae nomini postponerentur, praepositiones esse ?

S. Nihil dubito ; ceterum et aliae praepositiones si minus nomini, tamen demonstrativo *hic* et relativo *qui* postponi possunt v. g. hunc *post*, hunc *adversus*, hanc *juxta* ; quem *per*, quos *contra*, quam *ante*, qua *circa*, quem *propter*, ista *in* re, quam *ob* rem, quorum *in* fide, quorum *ad* scientiam, quem *ad* modum, quibus *de* rebus, qua *in* urbe, hac *de* causa. Senatus quos *ad* soleret, referendum censuit. Segetes, quas *inter*. — Neque tamen unquam : *eam ob* rem, *eam ob* causam ; sed *ob eam* rem, ob *eam* causam.

Eodem modo praepositio interponitur nomini et adjectivo v. g. Orator nulla *in* re rudis esse debet. Magno *cum* metu incipio dicere. Gravi *de* causa ita egi.

M. Licetne separare praepositionem a nomine suo ?

S. Istud saepius fit ; separatur autem Genitivo, adjectivo, sententia relativa, conjunctionibus *que, ve, autem, vero, tandem*, etc. v. g. Sine *Romanorum* auxilio. Post vero *Sullae* victoriam. Isocrates non ad *judiciorum* certamen, sed ad voluptatem *aurium* scripserat. Cum *et* diuturno *et* metu nocturno. Officia pertinent ad *earum rerum, quibus utuntur homines*, facultatem.
Ad *recte* discendas litteras. Non mihi videtur ad *beate* vivendum satis posse virtutem. Sine foenore sine*que* ulla stipulatione. In illo *autem* altero genere. Praeter *enim* tres disciplinas. In *suum cuique* tribuendo.

3. De collocanda Conjunctione.

M. Quem locum tenet Conjunctio, Calliste ?

C. *Nam, namque, etenim, itaque* semper primum locum tenent ; *enim, igitur, vero, autem* secundum locum, tertium autem, cum sententia incipit a praedicato cum copula *esse* vel a negationibus *non est, neque est, nemo, nullus, nihil est,* vel *hic, is est* v. g.

Verius est *igitur* illud. Adhibita est *igitur* ars quaedam. Moriendum est *igitur* omnibus. Non est *igitur* beatissimus.

Neque est *enim* ullus sensus. Nihil est *enim* praeclarius. Quid est *enim* turpius ?

Haec est *enim* vetus ratio.

M. Estne haec sententia sermonis latini : Cum Antigonus adversus Seleucum Lysimachumque dimicaret, in proelio occisus est ?

C. Etiamsi proprie non est falsa, tamen ab usu Romano, qui periodo maxime indulget, aliena est. Cum enim subjectum utrique sententiae parti est commune, sententia conjuncta, ut jam alias diximus, interponitur subjecto et praedicato sententiae solutae.

Dicendum est igitur : *Antigonus*, cum adversus Seleucum dimicaret, *in proelio occisus est.*

M. Affer alia exempla.

C. *Alexander,* si diutius vixisset, *totum orbem terrarum subegisset* (ac non : *Si Alexander* diutius vixisset).

Medici, quamquam intelligunt saepe periculum, *tamen nunquam aegris dicunt* (ac non : Quamquam medici intelligunt).

Verres, simulac tetigit provinciam, statim Messana litteras dedit : (ac non : Simulac Verres tetigit).

Stultitia, etsi adepta est quod concupivit, nunquam se tamen satis consecutam putat ; (ac non : Etsi stultitia adepta est).

Caesar, cum septimam legionem urgeri ab hoste vidisset, tribunos militum monuit, ut conversa signa in hostes inferrent.

Scipio, ut Hannibalem ex Italia deduceret, exercitum in Africam trajecit.

M. Eadem valet lex, cum utrique parti sententiae commune est objectum v. g. Quem, ut barbari incendium effugisse eminus viderunt, telis missis interfecerunt.

4. De collocanda negatione.

M. Quem locum, Fabiane, relinquis negationi ?

F. Negatio *non (haud)* praeponitur verbo negando, cum vero totam sententiam negat, huic praeponitur v. g.

Non turpia laudo, sed honesta. Otii fructus est *non contentio* animi, sed relaxatio. Homo improbus *non beatus* est, sed miser.

Non paranda nobis solum sapientia, sed fruenda etiam.

Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi.

M. *Non,* ut jam alias commemoravimus raro collocatur in extrema sententia, nisi conjungitur cum *item* v. g. Hoc Herculi potuit fortasse contingere, nobis *non item.* Vos officio satisfecistis, ceteri *non item.* Istud tuum consilium mihi valde placet, fratri meo *non item.* Tu gaudes, ego *non item.*

Cum agitur de Participio conjuncto cum *esse,* negatio plerumque praeponitur verbo *esse* v. g. Vitium viro honesto laudandum *non est.* Divitiae sapienti expetendae *non sunt.*

Cum verbum finitum conjunctum est cum Infinitivo, negatio praeponitur verbo finito v. g. Ego hanc rem approbare *non possum.*

Idem valet in *vix* adverbium v. g. Me tenere *vix potui.*

Mihi otioso esse *non licet.* Te mori *non prohibeo.*

Falsum est igitur : Qui hoc *non adipisci* conatur ; id *non animal* esse potest ; te *non profecto jactare* audebis ; mensis *non accurate* significari potest.

Tantus strepitus me *vix dormire* sinit.

Neque latinum est : Sapientes *dicunt*, hoc fieri *non* posse ; sed : Sapientes *negant* hoc fieri posse.
Nego ullum fas fuisse. Negat per omnes deos se meminisse. Negat ullos esse deos. Democritus negat sine furore quemquam poetam magnum esse posse (= censet esse non posse).

Multum praeterea interest inter : Hoc facere *non possum*, et : Hoc *non facere* possum (= hoc omittere possum) ; hoc fieri *non potest* ; et : hoc *non fieri* potest (= fieri potest, ut non fiat).
Quomodo, Fabiane uteris *ne-quidem* ?

F. Verbum significans ei interponitur v. g.
Nulla species *ne* excogitari *quidem* potest ornatior. Caesar negat se *ne* Graeca *quidem* meliora legisse. Non praetermittum *ne* illud *quidem*. Non fugio *ne* hos *quidem* homines. Ne patrem quidem venerabatur. *Ne* republica *quidem* postulante. *Ne* in fanis *quidem*.
Ne si dubitetur *quidem*. Hac vi non utatur, *ne* si exploratum *quidem* habeat.

M. Simili modo *non nisi*, a Cicerone separatur v. g.
Sed hoc sentio, *nisi* in bonis amicitiam esse *non* posse. Caritas illa dirimi *nisi* detestabili scelere *non* potest. *Negant* enim quemquam virum bonum esse *nisi* sapientem. Tu, *nisi* quod erat, profecto *non* scripsisti. *Nisi* sapienti sua *non* placent.

5. Quomodo verba **inquam, opinor, credo, quaeso** collocentur.

M. Quid de his existimas, Severine ?

S. *Inquam* orationi rectae semper intexitur, idque saepius cum nomine proprio, quod verbo postponitur.
Subjectum vero, cum conjunctum est cum Participio, antecedit, et *inquit* sententiae intexitur v. g.

Tace, Lucretia, inquit, Sextus Tarquinius sum. Dionysius *ridens :* Videtisne, *inquit*, amici, quam bona a diis immortalibus navigatio sacrilegis detur ? Tum Cocles : Tiberine pater, inquit, te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias. Mihi vero, inquit Cotta, videtur.

M. Nusquam inveni : *ut inquit Cicero* vel *ut Cicero inquit ;* saepius contra : *ut ait Cicero, ut ait Plato*, etc.
Perge, Severine.

S. Ut *inquam* ita *quaeso, opinor, credo, obsecro, reor, censeo, arbitror, existimo, spero* orationi interponuntur v. g. Quid est, *quaeso*, Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est ? Hoc legite, *quaeso*, studiose. Hoc, *quaeso*, judices, diligenter attendite. Endymion nondum, *opinor*, est experrectus.
Niope lapidea fingitur, propter aeternum, *credo*, in luctu silentium. Attica, *obsecro te*, quid agit ? Illud, *spero*, nunquam fiet. Nam, *reor*, nullus posset esse jucundior. Veremini, *censeo*, ne eveniat. Illud, *existimo*, errasti.

M. Eodem modo interponitur : *mihi crede* ; raro autem invenimus : *crede mihi* v. g. Minas suas, *mihi crede*, nunquam efficiet.

DE CALENDARIO ROMANO.

M. Quis Calendarium Romanum, quo scriptores utuntur, instituit, Donate ?

D. Julius Caesar anno 45 ante Christum.

M. Romani computabantne dies mensis more nostro, qui numeramus a die primo usque ad ultimum ?

D. Nequaquam ; in Calendario Romano singuli menses divisi sunt in tres partes certas, i. e. in *Calendas, Nonas, Idus*, a quibus regrediendo Romani computabant dies interpositos.

M. Quoto die erant Calendae, Nonae, Idus ?

D. *Calendae* erant primo cujusque mensis die, *Nonae*

quinto, *Idus* tertio decimo, mensibus Martio, Majo, Julio, Octobre exceptis, quibus Nonae in septimum, Idus in quintum decimum diem incidebant.

Dies autem qui Nonas, Idus, Calendas proxime antecedit, vocatur *Pridie,* quod verbum cum Accusativo vel cum Genitivo conjungitur v. g. Pridie Calendas Julias.

M. Cur dicis Calendas *Julias*, ac non *Julii.*

D. Quia veteres nomina mensium pro adjectivis habebant v. g.

Nonas Septembres, Calendis Decembribus.

M. Qui sunt menses tricenum tantum dierum ?

D. Februarius (28 vel 29), Aprilis, Junius, Septembris, Novembris ; ceteri tricenos singulos dies habent.

M. Quam igitur rationem instituis, si more Romanorum vis significare diem octavum Januarii ?

D. Dies octavus interpositus est inter Nonas et Idus. Ab Idibus, quae sunt tertio decimo die, regrediendo numerabo, sed ita tamen, ut non solum terminus a quo i. e. Idus,sed etiam terminus ad quem i.e. dies octavus in ratione ducatur. Dies igitur, quem quaero, erit : $13 - 8 + 1 = 6$: Sexto Idus Januarias.

M. Non plane intelligo, cur addas $+ 1$.

D. $+ 1$ significat terminum ad quem (8), quem ratio vulgaris in deducendo numerum a numero non computat, v. g. $13 - 8 = 5$.

Eadem ratio initur, cum de die aliquo agitur Calendis et Nonis vel Idibus et Calendis interposito v. g.

3 Maji.Nonae Majae sunt septimo die. $7 - 3 + 1 =$ Quinto Nonas Majas.

Dies 25 Junii. Retrogradiendo numerabo a Calendis Juliis usque ad vicesimum quintum diem Junii, sed ita tamen, ut non solum terminus ad quem, sed etiam Calendae Juliae in ratione ducantur. $30 - 25 + 2 = 7$: Septimo Calendas Julias.

Dies 17 Octobris $= 31 - 17 + 2$: Sexto decimo Calendas Novembres.

Dies 6 Julii = Pridie Nonas Julias.

M. Quomodo Calendarium Romanum convertitur in nostrum ?

D. Eandem, quam modo descripsi, rationem inimus v. g.

Quarto Nonas Majas $= 7 - 4 + 1 = 4$.

Tertio Idus Julias $= 15 - 3 + 1 = 13$.

Septimo Calendas Martias $= 31 - 7 + 2 = 26$ Aprilis.

M. Quomodo, Rufine, explicas formam grammaticam verborum v. g. Tertio Nonas Julias ?

R. Integre dicendum est : Die tertio *ante* Nonas Julias ; sed Romanae consuetudinis est omittere *die* et *ante.*

M. Nonne alius praeterea est modus diem aliquem declarandi ?

R. Ita sane ; apud Ciceronem enim et Livium pro forma vulgari saepissime invenimus v. g. *Ante diem* tertium Nonas Julias, etc. (a. d. III. Non. Jul.)

M. Quomodo explicas *ante* ?

R. *Ante* proprie se refert ad *Nonas*, sed ordine inverso praeponitur numero, qui quasi pendeat ex *ante ;* ex Ablativo fit Accusativus. Quin etiam *ante diem* et *pridie* usu substantiva indeclinabilia facta sunt, quae haud raro cum praepositionibus *ad*, *in*, *ex*, conjuncta inveniuntur v. g. Caedem optimatium contulerat Catilina *in ante* diem V. Calendas Novembres. *In ante* diem octavum Calendas Octobres comitiis dies dicta. Supplicatio indicta est *ex ante* diem quintum Idus Octobres.

Nos in Formiano esse volumus *usque ad pridie* Nonas Majas.

M. Quid est annus intercalarius seu bissextus ?

R. Ille appellatur annus intercalaris, cui dies unus intercalatur. *Sexto* enim *Calendas Martias* bis computatur, unde nomen ductum esse putatur *annus bissextus.*

M. Cur necesse est post annos quaternos diem unum intercalare ?

R. Quia singuli anni consistunt ex 365 diebus et sex horis, quae quaternos post annos diem unum efficiunt. Nisi hic dies constanter intercaleretur, procedentibus saeculis anni tempora locum suum omnino mutarent.

M. Qui menses temporibus reipublicae *Quinctilis* et *Sextilis* appellabantur ?

R. Julius et Augustus, qui a Julio Caesa reet Augusto nominantur.

M. Quid significat : Ad Calendas Graecas solvere ?

R. Nunquam solvere, quia vocabulum Calendarum Graecis erat ignotum. A Romanis contra singulis Calendis creditoribus usura erat solvenda, unde illud Horatii : « Tristes Calendae ».

DE SESTERTIO.

M. Qui nummus, Sabine, maxime pertinebat ad commercium Romanorum ?

S. Sestertius, nonnunquam simplicitur *nummus* vel *sestertius nummus* appellatus, quo Romani pecuniam vel maximam computabant v. g. Tiberius populo trecenos nummos viritim dedit. Quinque millia nummûm. Sestertium sexagena millia nummûm. Nummo sestertio vendere *(à un vil prix)*. Sestertio nummo venire. Ratio ad nummum convenit.

M. Sestertii unde originem repetis ?

S. *Ses* idem est quod *semis* (= dimidia pars). Sestertius enim ex duobus efficiebatur assibus, quibus *semis* tertius additus est ; unde nomen Semistertius seu Sestertius.

M. Quid valet Sestertius ?

S. Sestertius, pars quarta denarii, nostra aestimatus pecunia viginti fere valebat centesimos.

M. Qua litterarum nota Romani sestertium significabant?

S. Cum assis Romanorum pondo seu libra sit aeris, sestertium, qui, ut diximus, valebat asses duos et semissem litteris significabant LLS i. e. *libra libra semis*, vel signo IIS i. e. *librae duae* ef *semis*, quod signum postremo mutatum est in HS v. g. HS. X = Sestertii decem.

M. Quomodo Romani vocabulo sestertii in numerando utebantur ?

S. 1) In numerando usque ad mille vocabulum sestertii pro substantivo generis masculini habebant v. g. duo sestertii ; decem, viginti, quinquaginta sestertii. Centum, sexcenti, mille sestertii.

2) A duobus millibus usque ad 900 000 sestertius fit *plurale tantum* generis neutrius — *sestertia*, quod conjungitur cum numeralibus distributivis, sed nonnunquam etiam cum cardinalibus v. g. Bina sestertia (= 2000) vicena sestertia (20000) centena sestertia (100,000), nongena sestertia (900 000).
Sed etiam : Duo sestertia, septem sestertia, sexcenta sestertia, etc.

3) Ad declarandam summam, quam nos appellamus *Million*, vocabulum sestertii fit nomen *singulare tantum* generis neutrius — *sestertium (ii)* quod conjunctum cum adverbiis numeralibus saepius numero praeponitur v. g. *Decies* sestertium (= 1,000,000), *vicies* sestertium (2,000,000) *tricies* sestertium (3,000,000), *centies* sestertium (10,000,000), *millies* sestertium (100,000,000). *Duodecies* sestertium (1,200,000). Sestertium *ter et quadragies* (4, 300,000).
Cleopatra una coena centies sestertium absumpsit. Dos erat tricies sestertii. Senatorum censum duodecies sestertio taxavit.
Ubi est decies sestertium ? Argenti ad summam sestertii decies in aerarium retulit. Sestertium sexagies, quod advexerat Domitius.

Syngrapha sestertii centies *(obligation de 10 millions)*. Servillae sexagies sestertio margaritam mercatus est *(il lui acheta une perle de 6 millions)*. Hostius sestertii millies servus *(est un esclave de 100 millions)*. Largitio centies sestertii *(don de 10 millions)*.
Nonnunquam *sestertium* omissum est v.g. *decies (un million)*. *Decies* solidum *(tout un million)*. *Decies* numeratum est *(un million payé comptant)*. Superficiem aedium aestimarunt *decies*. *Tricies* habere potuit *(3 millions)*.

M. Unde fit, ut genus masculinum sestertii ad computanda millia mutetur in neutrum ?

S. In computandis millibus nomen substantivum collocatur in Genitivo v. g. duo millia equitum, tria millia passuum, decem millia sestertium (= sestertiorum), centena millia sestertium.

Constanter audiendo Genitivum *sestertium* Romani errore quodam grammatico eo pervenerunt, ut illum Genitivum pro substantivo neutro haberent.

M. Cum « *un million* », ut hoc addam, latine sit *decies (centena millia)*, vix est, quod ostendam, quicunque numerus vocabulo *million* praeponitur, eum latine decies esse multiplicandum v. g.

2 millions = vicies (centena millia).
3 millions = tricies » »
6 millions = sexagies » »
10 millions = centies » »
40 millions = quadringenties »
100 millions = millies » »
200 millions = bis millies »
1000 millions = decies millies »

Explica ad extremum has litterarum notas :

HS. X. — HS. $\overline{\text{X}}$. — $\overline{\text{HS}}$. $\overline{\text{X}}$.

S. Illud significat : Sestertii decem ; alterum : Sestertia dena (10,000) ; tertium : Sestertium decies (1,000,000).

INDEX

A.

B.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

J.

L.

M.

N.

O.

P.

S.

T.

U.

V.